



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Ph. P. 84.





Digitized by Google

7  
C. 934

Philos. Ethica popular.

2113.

R

GEOGRAPHIA  
MORALIBUS  
*ET*  
POLITICIS  
DISCURSIBUS  
ILLUSTRATA,  
AUCTORE  
P. DANIELE BAR-  
TOLI  
SOC. JES.

Italiço idiomate conscripta,  
post latine reddita,  
Et

*Indice rerum memorabilium*

Tabulisque quibusdam æneis in Læto-  
rum gratiam adornata.



*Prostas nunc*

**ULMÆ**

in Bibliopolio Woleriano. 1709.





*LECTORI ERUDITO, ET  
BENEVOLO, HUJUS LIBRI  
CENSOR, SALUTEM.*



Tsi hoc præsens  
*Geographiæ Politico*  
*Moralis* opus, no-  
bilitate sua atque  
præstantia, & vel  
uno, celeberrimi ætate nostra  
Scriptoris, *Bartoli* nomine, seip-  
sum satis commendet; ut adeò  
supervacaneū videatur, amplio-  
res isthic laudes congerere, de

*Fidei Morumque integritate; (quam  
percensere aliás muneri nostro  
incumbit;) cùm ipse Auctor su-  
is in Discursibus eandem ex pro-  
fesso insigniter & exquisitè per-  
urgeat: de eximiis Eruditioni-  
bus, quas continuâ propemo-  
cum serie, ac mirâ varietate indu-  
cit: de Styli sublimitate, propo-  
nendique elegantia ac dexterî-  
tate; quas sanè Dotes (ob longè  
diversum Idiomatis nativi Geni-  
um, solique sibi, ad invidiam pro-  
pe Latinitatis, proprium satis  
propinquè aequali, Interpreti nō  
raro difficultum fuit: de Sapi-  
entissimis denique, utilissimè que  
propositis veræ ac genuinæ Poli-  
tice Doctrinis moralibus, quibus hæc  
Geographia, ceu Rediviva Veterum Sa-*

pientum Schola tota personat , &c-  
Unum hoc tamen, pro officio e-  
tiam nostro , & singulari omni-  
bus , Ecclesiastici mei muneris  
Confortibus gratificandi studio,  
commendare præcipue libuit :  
Esse nimirum hoc Opus sacris e-  
tiam Oratoribus, pro Ecclesi-  
stico suggestu Conciones suas  
docte ac solerter efformantibus,  
cum primis utile, ac per insigni-  
ter accommodum. Quid enim  
ferme aut frequentius, aut utili-  
us pro Concione tradimus, quam  
*Doctrinas Morales* ? Et has quidem  
etsi laudatissimus iste Auctor  
propemodum omnes, data ope-  
ra non nisi inter *Politicae* ac profa-  
ne patientiæ limites pertractet;  
perquam facile tamen erit, eas-

dem doctrinas ē Sacræ Scriptu-  
ræ & SS. Patrum monumentis,  
ita illustrare, ut sancta illa maje-  
state, quæ Apostolicum orato-  
rem decet, augustè resplendeāt ;  
ipsa vero Auctoris pulcherri-  
marum Eruditionum inventa ,  
ornamētorum instar producan-  
tur, atque , ut fere amant nostræ  
ætatis celeberrimi Concionato-  
res, gratiosè ac per appositè in-  
spergantur ; ceu quoddam influ-  
entis una in Auditorum animos  
Sacræ Doctrinæ illicium. Ut i e-  
nīm profanis litteris, & affectatis  
nimium Eruditionibus, Sacræ E-  
loquentiæ dignitatem onerare  
potius, quam adornare, indeco-  
rum est ; ita easdem ceu Ægypti  
spolia , superum honori & san-  
ctissimis

*q̄am* *in* *Doctrinis* *fāpienter* *im-*  
*impendere*, *laudatissimum.* *Ita*  
*Censeo. Constantiae.*

*Achilleus Riedel, SS. Theol.*

*D. Insignis Ecclesie Colle-*  
*giatae ad S. stephanum ibid.*  
*Parochus & Canonscus, Li-*  
*brorum Censor Ordinarius.*

**GEO.**

# GEOGRAPHIÆ POLL TICO - MORALIS

## NOVO INVENTORI ET AUCTORI

Quis NOVUS, à veteri multùm diversus, VLYS-  
SES

*Cum Sociis vastum per Mare tentat Iter ?  
Non Europæ tantùm ille per Aequoris undas,  
Sed liquidas toto permeat Orbe vias.*

*Ultima Thule adita est illi, Septémbr; Triones,  
Ipsaque remigio Incognita Terra priùs.  
Hunc NULLI celebrant ERRORES, nullapericla;  
INGENIO longè est clarius ipse suo.*

*Callidus incantat Sirenas, atque triumphat,  
Ore Viri quando Mellea Suada sonat.*

*In nova Circeas transmutat Corpora formas,  
Eque feris Homines, dum docet, esse iubet.*

*BARTOLUS, bic nempe est celeberrimus Orbis  
ULYSSES*

*Arte NOVAS retegens, Ingenioque VIAS.  
Hoc Duce, MORALI Doctrina GEOGRAPHIA  
iuncta,*

*UTILIS AC DULCIS MIXTA, fuere simul.  
Hoc Comite IN SICCO quoque si quis NAVIGAT,  
Oris  
Ditior in patrijs, & Peregrinus erit.*

*Accinit Honoris ergo*

*A. R. D.*

*IN.*



INGNOMEN,  
ORBI GEOGRAPHICO SUBSCRIP-  
TAM:  
SPECTETUR AGENDO.

*An ne limaces sumus, aut Abydi  
Ostreas inter numeranda turba;  
Muricis pravi, patriaque tantum  
Conscia gleba?*  
*At DEUS latè (vaga quando Nerèi  
Regna collectis sociavit undis)  
Porrigi Terras, nimiumque vastum  
Inffit in Orbem,*  
*Distat immensum rutilis ab Indis  
Serà Tartessus; Libya flagrantie  
Cornu, & excurrens Nova congelunt am  
Zembla sub Arcto.*

*Tantatam vastis Satij proflusa,  
Bellus forsan, Tigridique Scena  
Armenæ; an nobis aperitur, ut SPE-*

*CTETUR AGENDO?*

*Nempe, dum Rerum varias per Orbem  
Cernimus Formas, animique Mores  
Indeformos agitamus; hinc SPE-*

*CTETUR AGENDO.*

Auctoris honori inscripsit

F. M. S.

IN-




# INDEX DISCURSuum.

- I. Insulæ Fortunatæ. *Spes Aulicorum.*
- II. Ætna. *Infantia, frumenta, licentia.*
- III. Ithaca Ins. *Suavis violentia Genii.*
- IV. Sina Regnum. *Cecitas seipso non cognoscantium.*
- V. Promontorium NON. *Indecora petentibus ritè negando responderit.*
- VI. Atlas Mons. *Grandibus negotiis non nisi grandes humeros aptari.*
- VII. Cataractæ nihil. *Bateronibus proprium esse, vel surdos reddere, qui ipsos audiunt; vel in fugam coniicere, ne ipsos audiant.*
- VIII. Campi Urabani. *Vitam longam ei brevem esse, qui aliud non facit, quam vivere; vitam autem brevem, bene operando longam fieri.*

- IX. Zeilanum. *Hominos, quorum omne bonum  
in cortice est.*
- X. Torrentes in medio Oceano decurren-  
tes. *Sinere se à via abstrabi, & scutis vulgi  
opinionibus se permittere.*
- XI. Ultima Thule. *Mala mala salitudinis,  
bona bona converfationis.*
- XII. Promontorium Bonæ Spei. *Malum  
qui prævidit, ex dimidio superaxit; qui non  
prævidit, ex dimidio superatus est.*
- XIII. Strophades Insulæ. *Justitia Avaritiae  
serviens.*
- XVI. Materia Ins. *Quomodo quis ex seipso  
renasci possit melior, quam sit natus.*
- XV. Mitylene. *Stulta circa vitæ conditionem  
electio, longa per totam vitam panitendi ma-  
teria.*
- XVI. Capreæ. *Vitam magnorum hominum,  
eo ipso quod magni sint, abscondi non posse.*
- XVII. Molucca. *Homines animo in studia absor-  
pti, aspectu parum concinni, usu per amari.*
- XVIII. Promontorium Caphareum. *Adu-  
latio, scopulis sub aqua latens; Magnorum nau-  
fragiis infamis.*
- XIX. Antipodæ. *Inversus illorum genius, qui  
& agendo & sentiendo aliis adverfari amant.*
- XX. Rhodus. *Vigor animi, etiam in sua ca-  
lamitate triumphans.*
- XXI. Mare gelatum. *Timor prudens, & fa-  
tua timidas.*
- XXII.

- XXII.** Thermopyle. *Vitia simul omnia vici-  
ci non posse, ubi singula impugnentur, supe-  
rari.*
- XXIII.** Thessalia. *Semi homines, & semi-  
bestiae.*
- XXIV.** Libya deserta. *Qui solus est, & non  
ex stellis regitur, periret.*
- XXVI.** Anticyra. *Sapiens commonitio tem-  
pori adhibita, ex fatuo sapientem facit.*
- XXVI.** Terra incognita. *Qui in oblivione  
hominum semper mortui ; qui in Gloria sem-  
per vivi :*
- XXII.** Lacus Avernus. *Flatus pestilens male-  
dorum.*
- VXVIII.** Scylla, & Charybdis. *Desperatio,  
minoris mali fugâ, in majus præcipitans.*
- XXIX.** Mare mortuum. *Nobilitatem San-  
guinis, ignobilitate morum amitti.*
- XXX.** Terra Sancta. *Suam cuique domum de-  
bere Terram sanctam esse.*





*Fidei Morumque integritate; (quam  
percensere aliás muneri nostro  
incumbit; ) cùm ipse Auctor su-  
is in Discursibus eandem ex pro-  
fesso insigniter & exquisitè per-  
urgeat : de eximiis Eruditioni-  
bus , quas continuâ propemo-  
cum serie, ac mirâ varietate indu-  
cit : de Styli sublimitate, propo-  
nendique elegantia ac dexteriti-  
tate; quas sanè Dotes (ob longè  
diversum Idiomatis nativi Geni-  
um, solique sibi, ad invidiam pro-  
pe Latinitatis , proprium satis  
propinquè aillequi, Interpreti nō  
raro difficillum fuit : de Sapi-  
entissimis denique, utilissimè que  
propositis verò ac genuinæ Poli-  
tice Doctrinis moralibus , quibus hæc  
Geographia, ceu Rediviva Veterum Sa-*

pientum Schola tota personat , &c-  
Unum hoc tamen, pro officio e-  
tiam nostro , & singulari omni-  
bus , Ecclesiastici mei munera  
Consortibus gratificandi studio,  
commendare præcipue libuit :  
Esse nimirum hoc Opus sacris e-  
tiam Oratoribus, pro Ecclesi-  
stico suggestu Conciones suas  
docte ac solerter efformantibus,  
cum primis utile, ac per insigni-  
ter accommodum. Quid enim  
ferme aut frequentius, aut utili-  
us pro Concione tradimus, quam  
*Doctrinas Morales* ? Et has quidem  
etsi laudatissimus iste Auctor  
propemodum omnes, data ope-  
ra non nisi inter *Politice* ac profa-  
ne patientiæ limites pertractet;  
perquam facile tamen erit, eas-

dem doctrinas ē Sacræ Scriptu-  
ræ & SS. Patrum monumentis,  
ita illustrare, ut sancta illa mage-  
state, quæ Apostolicum orato-  
rem decet, augustè resplendeāt ;  
ipsa vero Auctoris pulcherri-  
marum Eruditionum inventa ,  
ornamētorum instar producan-  
tur, atque , ut fere amant nostræ  
ætatis celeberrimi Concionato-  
res, gratiōsē ac per appositè in-  
spergantur ; ceu quoddam influ-  
entis una in Auditorum animos  
Sacræ Doctrinæ illicium. Ut i e-  
nīm profanis litteris, & affectatis  
nīm Eruditionibus, Sacræ E-  
loquentiæ dignitatem onerare  
potius, quam adornare, indeco-  
rum est ; ita easdem ceu Ægypti  
spolia , superum honori & san-

*Achilleus Riedel, SS. Theol.*  
*D. Insignis Ecclesie Colle-*  
*giatae ad S. Stephanum ibid.*  
*Parochus & Canonicus, Li-*  
*brorum Censor Ordinarius.*

GEO-

# GEOGRAPHIÆ POLL TICO - MORALIS

NOVO INVENTORI  
ET  
AUCTORI

**Quis NOVUS, à veteri multùm diversus, VLYS-  
SES**

*Cum Sociis vastum per Mare tentat Iter ?  
Non Europæ tantùm ille per Aequoris undas,  
Sed liquidas toto permeat Orbe vias.*

**Ultima Thule adita est illi, Septémph; Triones,  
Ipsaque remigio Incognita Terra priùs.**

*Hunc NULLI celebrant ERRORES, nulla pericla;  
INGENIO longé est clarius ipse suo.*

**Callidus incantat Sirenas, atque triumphat,  
Ore Viri quando Mellea Suada sonat.**

*In nova Circeas transmutat Corpora formas,  
Eque feris Homines, dum docet, esse iubet.*

**BARTOLUS, hic nempe est celeberrimus Orbis  
ULYSSES**

*Arte NOVAS retegens, Ingenioque VIAS.  
Hoc Duce, MORALI Doctrina GEOGRAPHIA  
iuncta,*

**UTILIS AC DULCIS MIXTA, fuere simul.**

*Hoc Comite IN SICCO quoque si quis NAVIGAT,  
Oris*

**Ditior in patrijs, & Peregrinus erit.**

**Accinit Honoris ergo**

**A. R. D.**

**IN.**



IN GNOMEN,  
ORBI GEOGRAPHICO SUBSCRIP-  
TAM:  
SPECTETUR AGENDO.

*An ne limaces sumus, aut Abydi  
Ostreas inter numeranda turba;  
Muricis pravi, patrieque tantum  
Conscia gleba?*  
*At DEUS latè (vaga quando Nerèi  
Regna collectis sociavit undis)  
Porrigi Terras, nimiumque vastum  
Inssit in Orbem,*  
*Distat immensum rutilis ab Indis  
Serà Tartessus; Libya flagrantis  
Cornu, & excurrens Nova conglentam  
Zembla sub Arcton.*  
*Tantatam vastis Satij proflusa,  
Belluis forsan, Tigridique Scena  
Armena; an nobis aperitur, ut SPE-*

*CTETUR AGENDO?*

*Nempe, dum Rerum varias per Orbem  
Cernimus Formas, animique Mores  
Inde formosos agitamus; hinc SPE-*

*CTETUR AGENDO.*

Auctoris honori inscripta

F. M. S.

IN.



# INDEX DISCURSuum.

- I. Insulae Fortunatae. *Spes Aulicorum.*
- II. Aetna. *Infantia, frumenta, licentia.*
- III. Ithaca Ins. *Suavis violentia Genii.*
- IV. Sina Regnum. *Cecitas seipso non cognoscantium.*
- V. Promontorium NON. *Indecora petentibus ritè negando responderit.*
- VI. Atlas Mons. *Grandibus negotiis non nisi grandes humeros aptari.*
- VII. Cataractæ nihil. *Btateronibus proprium esse, vel surdos reddere, qui ipsos audiunt; vel in fugam coniicere, ne ipsos audiant.*
- VIII. Campi Urabani. *Vitam longam ei brevem esse, qui aliud non facit, quam vivere: vitam autem brevem, bene operando longam feri.*
- IX.

- IX.** Zeilanum. *Hominos, quorum omne bonum  
in cortice est.*
- X.** Torrentes in medio Oceano decurren-  
tes. *Sinere se à via abstrabi, & scutis vulgi  
opinionibus se permittere.*
- XI.** Ultima Thule. *Mala mala felicitatis,  
bona bona conuersationis.*
- XII.** Promontorium Bonæ Spei. *Malum  
qui prævidit, ex dimidio superaxit; qui non  
prævidit, ex dimidio superatus est.*
- XIII.** Strophades Insulæ. *Justitia Avaricie  
serviens.*
- XVI.** Materia Ins. *Quomodo quis ex seipso  
renasci possit melior, quam sit natus.*
- XV.** Mitylene. *Stulta circa uitę conditionem  
electio, longa per totam vitam panitendi ma-  
teria.*
- XVI.** Capreæ. *Vitam magnorum hominum,  
eo ipso quod magni sint, abscondi non posse.*
- XVII.** Molucca. *Homines animo in studia absor-  
pti, aspectu parum concinni, usu per amoeni.*
- XVIII.** Promontorium Caphareum. *Adu-  
latio, scopulis sub aqua latens; Magnorum nau-  
fragiis infamis.*
- XIX.** Antipodæ. *Inversus illorum genius, qui  
& agenda & sentiendo aliis adversari amant.*
- XX.** Rhodus. *Vigor animi, etiam in sua ca-  
lamitate triumphantis.*
- XXI.** Mare gelatum. *Timor prudens, &  
sua timidas.*
- XXII.**

XXII. Thermopyle. *Kitia simul omnia vin-  
ci non posse, ubi singula impugnentur, supe-  
rari.*

XXIII. Thestalia. *Semi homines, & semi-  
bestiae.*

XXIV. Libya deserta. *Qui solus est, & non  
ex stellis regitur, persit.*

XXVI. Anticyra. *Sapiens commonitio tem-  
peri adhibita, ex fatuo sapientem facit.*

XXVI. Terra incognita. *Qui in oblivione  
hominum semper mortui ; qui in Gloria sem-  
per vivi :*


XXII. Lacus Avernum. *Flatus pestilens male-  
dorum.*

VXVIII. Scylla, & Charybdis. *Desperatio ,  
minoris mali fuga, in majus præcipitans.*

XXIX. Mare mortuum. *Nobilitatem San-  
guinis, ignobilitate morum amitti.*

XXX. Terra Sancta. *Suam cuique domum de-  
bere Terram sanctam esse,*







folia.



100  
LITERATURE  
AND HISTORY

OF THE AMERICAN PEOPLE

BY JAMES MCGOWAN

IN TWO VOLUMES

VOLUME I. HISTORY OF THE AMERICAN PEOPLE

FROM THE BEGINNINGS TO THE END OF THE REVOLUTION

WITH A HISTORY OF LITERATURE AND OF THE ARTS

IN A SERIES OF APPENDICES

BY JAMES MCGOWAN

IN TWO VOLUMES

VOLUME II. HISTORY OF THE AMERICAN PEOPLE

FROM THE REVOLUTION TO THE PRESENT DAY

WITH A HISTORY OF LITERATURE AND OF THE ARTS

IN A SERIES OF APPENDICES

BY JAMES MCGOWAN

IN TWO VOLUMES

VOLUME I. HISTORY OF THE AMERICAN PEOPLE

FROM THE BEGINNINGS TO THE END OF THE REVOLUTION

WITH A HISTORY OF LITERATURE AND OF THE ARTS

IN A SERIES OF APPENDICES

BY JAMES MCGOWAN

# IN GEOGRAPHIAM MORALEM INTRODUCTIO AUCTORIS.

**N**on inventio vitæ genus, sive in otio maximo magis negotiosum, sive cum stabili quiete magis vagabundum, seu denique summâ cum innocentia magis avidum, & alienorum bonorum rapax, quam illud fuerit, quod, referente Plinio (1) magnam anni partem ducebant antiquissimi illi Provinciarum Hostilium habitatores, ad Padi oram accolentes. Hi, ad primum Veris exortum & florem, producebant è naturalibus actuarias quasdam naves, pontonis in modum amplas patulâsque; quas, singulari cura concinnatas, pretiosisque odoramentis suffumigatas, atque omni instrumento nautico, &c, quanta ad diuturni itinetis indigeniam sufficeret; annona copiâ instruebant: tum vero nullâ re alia, quam pulchro alvearium ordine, quem in utraque spônda locaverant, oneratas, è statione promovebant; lentissimo remorum ductu, contra fluminis lapsum placide tertam legentes: cum interim densi apicularum exercitus, suis de casulis iadsitos effusi campos, quibus geminum deliciosi illius fluminum Regis latus coronatur, pabulationi intenderent; indeque innocentia prædâ, melle ceraque graves, ad suas alnos, quæ ob incessus tarditatem nunquam ab ijs

A

longe

longè aberant, identidem revolarent. Quod si herbidorum pratorum, hortorum, pomariorum, florigerorumque collum amænior aspectus occurrisset, gubernator juxtim fundabat in arena navigium; & omni solutus cura, sub illâ annosarum quercuum & altissimarum populorum umbrâ, quæ amænissimas Padi ripas densum convestiunt, gelidæ auræ afflatu se recreabat: dum solertissimæ volucres circumjectas Floræ segetes deprædabantur, tantò inter laborandum alacriores, quantò amplior laborum materia fuisset. Fatigatas quoque necessaria balnearum opportunitas excipiebat: igitur ibidem super undarum crepidinibus levi rore spargi, abstergere sordes, &c, ut est animalculum mirè munditiarum diligens, pro more velut strigilibus se perpolire; demum, punicante jam cælo, intra alveos suos cum silentio recondi, usque dum frigus, & caliginosæ noctis dispulsum horror, denuo laboris copiam fecissent. Hunc in modum, ubi naves adverso flumine dies complusculos pro vectorum arbitratu ascenderant, in alterum marginem transgressæ, placidissimum relegebant iter, usque ad Padis fauces & Adriæ confinia: inde redibat sursum in priorem formam navigatio; idque tam diu ac toties, donec, pôdere collecti mellis ac ceræ ad certi limitis ambitum degravante rates, experientia navicularios monuisset, plena tandem esse alvearia. Quare, inter festos celestia-

tum

tum sonos; patriam repeatebat classis, tam dulcis mercaturæ opulenta, quam non alio sumptu, nisi amœnissimi otij usurâ, comparâssent.

Non absimile iter facere videntur, qui Geographiæ studium impendunt, pari profecto & voluptate, & utilitate. Totus Terrarum ambitus, cuius demum cunque modi illæ sint vel sitûs, montosæ vel planæ, cultæ vel desertæ, sub extremis Zonis vel gelatæ, vel ardentes sub mediâ; tum flumina & lacus, & vastissima maris spatia, & immensus Insularum numerus, quibus alibi sparsum, alibi etiam densè obsitum jacet: totum hoc, inquam, aper- tum quoddam campi æquor est, ubi expatiari liceat, nullâ oculorum aut pedum fatigazione, animi autem utilissimâ oblectatio- ne. Ibi perpetua theatrorum scenarumque mutatio, imò novorum quasi Mundorum va- rietas occurrit: ita nempe unum istum sibi quævis Natio pròptimum facit, dum ab omni alterâ sese colore, oris corporisque habitu, moribus, religione, institutis legibüsque di- stinguit. Deinde verò quām jucundum est, illam perergrinorum animalium, cum terre- strium, tum aquaticorum contemplari varie- tatem? avium inusitatas formas, & invitas no- stris Oris plantarum species? mille aquarum miracula, & proprias quarundam terrarum affectiones; aut quidquid demum aliud infor- litum rarumque, per qualitatum diversarum commixtionem, & formarum generationem

Natura novit in fæcundissimâ Elementoru[m] materia elaborare[re] quorum omnium idem, ac in singulos p[er]æne apices, multitudine quædam sub aspectum se infert; ad quæ singularia meritò subsistere liceat, vel admirazione & curiositatis illico defixis, vel discensu[m] studio disputare quidpiam volentibus. Quæ sanè alia est, quām illorum otiosorum per antiquæ Romæ fora obambulatio, ubi quotid curiositati mercatus prostabat monstrorun ex longinquis Mundi partibus advectorun præter quæ nihil aliud peregrini, admirand & in genere naturæ insoliti habebat.

Quod si, ut accidere frequentissimè sole fortè in honoratorum doctorumve hominum conventum incideritis, quibus vel presentia, vel non ita pridem patrata, vel denique illa antiquorum tam inclyta bella inse[m]one sint, aut quidquid demum aliud fueri quod longinqui, nobisque incogniti soli mentionem inferat, tum enim vero liberè, & verè, neque aliter, quām si cuncta oculis per vidisses, de singulis pronuntiare posse, id neque, præter honorem, etiam voluptatis est singularis; utique ex longè alio genere & aestimatione, quām arrogantis illius Demet fastuolus incessus erat, (B) qui in Regio pallio Universi Orbis descriptionem, auro pretiosisque gemmis expictam, ostentabat. Quid obierunt maria & terras, ait Macrobius (C) gaudent, cum de ignoto multis vel terrarum situ, vel mai-

## Introductio Auctoris.

57

maris interrogantur : libenterque respondent, & describant modo verbis, modo radio loca: gloriofissimum patentes, quæ ipsi viderint, aliorum oculis subiucere: quanto magis, nunquam ibi fuisse , & scienter de ijs loqui , tanquam tecens inde adveneris ?

Fingamus autem, eum , qui id ita posset , parum inde honoris habere ( quanquam re vera honoris referat quamplurimum ) num autem & contemptus ratio nulla habebitur, qui plerumque ijs obtinet , qui isthæc ignorant? si, dum alij de externis Regionibus, locisque longè dissitis, quorum ab Historicis novarumve rerum scriptoribus impræsentiarum ingesta est recordatio, per quam scitè proloquuntur, tu interim haud secus, quām si de invisibilibus Mundis Epicuri , aut Atlantide Platonis sermo esset, naturalis ac viva hominis statua , id est , mutus officiaris ? ad hocce silentium illius periculi metu adactus , ne , si interloqui velis, turpiter forte impingas, existimans , Parallelos aut Tropicos esse quosdam populos; Promontorium putes Regnum Gigantum esse ; illas tam famosas Barbaræ syrtes pro Africanarum tritè classibus, Euripos pro ferociissimis velocissimisque belluis accipias ; Caputbonæ spei magnum aliquem Consiliarium esse credas, Horizontem verò barbarum quendam Imperatorem, interpreteris ; Antipodes autem inter figmenta veræ Historiæ Luciani numeres : aut putas Novum Mundum tam longè ab Vete re-

A ;

motum

**In Geographiam Moralem**  
motum esse , ut ad eum navibus oporteat per  
auras accedere.

Audite ( inquit de se ipso Lucianus ) illud ,  
quod in memoriam recurrens impulit me , ut  
manum calamo admoverem , & in hoc libro  
præceptiones adnotarem quàm maxime ido-  
neas , de ordine & dispositione , de stylo & mo-  
do conscribendæ Historiæ . Agitabatur Corin-  
thus , velut si jam hostium obsidione preme-  
retur , dies noctesque militari tumultu & ope-  
re : nam & necessitas , & brevissimi temporis  
angustiæ urgebant . ut se contra Philippum  
Regem communiret , qui cum formidabili  
exercitu & irâ , à Macedoniæ finibus descen-  
debat , urbem oppugnaturus ; & , seu dedi-  
tione , seu armis eam occuparet , id ipsi factu-  
rus , quod iratus Rex potest , & exercitus vi-  
ctoriâ insolens solet . Igitur , omnium mani-  
bus ad defensionem versis , restaurari debilio-  
ra mœnium , erigi aggeres , vacuari & palis  
prætendi fossæ , portis impôni castella , quid-  
quid in circuitu domorum arborumque erat ,  
excindi ; convehi annona , & pubes militiæ  
apta conduci , fabricari machinæ , fervere ar-  
metum officinæ . Agebat ibi jam pluribus an-  
nis , quasi municipij jure Diogenes : & , quan-  
quam decrépito jam vicinus , cùm existima-  
ret , tolerabilius sibi esse , labore fatigari . quàm  
cum rubore otiosum , alienolabori spectato-  
rem assistere , attrito palliolo ilia præcinctus ,  
cœpit per urbis declivia volubilem suam do-  
mum ,

num, Philosophici Canis lectum, seu luto in-crustatum dolium, gyrate. Mirabantur tam novam Philosophie exercitationem plerique. ac ille Interrogantibus, in quem usum tam inutiliter se fatigaret, respondebat, ita par esse: (D) voluto etiam ego dolium meum, ut ne solus atiosè seriari videar inter tot laborantes. Et ego ( prosequitur Lucianus ) quocunque me verto, mundum calamitatibus eversum aspiciens; quocunque vado, omnium sermonibus idipsum teri audiens; ita ut ubicunque circulus, ibi & mercatus sit, in quo non aliud quam tristissimæ narrationes de hac, illâ, aliisque afflictis Provincijs exponantur; erubesco, si inter homines non videar homo esse: inter tot locutulios solus linguam non habere; & in isto publico humanarum actionum theatro, illorum mutam personam agere, qui in Tragœdia Reges affectantur; aliisque dicentibus soli in habitu Recitantium spectatores facti, ore hiante vocem non emitunt. Ita iste de se quidem ( imò sub figmento cui ) damnans eos omnes, qui in mundo ferias agunt, tanquam si in ultima Thule essent, ab voluntaria sua ignorantia in exilium extra mundum deportati; de eius regionibus, incolis, casibus non plus rescire desiderarent, quam quod ( uti Stoicus dixit ) intra centum passus ab suo foco & casa gestum esset.

Adolescens erat Atheniensis: is, amore captus illius venustatis, quam philosophia excel-

lit, statuerat, longè à patria discedere, solusque secum in eius inquisitionem se dedere; certò sibi persuasum habens, eo modo id fibi eventurum, quod cæteris, qui Athenis gloriòse florebant, Philosophis contigisset; quorum alij Italiam, alij Ægyptum, quidam ad extremos Indiæ fines peregrinati, fluminum more, quæ quæ longius à fonte procurrunt, eù plus aquæ colligunt, ita ipsi plus sapientiæ hauiissent; ita ut, qui ante relictam patriam vix homines fuerant, post annorum aliquot spaciū regredi ob eximiam doctrinæ copiam, jam sc̄e demonstrarent aliquid ultra homines esse. At ille, posteaquam dimidium Mundi ad remotissimos & ignotos usque fines pervagatus, denique Athenas revisit, fessus oppidò, nec tamen hilo sapientior; ut (E) qui novi nihil, unde Philosophus appareret, præter barbam reportasset, quæ ei tot annorum curriculò prolixè succreverat; & pallolum, lacerum potius quam consartum; in isto habitu Socratem adjit, tum ut sui eum doloris faceret participem, tum ut causam ab eo percontaretur, quare ipse solus Sapientiam non invenisset, qui in eiusvestigatione majora terrarum spatia præ cæteris percurredisset? Cui repente Philosophus: *qua tu recum solo ambulaveras.*

Quod dictum etsi planè aliorum respiciat, in simplici tamen verborum sono acceptum, magnopere mihi pro admonitione infervit, quam

quām parum oblectationis , & minis , quām parum , utilitatis eorum labor habeat , quem iij sibi sumunt , qui se in viam accingunt , foli sursum deorsum per manus terrāsque in Mapis Geographicis peregrinaturi & nihil interim aliud condiscere intēndentes , quām quā possint , attentione . & imaginationis violentiā , dividere Regiones , earūmque situm probè sibi in capite ordinare ; in quavis earum memorabiliora loca punctuatim adnotare , eorūmque nomina in memoria describere ; dein' ut illi , qui primi Indias aperuerunt , semper ulterius ab una Regione ad aliam , sine quiete & inducijs procurrere . Tam festinata profectio intra pauciores quidem dies , quām famosa illa navis Victoria annos impendit , Totum Terrarum & Oceani Orbem circumvagabitur ; tu tamen ex mille utilitatibus ne unam consequeris , quās præter incomparabilem voluptatem obtineret is , qui Geographicum istud iter associatus susciperebat ; non quidem in cuiuscunque conformatio , sed , ( meo quidem consilio ) duarum comitum , experientiā , facundiā , vel prudentiā gratiāque præ ceteris maximē valentium , HISTORIÆ scilicet , & PHILOSOPHIÆ MORALIS .

Et quantum ad Historiam , profecto ista sine Geographia propemodum cœca est , certè in caligine posita : cùm enim eius Officium sit , enarrare quæ facta sunt , nescit designare ,

ubi ea conseruent; & cum deberet res omnes suis in locis collectare; easque saepius ita oculis aliorum subiectere, ut ipsas non videre miseros se putent; quomodo id efficere poterit, si ipsam illa non videat? similis omnino illi genere picturæ, quæ naturam ipsam scitissimè solet exprimere. Id ipsum enim facit Historia; utpote non in suæ tantum phantasæ inventionibus, sed in repræsentanda veritatis effigie elaborans. Cui autem bono, si nobile quidem argumentum sit, & designatio quam optima, selecti quoque colores; Geographia tamen illi commodi soli spatium non subternat, in quo solo tale factum narrari coloribus verè potest, velut ita suo certo loco proprium, ut alteri nulli possit citra mendacium ac deceptionem coaptari? Cæca igitur Historia, si Geographiæ luce destituitur, quam Terrarum loca varia pervideat. Similiter autem & Geographia, nisi illi Historia materiam loquendi suppeditet, se sola elinguis erit; & , ut talis aliud non faciet, quam digito sicca locorum nomina indicare; hoc enim totum illud est quod ipsa animo comprehendit. Fac autem, eas sibi mutuò suppetias ferre, & unam quidem oculos, alteram vero linguam ministrare; tum enimvero prodigium quoddam voluptatis orit id omne cernere, quod Historia invenire recordando potuit, sub nudo illo solo, quod Geographia ipsi subtendit, occultatum fuisse.

Rede-

Redeat nobis in memoriam, quod, spiritu Poëtico abreptus Virgilius prævidit, prædictumque de Thessalia, omnium saeculorum odio dignâ: quæ paulo ante statio fuit atrociissimi prælij, lacus civili sanguine restagnans, sepultura dimidiæ plebis, & totius Horis è nobilitate Romanorum, qui illic ut feræ potius in theatrum concurrerant. mutuis odijs dilaniandæ; quâm ut inimici, justa dimicatione congressuri; in tantâ impietate solùm eatenus pij, quod longè extra conspectum Romæ, malè augurata ipsorum matris, in solo barbaro voluerunt tam barbarum furorem defurere. Neque tamen poterunt, ait Poëta, eo pulvere ita consepeliri, ut venturis saeculis non extet semper viva, semperque dolenda tristissimi facti memoria.

(F) *Scilicet & tempus veniet, cum finibus illis  
Agricola, incurvo terram molitus aratro,  
Exesa inveniet scabram rubigine pila,  
Aut granibus rastris galeas pulsabit inanes,  
Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris.*

Hoc nempe perpetuum est Historiæ opus, de terra, velut thesauros, refodere pretiosissimam Vetustatis memoriam, quam decrepiti temporis oblivio amiserat, vel abscondebat avaritia. Quod si placeat in huius rei confirmationem unum alterumve exemplum paucis aecipere, cogitate, ita Geographiam loqui Historiæ: isti quos pede calcamus, Campi sunt Marathonij, decem circiter millia Athenis

thenis distantes. Ad solam Campi Maratho-  
nij vocem, Historia mente in se ipsam refle-  
xa, non aliter, quām Poëtæ fingerent vene-  
ficam aliquam cum magicā virgā, & demur-  
murata incantatione, vobis corām explicare  
theatra & scenas, aut si quid aliud alluberet  
admirabilis spectaculi; ita planè ipsa, sed  
merè ex vero, quidquid id locorum upquam  
gestum est à viginti propemodum sēculis, id  
denuo facit corām existere, quātenus id vobis  
in præsens videndum proponit. Et quid il-  
lud? Hic quidem ducenta millia Persarum  
in superbo vestitu, variōque armorum cultu;  
illuc Græcos non plus decem millia, neq; istos  
quidem selectissimos, in aciem disponi; ac-  
censis caire animis, & ex arte gubernari; jam  
virum viro confertis in ora gladijs consiste-  
re, urgere, fodere inimica pectora; sèpius  
retrocedere aicem, sed pari fluctu redire sè-  
pius in pugnam; denique hos, quantum nu-  
mero inferiores, tantū virtute superiores,  
perrumpere phalangem hostium, turbare or-  
dines, & in fugam coniucere; insistere fugien-  
tibus, & cruentam eorum stragem, lanienæ  
prorsus persimilem, edere. Istic Miltiadem,  
Græcorum Ducem, illustrissimæ victoriaræ au-  
ctorem coronari, déque victorum spolijs tro-  
phæum erigi, quo non Græcia tantū, sed  
nec Europa, aut fortasse Mundus ullum po-  
tuit gloriosius monstrare.

Posthac per Mare quantumcunque Geo-  
gra-

graphia inquirat, num potest illa aliud vide-  
re, quam Mare? Quod si Historiam consulat,  
in quovis despicibili minimoque Sinu reperi-  
et, unde plurimarum rerum ac nobilissima-  
rum gesta ei in memoriam revocentur. At-  
que ut ne longè ab Athenis abscedamus, sic  
hic ipse in argumentum Portus Saronicus.  
Historia, ubi illum duntaxat nominari audie-  
rit, confessim immanem Persarum classem  
quasi ex fundo maris retrahit, & in ordinem  
bellè disponit, mille & amplius naves erant  
rostratae. Xerxes imperio illuc de Megaren-  
sium & Corinthiorum litoribus congregatae.  
Mox in vicino alias bismille, & plures partim  
bellicas, partim onerarias in subsidijs locat.  
Hic verò ad Promontorium Salaminæ, cen-  
tum duntaxat & octoginta non maximæ for-  
mæ navalia producit, invictissimi Themisto-  
clis ductu in geminam alam ergiè divisa; ac  
in medio reliquum aciei corpus. Hunc in  
modum ea nobis memorabilem illam pug-  
nam ita commonstrat, ut eam pæne oculis  
videamus ab initio usque ad finem depugna-  
ri; quando denique Xerxes ex immensa na-  
vium multitudine, quæ integrum obtexerat  
Mare, & in sylva redegerat speciem ( adeò  
nihil nisi arbores & ligna comparebant ) mille  
in prædam viatori relicts, mille freto demer-  
sis, Fortune beneficium debuit, quod adhuc  
unam ipsi reliquam fecerit ( nullâ quidem alia  
re, quam pudore plenam ) quæ in Asiam trepi-  
dus

dus effugit: immortales Dijs suis gratias gens, quod in illo articulo secundos sibi ventos indulsetint, qui eum ab Europa, quam tanto molimine appetierat, ejecissent: quin adeò, in hac ipsa tam præcipiti fugâ, eius gemitus desperatione plenos, & mulieritia vota, quibus sibi Mare propitiabat, pæne audire nos facit; Simul in animum nobis revocans, hunc esse illum Xerxem, modò tam ab se se alium, quam paulo antea fuisse, quando ab litore ad litus, super impetuosas freti undas, injerto ad prodigij speciem ponte, Asiam Europæ commisit, in naturæ opprobrium, quæ eas disjunctas voluerat: & quia indomitum hoc Elementum, sub pontis formâ, barbaræ servitutis jugum sibi imponi, ad illud de collo excutiendum tantis procellarum furij exarserat, ut id demum disrupterit, hanc ille audaciam per carnifices servili fastuorio castigari jussit.

Ita ubivis alibi vix passus unus interra, vix in mari palmus erit, quem ubi Geographia nomine suo indigitârit, non confessim Historia thesaurum quendam pretiosorum monimentorum ad manum habeat, etiam ex bellis tantum eventibus (si ita placeat) congettum: quandoquidem, si quis per loca singula circumtulerit oculos, inveniet universam Terram perpetuò fuisse campum cruentorum certaminum; posteaquam pars una post alteram armatarum litium bellorumque matieries

teries aut statio fuit, theatrum glorie virtutibus, sepultura ossibus devictorum.

Quod deinde ad aliorum generum casus attinet, de quibus scire aliquid parem cum voluptate utilitatem habet, solum interrogabo te: cedò ubi hodie est illa Inclita Orbis magistra, Athenæ? ubi Argi & Micenæ, & utraque Thebe? ubi Alexandria, Babylon, Carthago, Syracusæ, Capua, Roma? & centrum aliæ his suppare civitates, quarum aliquæ dimidium prope mundum suo sub imperio tenuerunt? Tales modò sunt, ut Geographia, alias in minimis quibusque angulis inveniendis sagacissima, non audeat juratò asseverare: *hic fuit.. Ita nimirum excisa era* saque sunt de Terræ superficie grandia illa vestigia, in quibus illæ olim constiterant, tam superbo pede, quam animo avido, totum sibi Mundum subjugandi. Adhuc quidem supravivunt nonnullæ suo ipsarum excedio; fed cum ijs tantum reliquijs, quæ veterem earum magnitudinem non aliter, quam vastitate præsentium ruderum monstrant; incertum, an feliores, quod non penitus destructæ sint; an miseriores, quod non ex toto sepultæ: eâ nimirum gratia, quæ solis cadaveribus præstari potest; quando etiam ipsæ non nisi in parte aliqua audorum, contractorum, huc & illuc disjectorum ossium squalorum durant, ventorum lufus, metu fulminum, ferarum cubile, & nocturnarum male ominosarum nidus.

Ta,

Tales prorsus sunt quatenus ad Geographiam ; quæ non possidet , nisi præsentia ; neque ultra superficiem propositam profundiùs intuetur. At enim , quantumvis illic amissæ tamen conservantur in Historia ; & apud eam Iuveniuntur tales omnino , quales fuerant : ibique etiamnum florent integræ , valentes , immortales , gloriose , & veteribus sive prudenter , sive doctrinarum aut armorum titulis inclytae , quibus sibi secundam , & nunquam non durabilem vitam à famâ meruerunt , quamque illis hodie Historia instaurat. Ita verissimè dici potest , Mundum quidem Veterem abijisse è vivis , & intra sua ipsius viscera cosepultum , profundamento jacete , cui novitus alter ex alia forma , ordine , operaque superstiuatur : sed & hunc ipsum , evolutis aliquot saeculis iturum in frusta : & quod hodie fabrica est , aliquando substructionem fore , quæ securam aliam (uni Deo notam) nationibus , motibus , rebusque diversam supportet. Quanquam neque sic peribit illa apud Historiam ; cui sanè nihil , quod servari dignum sit , perditur. An non igitur causas habui , cur dicerem , illam semper à latere habere , quo cunque nos Geographia déduceret ; & de loco in locum audire , quidquid ipsa reminisci posset ; hoc demum esse Philosophorum more Orbem obire ? negotium non minus delectabile , quam fructuosum.

**Quomodo autem non multò maximè expedit,**

pediat , si ad simplices Historiae de rebus præteritis narrationes , in societatem viæ , etiam Doctrinæ Moralis de rebus venturis Institutiones accedant ? Illa nobis , ut paulo antè dixi , monstrabit sub terra urbes , quondam Imperij Capita , ac bellatrixes Dominas , innumerabili populo habitatas , immensaque stratas circuitu , atque ibi quondam florentes , ubi nunc arida solitudo , incultum nemus , deserta & scabra planicies horrent . Super hoc Philosophia Moralis ita ratiocinabitur : Eccere ergo ! ut nihil hinc diu firmo stat pede , quin lapsare demum incipiat , & cadat ; sic nihil superveniet , quod non itidem brevi degredietur , & abscedat !

Vestri triumphi . gloriæque transcunt ,  
Et Regna , & ille dulcis Imperij nitor .

Mortale nempe quidquid est , Tempus rapit .  
Torrentis instar , ex alto deflui , sunt res humanæ ; ille non descendit , sed præcipitat ; & quanto altior lapsus est , tanto celerius ruit ac præterit : & sicut in torrentibus unda unquam trudit ; & sequens , impulsa à posterioribus , subjectam profligat ; ita urbs turbi , regnum regno , natio nationi ( quanto magis homo homini , fortuna fortunæ ? ) illiditur , omnia ut demum ruant , & evanescantur . (G)  
Caduca bac & nimium fragilia , puerilibusque consuetudinibus crepundiis , que vires atque opes humanae vocantur . Affluunt subito , repente dilabuntur : nullo in loco , nullâ in persona stabilitas mixtæ radicibus consistit ; sed

*incertissimo flatu fortune hic atque illuc acta, quos in  
sublime extulerunt, improviso decursu destitutor, pro-  
fundo cladum miserabiliter mergunt.*

Videbitur forte ( nec sine causa ) non minus immane quam miserabile, quod habitatoribus Libyæ desertæ evenire solet , quoties Auster furit ; uti sanè potest pro genio suo. Nam ( ut alibi ostendemus ) ibi merus campus est , idemque apertus ac diffusus ; merum fabulum & emortuus pulvis ; in planicie tam æquali , ut non modò montes nulli sint aut silvæ , cum quibus luctando frangat ; sed ne palmus quidem terræ paululum elevatior , qui obsistat , & aliquantum debilitet impetuosisimi venti vehementiam. Igitur cùm is fluctuanti illi , & ad omnem flatum mobili arenarum Oceano incumbit , eumque à fundo usque exsuscitat & convolvit , simul ipsas urbes cum ædificijs eruderat , secumque in aëra avectas , in pulvereo turbine tamdiu circumgyrat , aliisque transportat , donec ponderis & furiarum fessus , non sine horribili fragore integrum domorum procellam deiiciat ; ita quidem , ut mutuo inter se collisu mutilatae , confractæque & sine ordine accumulate , novum & inusitatum ædificij genus ex ruinis constituant.

(H) *Regna videt pauper Nasamon errantia vento,  
Discussaque domos ; volitantque à culmine rapta,  
Deserto Garamante , casæ.*

Miraculum hoc est , deserti Libyæ ; sed quod per

per totum passim Mundum perpetud videre  
est; qui & ipse, sicuti Libya, in arena ædificat.  
Tempus, & miserabiles casus, quos ille sem-  
per in comitatu habet, Civitates de suo aufe-  
runt solo: & si minus ipsa Imperia, Regna,  
& Monarchias longè asportant; certè aliquantum ab loco dimovent. Quoties enim  
id uno quasi venti flatu accidere contuemur?  
(I) & inter fortunam maximam & ultimam nihil in-  
teresse? Hinc scilicet illa tam frequens aspectus  
variatio, quæ in mundo deprehenditur: ut,  
sicut de Alcibiade quondam formosissimo,  
postea cum annis in aliud oris habitum, &  
prope diversum hominem transfigurato,  
Phavorinus Philosophus pronunciavit, (K)  
*Alcibiades in Alcibiade querebatur;* ita nunc ne-  
mo possit Græciam in Gracia, Ægyptum in  
Ægypto, Romam in Roma, & Veterem  
Mundum in præsenti agnoscere.

At enim hæ tantæ variationes (raro in me-  
lius; quia res, quo magis inveterascunt, peio-  
res fiunt) fortè tam infrequentes sunt, ut  
non nisi temporum intervallis propemodum  
immensis, numerari possint? Neutquam  
nisi fortè apud eos homines, qui in rebus,  
sensu & mentem hominis exigentibus, non  
plus quam formicæ sentiunt: quibus (L) si  
quis det intellectum hominis, nonne & illæ anam area-  
am in multis Provincias divident? Tollamus igit-  
ur de Terra primò illud magnum ipsius di-  
midium, quod sibi Oceanus ingurgitavit;

totque alia Maria , Freta , & Sinus , qui eam subintrant : deinde quantum ex ea paludes , Flumina Lacisque sepeliunt : quantum inde occupat vasta illa Montium immensitas : quantum feris assignant nemora & silvae ; quantum sibi Deserta solitudinésque depulantur : & quod per utramque Zonam frigidam gelu inhabitabile facit : quid denique supereft, unde Magnus cum veritate dici possit, qui id totum possideat ? ( M ) Alexander Macedonum Rex discere Geometriam infelix cæperat ; sciturus , quām pufilla Terra effet, ex qua minimum occupaverat. ita dico, infelix ob hoc , quod intelligere debebat, falso se gerere cognomen : quis enim Magnus in pūfillo est ? Interim tamen, dummodo super hoc exiguo Terræ cumulo mortales dilatare se possint, & in imo hoc Vniversi puncto, quod illa est, Magnos facere ; quis respectus ad inviolabiles Naturæ regulas habetur ? quæ obedientia sanctissimis Æquitatis legibus præstatur ? Ex quo alio fonte illi temerarij ausus & doli , violentiae & perjuria , prodiciones & parricidia, bella & prælia , unāmque Nationem confinibus proximis barbaram fieri, & hominem homini lupum ? heu ! quām male cognoscitur, quid nobis verè proprium ; & quālis ea magnitudo sit, quæ ex merito illum decet, qui ad majora natus est, quām quæ potest Natura etiam maxima fingere ! Oportet, inter stellas cum Scipione M. T. Ciceronis consistamus & de summo cælorum fastigio , quod

quò hominem virtus evehit, oculos ad hæc inferiora deflectamus, quò alicubi Terram vénemur: nam ubi non sine multo labore & oculorum intensione, vix demum illud pæne invisible punctum, quale prorsus ea esse videbitur, repererimus, tum scilicet cum illo, qui eam ceu retrimerunt vilissimum ex illo cacumine despectarat, profitebimur: (N) Hæc est materia gloria nostre, hæc sedes. Hic honores gerimus, hic exercenus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella etiam civilia, muriisque cædibus laxiorem facimus terram. Hæc, in quâ conterminos pellimus, furtóque vicini cespitem nostro affodimus. At ut quis latissimè rura metatus fuerit, ultrâque fines exegerit accolas, quotâ Terrarum parte gaudeat? vel cum ad mensuram avaritiae suæ propagaverit, quam tandem portionem eius, defunctus obtineat?

Ita fortasse in hunc, aut similem, aut diversum etiam modum, pro argumenti diversitate, Doctrina Moralis vobiscum sermocinabitur, si eam Geographicæ vestræ peregrinationis comitem habere volueritis. Nec sanè verendum, ut eius institutio non sit vobis plerunque perquam utilis futura: sicut Alcibiadi, paulum superiùs memorato, plurimùm commodavit, (O) ex Socrate Magistro suo memorabilem illam, super depicti Mundi Mappâ, prælectionem Moralem audivisse, quæ potuit hominem, fastu ac sui æstimatione prætumidum, ad se ipsum & intra modicæstiaz fines revocare.

B, Cæ-

Cæterum, quia in duabus reliquis Facultatibus abunde vobis ad manum erunt Geographi, omnium locorum notitiam; & Historici, omnium temporum memoriam proferentes; ego sola Moralia documenta vobis intimanda, mihi sumpsi; non quidem per id omne spaciū, quo se immensus ille integræ Geographiæ campus extendit; ne in omni loco, & quasi ad passus singulos institutionis causâ siletere gradum debeamus; sed in aliquâ solùm eius parte, circa quam mihi videbitur. namque in exemplum reliquarum arbitrabar posse vobis modicum istud sufficere, quod mihi modò scribere licuit; quando paulisper alterius, haud paulo difficilioris argumenti laboribus vacatio concedebatur. Ex qua eadem animi, per cogitationum demutationem relaxandi, causâ factum est, ut non aliam dispositionem, neque ordinem magis exquisitum voluerim locis illis, de quibus hic edissem, attribuere, quam illum, quo mihi fortuitò in mentem, atque hinc in calamum, sine discrimine venerunt. Illo præterea metu vos liberabo, ut ne putetis, in comitatu Moralis Prudentiæ necessum fore, continuò aurem concionibus commodare; negotium utique parum conveniens iter facientibus; de quorum numero sunt Geographi. Evidem vobis promitto, quoad vos Illa dēmum in Terram Sanctam deduxerit, intra solas naturalis Honesti fines progressurā; eā tamen moderatione.

Ad fol. 22.

**INSVLÆ  
FORTVNA  
T A etc.**

*A N U S A F*

*Portus Sanctus*

*Cameræ  
Superiorum*

*Madera I.*

*In sulæ Fortu*

*nunc*

*Salvages*

*Canariæ*

*Occidens.*

*Palma I.*



*Gomera*  
*Ferro*



*Teneriffa*



*Canaria magna*



*Lancerota*  
*Fort Ventura*



*Alagranca  
Gratiosa*

*C. Non.*

*Asinarij Promont.*



tione, ut, dum utilitatis gratiâ veritati studiebit, voluptati quoque ex Jucundo partes suas sit datura. Quare adverte poteritis, illam studiosè devitare, ne eiusmodi facta producat, aut illorum Auctorum verba, qui ad sacrum Suggestum pertinere videantur.

A. l. 21.c. 12. B. Plutar. in Demet. C. Saturnal. I.  
7.c. 2. D. Lucian. de conscrib. Hist. E. Sen. ep. 104.  
F. l. 1. Georg. G. Val. Max. l.9.c. 11. H. Lucan. l. 9.  
I. Sen. l.6 de Benef. c. 33 K. Stob. serm. 100. L. Sen.  
pref. l.1. Nat. quest. M. Sen. ep. 91. N. Plin. l.2.c. 68.  
O. Ælian. lib. 3. Hist.

## I.

## INSULÆ FORTUNATÆ; SPES AULICORUM.

**M**iseros vos, & me unà, si ad nomen Fortunatarum Insularum furor vobis incideret, unico huic ligno, quo, ab Europa per mille procellosissimi huius maris millaria a sportati, illas inquisivimus, ignem inijciendi. Id quondam fatuæ Troades fecerunt, quando earum ductor Æneas ad Siciliam appulerat. Ratæ enim, hancce Insulam ijs omnibus utique Fortunatam esse, qui domum alibi non haberent, statuerunt non longius mendicatum ire, ex ventorum arbitrio terram in mari quarentes: ubi enim meliorem inventuras? Igitur, ne vel retro ire, vel procedere ulterius liberum foret, classis inflammandæ consilium inierunt. Cui aliud non in-

cumbit, nisi temere harum Insularum oram legendo, duntaxat videre illas & discedere; exiguum damnum patietur, tametsi credat, eas esse, quod non sunt; quin potest voluptatis gratia, referentem illam fatidicam mulierem audire: quae cum per incognitum adhuc Oceanum velocissimo sue phaselo Carolum & Ubaldum deduceret, ubi e regione harum Insularum constiterat, ea ipsis enarrare capitur, quae de illis simplex antiquitas crediderat;

(A) *Hic nunquam infidas oleas florere; causisque*

*Dulcia de scopulis stillare, vel ilice, mella:  
Montibus ex altis liquidos descendere rivos  
Nectaris irrigui, suavi cum murmuris  
quando*

*Interea Zephyri molles, & rore tepentes  
Euri perpetuum, crudo sine flamine,  
Maium,*

*Et vernal sales clementi sidere spirant;  
Hic, ait, Elysios felici jugere campos  
Tendi, famrosam requiem sedesque piorum.  
Quod si quis eas sibi pro patria diligere, vitamque ibidem parabit degere, ubi id ei improspere evenerit, non nisi sibi eius rei culpam imputet; ut qui aliorum dictis in ea re crediderit, quam suis ipse oculis potuerat explorasse. Quid igitur vestri nunc vobis enunciant, quando has Insulas coram habetis ipsissimas, & discoopertas? nam quid mei de ijs referant, non amplius allubescet vobis cognoscere.*

Pri-

Primi illi inficitissimi picturæ auctores,  
 (B) quando eæ quodammodo in latte & fasciis versabantur; quidquid effigiare intenderent, subscribere ad pedem tabulæ solebant, quid esset, quod pinxerant; aut (ut verius dicam) quid id esset, quod ipsi esse voluerant: secus periculum erat, ne homo putaretur truncus arboreis esse, aut ovis pro cane haberetur. Ita mihi videtur necesse esse, ut, qui has Insulas ponè prætervehitur, in aliquo montis laterè prægrandibus litteris legere possit, hasce duodecim Insł. unum in cumulum conjectas, Insulas Fortunatas esse: aliter facile eveniet, ut qui illac transeunt, eas pro Infortunatis relinquant. Et quî non? quando eæ ad famam & opinionem in nullo eorum respondent, quæ tanti nominis majestas promittit: dum una ab Inferno, altera à Lupis appellata, omnes denique à Canibus, etiā Canariæ vocatae, & hoc nomine potissimum in Europa cognitæ; uti & à chorearum Canariarum genere quo, dā, inde adducto; & à Canariis aviculis, totq; anni tempore cantillantibus. Die mihi nunc, an nō de his Insulis longè sit verissimum, quod antiquus scripsit Geographus: (C) *de his nominibus expectari magnum Mirum rear. sed infra famam vocabuli reest?* Ita ut tota Illicij vis, quæ ex citari imperitorum desideria possent, iudiciosa nominis fraude, in mendacio famæ, in fabulatione Poëtices sit deposita: aliter enim, quantumvis earum bona nostris non inferiora forent,

forent, quis nisi mentis inops, eo solum consilio, quod plus barbararum chorearum, & Volucris Musicæ haberet, reliqua terrâ patriâ, tam furiosi Oceani procellis se crederet, in Fortunatis Insulis peregrinus & exul futurus?

Cæterum non est mihi hic propositum, eas vobis unam post alteram singillatim enumерare; id enim supervacuum foret: quoniam per se jam abunde ex his Insulis, earumque nomine patet, cuiusmodi sint Aulicorum Spes & Intentiones. Cæterum sufficiat, à me hoc argumentum accepisse: vestrum erit, ut ipsis super eo ratiocinemini; quoniam ego seni illi Veronensi apud Claudianum quam simillimus,

*Proxima cui nigris Verona remotior Indis,  
Beneatumque putat litora rubra Lacum;  
nunquam mihi persuaderi passus sum, ut pedem extra sepem mei, mihi que fertilissimi agelli efferrem. Nihil de Aulæ moribus visu cognovi; auditu vero vix paululo amplius quam nihil; hoc est illud modò tantillum, quantulum etiam qui non vult, audire tamen ex nimium argutis miserorum lamentis cogitur: qui eorum more, quos fuga remigij barbari Tuneto, Uticâ, Tripoli, Algerio dilapsos, cum catenis supra humeros, velut sonoro miseriарum suarum monimento, ad exorandum forte obolum circumducit, toleratas ærumnas etiam ijs recantant, qui succurrere non possunt.*

.Quod

Quod infortunatus Sertorius (D) ubi in Africa sibi memorari & describi Fortunatas Insulas audijt, consilium ceperit, perpetuum vale Europæ dicendi, & ventorum arbitrio ad eas vestigandas se committendi, neque insolens auditu mihi est, neque creditu difficile. Videbat, sibi à fronte, à tergo, à lateribus dimidium Mundum in armis circumfusum; oppugnatus primò ab una, deinde etiam ab altera potentissimarum factionum, Syllæ & Marij: centum millia hostilium oculorum, caput ipsius vestigantium; quando ipsi unicus tantum restabat in eiusdem defensionem: cùm audiret interim, ex constanti etiam Barbarorum famâ, de Insulis Fortunatis, *Essē in iis Elysios campos, & Beatorum, ut Homerus descripsit, habitationem,* quid miraculi est, quod earum desiderio caperetur? At enim tempestates in Mari occursuras? majores & periculosiores in terra tolerabat. Num vellet in externo solo vitam ducere, exul, & Româ suâ extorris? jam pridem in Europa patriam habere desierat. Et quamvis ex dimidio falsa esset eorum coñodorum expectatio, quæ illum ad externa loca protraherent; tamen ingens adhuc bonum erat, effugisse tanta mala, quæ cum ex omni parte in Hispania premebant, ac denique oppresserunt, à vilissimo proditore Perpenna violenter super eam interfectum.

Quod verò is, qui ad vitæ mercatum de industria

dustria accedit, quod sibi quam optimam nundinetur, omnibus sub oculos expositis, eas relinquat, quae nihil habent periculi; sed potius, si experientiae velit credere, plurimum securitatis, aut saltem quietis, utpote rivalem non habentes; quocum contendas aut dimices; non calumniatorem, & cuius maligna lingua quisca tueri queat, cum is a tergo ferit? non molestissimas animi ægritudines, quando meritis præmia non respondent; non pericula improvisorum caluum, quorum tam ingeniosa machinatrix est invidia contra omnes, qui insublime descendunt, seu proprijs viribus, seu ab extrinseco portati: & deniq; vitam, quae (etsi bona alia deforent) te tibi, ac tuum esse permittat: Hisce, inquam, relictis, nonne prodigijs instar fucrit, si ad eam accedat, pro qua in partem pretij, mox primò solvendam, propria libertas veniat, ad alterius arbitrium obligata? Quod dum dico, in mentem mihi venit Diogenes: (E) qui plurimum gloriari solebat, quod etiam minima in re sui dominium haberet: cum diceret, Aristotelem, Aulicum & Magistrum Alexandri, fameat, seu non, prandere debere, quando Alexandro placeret; Diogenem, servum suipius & herum, prandere, quando Diogeni allubesceret. Sequitur postea quotidianum laborum stipendium: quorum meritum frequenter minime attendit, qui solvit: dum a suo tantum arbitrio pendere vult, quantum accipias, scilicet tam caro emptum,

quia

quia tamen datur, non aliter te obliget, quam donum. Quoties autem, post plura laboriosissimæ servitutis lustra, mileros istos vel in principijs stare cernimus, aut etiam longius, quam cum incooperantur ad retrogradorum Planetarum instar, qui quod magis antorsum currunt, tanto plus etiam retrorsum vertuntur. Nihil memoro de vultibus, quos figuram tam varios, & celeriter mutabiles habere oportet, uti facies ficticias, aut personas in scena, quod totum aliud foris ostendas, quam intus sit. Non de peregrinis idiomatis, quæ necesse est ex proprio illo Vocabulario condiscere, quod docet, usitatis passim vocibus planè alium & diversum sensum tribuere: ubi duæ illæ *Ita* & *Non*, quæ alias pro polo Arctico & Antartico habentur, circa quos humana omnia negotia versantur, hic nequaquam puncta fixa sunt; & heu! miserum illum Nautam, qui juxta eas cursum suum moderari voluerit! Non de eo, quod amarissimam contemptus, injuriarum & contumeliarum aloen tam saepe, & grandibus bolis deglutire opus fit: ita tamen ut, tametsi venenum in corde, & nauseam in stomacho sentias, nihilominus vultu non aliud similes, quam si plurimæ notæ Ambraianæ ex ipso Juventæ pateræ biberes, ad scilicet Deorum epulas procillantis. Et hanc aiunt ibi legem esse, longè sanctissimam ijs, qui in Aula velint persistere; ut de se suique consilibus ille est fassus, quem (F) cum quidam in terra-

terrogāfet, quomodo, rariſſimam rem in Aulā consecutū  
eſſet, ſenectutem? Iniurias, inquit, accipiendo, & gra-  
tias agendo. Sed quorū me penetro? non ad-  
vertens, ſi quā longius processero, ubi nihil  
niſi tortuosissimæ fallaciæ, errores ac labyrinthi  
ſunt, neque viam me, neque exitum in-  
venturum. Sistamus ergo hīc periodum, quæ  
ſuper nundinis eligendæ vitæ eo fine cepta  
fuerat, ut videre mirarique liceret, magicam  
illam vim, quam Spes habet, nimium credula  
cupidorum vota tantopere incantandi, ut pu-  
tent, fere insulas haſce Fortunatas ſub ipla  
camporum Elysiorum ſpecie videre, ubi ſub  
iplum primum aditum beati fiant; dum ijs in-  
terim celat, quantum ibi periculorum in itine-  
re, quantum miferiarum in termino adeatur.

Eat nunc Plinius, & queratur, quod inau-  
rando puppes, & mille phaleris ornando late-  
ra, & pingendo roſtra navium (G) *pericula pin-  
gimus*: quaſi iſtā amanissimā ſpecie animus di-  
ſtrahatur, quo minūs ad interitūs & naufra-  
giorum, in quæ nos illæ tam ſæpe portant, pe-  
ricula advertat. Neque enim eſt, qui propte-  
rea navem conſcendat, quod bella ſit: nec id  
circo quisquam dubio ventorum flatui ac for-  
tunæ ſe fortunásque suas committit. Id ta-  
men facit, qui ſolā illa exteriore amoenitate,  
quam Aula præſefert, deceptus, totum ſe fal-  
lacibus Spei ſuæ auris permittit: & per ſuſnam  
ſimplicitatem credens, eas tam fideles eſſe in  
præſtando, quām liberales in promittendo, va-  
dit

dit cum illis etiam longè à natali terra , ibi  
mergendus , ubi æquor est profundissimum :  
neque intelligit fatuus, sub illâ malaciâ furio-  
sissimas tempestates dormire, quibus excitan-  
dis vel unicus ventorum sibilus sufficiat. Sed  
neque de aquarum montibus adhuc aliquid  
novit , quos paulo post supra illud, modò æ-  
qualissimum Cæruli planum, videbit se in pe-  
des attollere ; & tanquam vivos, sed furiosos,  
inter se concurrere , frontes frontibus, lateri-  
bus latera collidere , & demum supra caput  
ipsius in frusta diffringi. Tunc nempe, quod  
Poëta Hipponax (H) nubentibus dixit , eos  
in vita sua duos habere dies quam lœtissimos ;  
unum nuptiarum, quo nova sponsa eis in do-  
mum adducitur ; alterum exequiarum, quan-  
do mortuam foras emitunt ; ita certo modo  
etiam hic; nescio, uter dies ijs sit lœtior ; isne,  
quo in aulam intrarunt , bonorum, quæ ibi  
maxima expectant , spe decepti; an ille, quo  
inde exēunt, maximis, & eorum expectationi  
oppositis malis onerati. Sed demus, nulla ibi  
adversa , nulla infortunia incurri , an parum  
illud vobis videtur , semper ex spe vivere ?  
semper à ventorum arbitrio pendere ? nihil  
habere , nisi ubi alteri placuerit dare ? & non  
longè majori jure hic repetas , quod Aletes  
Goffredo, dicenti, ad alendum exercitum in  
terra , oportere naves onerarias habere in  
mari, quæ annonam comportarent; non sine  
stomacho respondit :

Ergo

Ergo tibi à ventis malefidis vivere pendet?

Verum nimis multi sunt, qui cum Galba somniant (1) Fortunam cum duabus aureis clavibus (quibus ipsam stulti credunt thelauros honorum & opum in custodia tenere) ipsis ante ostium stare, pulsare, & dicere. surge, & sine mora aperi; deinceps enim me unicè tuam habebis: & si vel pauxillum morentur, minariabitum aë discedere; ita ut postea inertiae suæ pænitentes, frustra eam quæsitiuri sint, nusquam amplius reperiendam. Ita à se ipsis persuasi, ubi etiam Astrologi forte prædictio quædam accesserit, qui natalium siderum posituram auguratus, subito ipsis invenerat ea bona in cœlo, quæ ipsi nunquam invenient in terra; tum equidem tam certò sibi asseverant, grandem umbram grande corpus esse. ut ad instar fatui illius Æsopici canis, jacturam sibi pro lucro ducant; atque ultro panem ab ore dimittant, quod id expeditum habeant, ad illam tanto falsorem, quanto majorem, panis imaginem, quæ unicè ipsis ante oculos obversatur, avidissimis dentibus appetendam. Ut igitur ornatum vestium, & majus etiam, quam pro conditione famulitium sibi circumdant; & quod plus est, aditum sibi interim emant, & longas illas viarum ambages, per quas in sublime conscenditur (sicut flumina in planicie sæpe leucam in unius passus spatio consumunt) ambitiosissima luxus æmulacione eosque majorum parsimoniam expendunt,

dunt, donant, profundunt, donec ipsa patrimonia & familias exhauserint. Et si ipsos rogabis, tantum alijs dando quid tibi reservas? (K) ut olim Perdiccas Alexandro dixerat; qui, cùm in procinctu staret invadendæ Asiar, Europam alijs prodigaliter donabat: respondebunt non minori; quām ille, magnāimate: non aliud mihi, quām spem meam reservo. Itaque fortunā suā tam contenti incedunt, ut nullus Alchimista magis: qui licet nummum non habeat, quo cras einaciatum corpus sufficit, nihilominus jam hodie cum Lapis philosophico, quem inquirit, haud secus quām si eum jam haberet, aureos fabricatur mundos; in iisque habitat; regnat, & quoscunq; vult, locupletes facit; séque ipsum, quantum lubet; beatum.

Profligatis autem hunc in modum facultatibus, Spes aurea illud quoque præcipuum auctarium adiici jubet, suām ipsius servitatem: imò quidquid priùs datum fuerat, direcetè ad hoc ordinatur, ut sibi Dominum emant. Nomen Hippocratis, & gloria, quam ex re Medica parem scientiæ meritisque suis consecutus erat, sicut effecit, ut in hac arte pro Oraculo haberetur; ita, cùm in Persiam quoque penetrâsse, tantum in Rege desiderium accedit eius viri pñnes se habendi, ut missis legatis hominem ad se evocârit. Sed necquam. Hippocrates enim haud ignarus, non minùs ad animum, quām ad corpus pertinere

C

Apho-

Aphorismum illum, à quo Cornelius Celsus  
 (L) Regulas conservandæ valetudinis exor-  
 sus erat: *Sanus homo, qui & bene valet, & sua spontis  
 est, nullis obligare se legibus debet; negavit, se tan-  
 tum iter velle suscipere, ut denique in ser-  
 vitutem incideret.* Cùmque legati reponer-  
 ent, servitutem eam quidem esse, sed sub  
 Rege; & quali illo Rege? veniret modò; (&  
 fidem illi suam cum juramento oppigneran-  
 bant) deprehensurum, quod bonum Domi-  
 num haberet: prudentissimus senex è vesti-  
 gio respondit: (M) *Domino ne quidem bono mibi  
 opus est; quando per id, quod bonus est, nec  
 illi minuitur excellentia ut Domini, nec sibi  
 subiectio, ut servi: Ego sanè, cùm liber sim  
 natus, & meus ipse herus, tametsi omne Re-  
 gis vestri aurum in unum par compedium  
 conflaretur, pretiosissimis etiam, quas habet,  
 margaritis incrustatum; idque eâ conditione  
 possum meum facere, si illi pedes immitterem;  
 non equidem id unquam fecerim: nam quan-  
 tum quis incipit esse alterius, tantum definit  
 esse suus. quis autem potest tantum ex ad-  
 verso recipere, quantum dat, si seipsum dedit?  
 Quod si rectè consideretur, nequaquam mi-  
 rabile videri debet: quando ille quidem ser-  
 vitutem intuebatur ut servitutem; hi verò,  
 de quibus modò loquimur, ex adverso idem  
 esse autumant servire, quod imperare. Hic  
 ipse nimirum ille apex est, ad quem servitus  
 aspirat: radix quidem amara; sed cuiusmodi  
 fructu-*

fructuum mater sit, neminem scire, aiunt, qui non dulce illud delibet, quod est, cerne-re, se aliquid, nescio quid, alijs amplius ac maius esse: vaporum instar, qui de humili pa-lude super solis radijs, à quibus in altum at-trahuntur, elevati, tam altè ascendunt, ut celsissima etiam Appennini culmina supergre-diantur; ubi, jam velut non amplius res terre-stres, nubes effecti, cælum inambulant: re-splendent, ut inauratæ; imò intus merum au-rum & lux sunt: quibus desuper incumbunt, hos grandi sua umbra protegunt: salutaribus nimbis fæcundant terram: cùm tonant, or-bem fragore & metu implent; neque laetus ulla est, quæ ab ipsorum fulminibus defendat. Ecce pro qualibus, sese venditent? prorsus in eum modum, quo toties memoratus Dioge-nes: (N) nisi quodd illi intus in corde clausum tenent, quod Philosophus ad sonum tubæ pu-blicavit; quando in forum missus, evocato populo (non ut alias præcones solent: *en ser-vus vendibilis! quis eum addicit?*) altissima voce pro-clamavit: *quis vult sibi herum emere? prodeat, & emat;* ero ipse. Ita omnino intus de se existimantes, quanquam totum aliud foris præferant, euge, videamus illos tandem beue ominato pede dextro antè levato, lætissimâ spei & ex-pectationum suarum turbâ circumdatos, in-trare ad Insulas Fortunatas, & Aulicos esse factos. Sequitur nunc, ut quid ibi reperiant, videamus.

Seneca, ubi Philosophum naturalem agit, non potuit ignoscere nimis protervæ, ut ipse putabat, licentiæ Virgilij & Homeris qui non contenti verisimilitudine, intra cuius fines ille vult continere Poëticen se debere; usque ad manifestè impossibilia procurtissent; quem negat ipsorum campum esse, siquidem velint ex Regula & arte invenire atque excogitare. Audite, ait ille, quomodo de ventis tam impossibilia fabulati sint, ut tolerari non possint:

(O) *Nimborum patriam, loca fœta furentibus austris*

*Æoliam venit! Hic vasto Rex Æolus antro*

*Luctantes ventos, tempestatesque sonoras*

*Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.*

*Illi, indignantes magno cum murmure, montis*

*Circum claustra fremunt. celsâ sedet Æolus arce,*

*Sceptra tenens; mollitque animos & temperat iras.*

*Ni faciat, maria ac terras, cœlumque profundum  
Quippe ferant rapidi secum, vertantque per astras.*

*Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,*

*Hoc metuens; molémque & montes insuper altos*

*Imposuit; regémque dedit, qui fædere certo*

*Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.*

Quomodo, per Deum! claustra ventis ponere, & cavernæ os immenso rupis frusto obturare sit possibile, & ita omnem rimam ac spiramentum obsignare, ut nullibi perflare possint? nam si ventus clausus est, est & mortuus: quod si mortuus, non spirat: at non spirat, nisi aperto aëre. (P) Hoc non intellexerunt: nec id, quod clausum est, esse adhuc ventum; nec id, quod ventus

tm est , posse claudi. Nam quod in clauso est , quiescit :  
aëris statio est ; omnis in fuga ventus est . Ita ille : &  
ego non minus , imò magis admiror , ipsum  
non vidisse , quod Pecta male viderat . Quo-  
modo enim ipse , ut Philosophus , non intelle-  
xit , posse ventum in vacuo speluncæ alicuius  
concludi , quando ut Palatinus . id continuò  
habebat ante oculos in Regia sui Neronis ? ubi  
ipsemet unus eorum Ventorum erat , qui in  
illa grandi Caverna , & Carcere malorum Spi-  
rituum obserabatur : blandus ille quidem , non  
nego , & cæteris amænior ; quam multos ta-  
men ille cernebat intumescere , fremere , cir-  
cumvolare per illas Palatinas aulas & concla-  
via , inquietos , turbidos , violentos , inter se  
depræliantes flamine occultarum calumnia-  
rum , aut turbinibus apertarum inimicitia-  
rum , tanto cum furore & fremitu rixas suas  
debacchando , ut Æoli poëtica spelunca nec  
tertiam vesania huius partem figmento suo  
æquârit . Novit enim Orbis motus illos , tem-  
pestates , & concussions , quibus iij turbave-  
rant omnia , & in dies singulos misera Roma  
affligebatur ; videns , in sublime evolare eos ,  
qui in fundo jacuerant ; & in præceps ire , qui  
in apice steterant : histriōrem quempiam ,  
cytharædum , libertum uno die ad tantos ho-  
nores atque opes pervenisse , quantas eodem  
Patricius aliquis , Senator , aut Consularis ami-  
serat ; hæreditatem nempe , à pluribus retro  
seculis majorum industriâ congestam . Et si

C ;

verum

verum fateri volumus, non est ulla Aula, quanquam integerrimi Domini, in quam non quadret nomen illud *Dominus Venterum*, quando tot planè inibi Venti sunt, quot vota & spes eorum, qui ad eam accedunt. quanquam illæ aliâ quoque ratione ventis sunt perfimiles, quod naturâ suâ pendere, nasci, & consistere soleant in aëre, spirare, & pæne vivere ex aëre.

Quia verò ex unâ parte rarissimum est, & par prodigo, ut se homines ad libram revo- cent, & sincerè deprehendant valoris sui pondus; cōque cognito nihil ultra merita sua præsumant: ex alterâ verò tota illa præmio- rum summa, quæ in Aulis partienda propo- nitur, longissimè infra numerum, desideria, & merita Competitorum esse solet; hinc or- dinariè accidit, ut multi simul in ea manus inijciant, conentúrque singuli id ad se rapere, quod non potest nisi uni soli obtingere: quæ proin novarum litium, odiorum, & rabido- rum conflictuum est sementis. Adhæc Domi- ni ipsi, quibus tam diu studiosè servitur, quām diu in manu habent, quo servitutem remu- nerentur; confuevēre in longum ducere suo- rum spes: & quod Democritus tantum ad tri- duum potuit, ipsi etiam in multos annos fa- ciunt, scilicet famelicos ore hiante, solo panis odore sustentare. Evidem quantum ad id attinet, quod dixi de non modico illo, quod in Palatijs hoc ipso modicum est, quia tolera- tur cum multis; dignum planè generosissimi Prin-

Principis Traiani factum fuit, quod Dion Historicus scriptis adnotaret ad memoriam sequentium saeculorum, & exemplum Dominantium, quicunq; nomen Magnanimi & Gratiæ estimare sciunt. (Q) Devictis prælio Dacis, & reportata insigne, sed cruentâ victoriâ, ingens sauciorum multitudo in sua diversoria ad curationem corporum referebatur: quando Traianus, ut qui impenso suorum sanguine gloriam sibi victoris comparasset, agnoscens, quantum ipsis deberet, priusquam sua sibi arma detraheret, ac fesso corpori quietem daret, ut erat pulvere, sudore, & sanguine perfusus, cœpit ipse metu mirâ sollicitudine eorum obire tabernacula, propriisque manibus obligare plagas, & medicamenta adhibere; tantâ fraterni in eos amoris demonstratione, ut ij, quos fortuna integros prælio eduxerat, ægris sua vulnera inviderent: idque tunc longè adhuc magis, quando, deficiente ligamentorum materiâ, quibus laceri artus, & barbaris frameis fædè amputata membra involverentur, ipse detractam sibi ab humeris purpuram, in quo potuit, fasciolas & vincula discidit, quibus gloria eorum vulnera vinciret. Cùm verò tantus sauciorum numerus esset, quibus una veltis sufficere non posset, necessitas fecit, ut alij purpurâ, alij communilino & centonibus obligati viserentur. Quâ in re neutiquam inculpari optima Traiani voluntas potuit; quæ utique excusationem

merebatur, quod aliud agere non posset, quam illud dividere, quod si omnibus ex æquo participare vellet, portento opus habebat, quo id multiplicaret. Iam vero nimis multi sunt eorum, qui bene meriti, ac male vulnerati, sine alio emplastro dunt taxat honorificâ tali fascia ligati, mox se crederent ex integro curatos esse. Verum brevioris modi pannus, quantumcunque in subtilestæ tænias dividatur, non potest par esse omnibus; necessariò ergo fiet, ut pars major quam optimè secum agi existimare debeat, si eorum saltē necessitati provisum erit, quando ad modum desideriorum suorum, aut fortasse etiam meritorum, ornari honoribus non potuerunt.

Hinc ecce! secundum genus studiorum Palatinorum; dum se omnes laborant prohere, & per medium addensatæ turbæ per rumpere; alij quidem per se, alij quærendo à quibus antrosum propellantur, aut efferantur; alij rationes suas & merita ostentando conentur efficere, ut ad cupitum honorem velut bona sorte electi videantur. ubi videre est artes illas machinasque, quibus se singuli protollere longius & concertantes retrocon ijcere contendunt. Quâ super re prò Dij! quantum scribi non posset? Verum non est id mei negotij. Prodeat euidem Stoicus, & id nobis ad vivum ponat ante oculos, sub imagine, si minus propriâ, certe quam minimum differente. Ubi ingens ille Romanus populis in

in theatro ad spectacula convenerat, confuc-  
verant Imperatores plenis manibus ex alto  
ligneos globulos in turbam spargere: quibus  
schedulam incluserant, & fortuitum aliquod  
donum certis notis conscriperant; modò e-  
quum, modò ensem, aliàs pateram; quin imò  
domum aut villam: majorem autem partem  
paleis infererant, intermixtis solum muneri-  
bus illis, & pretiosis, & non paucis; uti præter  
Senecam, etiam pluribus locis abbreviator  
Dionis & Suetonij, memoriae mandavit. Igi-  
tur ad principium desideratæ grandinis, to-  
tus populus ex spectatore spectaculum fiebat,  
intricatissimâ inter se rixâ & pugnâ confusus;  
inermi illâ quidem, sed non incurvantâ; neque  
mitiore, quam cum gladiatores veris odijs  
depugnabant. Irruere universi, & cadentes  
orbiculos pro se quisque velle arripere: hi pre-  
hensos in confertam turbam coniçere; alij ab  
invadentibus prosterni, vulnerari, conculca-  
ti: isti ad manus inter se venire, seu defendere  
placeret, quod obtigerat, seu alienum eripere  
alteri. Et hinc populi perturbatio, fluctus, &  
tempestas quædam; fremitus & clamor; per-  
inde ut si interitum Urbs vel Orbis minare-  
tur. Peiusne aliquid accidere potuisset, si peri-  
culis & infortunijs, non gratijs, pluisset? ita lô-  
gè plures malè habiti domos redibant, quam  
quibus minimæ tantum sortis portio obvenis-  
set. Longè igitur facebat à theatro, qui sapit;  
( inclamat Stoicus ) longè à tam noxijs con-

- C §

certa-

certationibus. (R) Prudentissimus quisque cùm primùm videt induci munuscula , à theatro fugit; & scit, magno parva constare. nemo manum conserit cum redente; nemo exequentem ferit: circa præmium rixa est. Idem in his evenit, quæ Fortuna desuper iactat. Aestuans miseri, distringimur; multas habere cupimus manus: modò in hunc, modò in illum respicimus; nimis tardè nobis mitti videntur, quæ cupiditates nostras irritant. & post paululum ; secedamus itaque ab istis ludis, & demus raptoribus locum: illi spectent bona ista pendentia, & ipsi magis pendeant. Mutato nomine Theatri in Palatium, & in vicem imaginatitiae Fortunæ Antiquorum substituto eo, qui in manu habeat ea bona, quibus possit aliorum desideria & expectationem exsaturare; totum reliquum aptè conveniet ad propositum. sicut etiam illud , quod idem Seneca alio respectu scripsit ; sed utinam non etiam in competitribus duntaxat unius domus , circa idemmet bonum , ab omnibus pariter prætensem, verificetur : non alia, quam in ludo gladiatorio, vita est, cum usdem viventium pugnantiumque.

Supereft denique videre tormentuni, quo iſtorum Spes velut in equuleo tenduntur. Quia in re fortè paradoxo simile videbitur, si dicam, eas quò longius ducuntur, eò securius trahi: & quantò tormentum istud majus est, tantò fieri tolerabilius, aut magis necessarium toleratu: secus, qui impatientiā victus discederet, quantò diutius jam servislet , tantò plus prætensionum amitteret : Ita ut, si ex vero judicare

care volumus, merita à servientibus collecta, pignus sint, quod Dominus in manu habet, ne relinquere illum iij possint, quin plurimum perdant. Unde jacturæ metus eos tenet servituti obnoxios, & injuriarum patientes; ubi è contra Dominus non alio vinculo se obstrictum putat, quam Decori vel Gratitudinis, in quantum homo sit; & Generositatis, in quantum princeps. Præterea sicut miserorum est proprium, supersticiosos esse, & ex omni re augurium capere; ita qui diu ac sicutienter sperant, persuasum sibi habent, siquidem hodie tam cruciabilis acciuturnæ expectationis fulum abrumpant, haud dubie cras tam diu suspiram Fortunam adfore: quare si eos non invenerit, quid demum ijs, nisi cum damno etiam probrum restare? sicut illi, qui tædio navigationis ad Orientis Indias, post quinque aut sex menses superatos, quando jam continentiam vicinus est, ut prosperis ventis post unum diem illas posset contingere; irâ incitatus in obliquum flecteret navem, & in scupulos frangendam impelleret.

Non igitur hîc locum habet ridiculus jocus Spartani illius Pausaniae: qui, præter artis commendationem, etiam pietatis laude ad cælum usq; efferebat illos medicos, (§) qui infirmos non patiebantur lentè, & quasi unciatim perire, ac per membra singulatim emori, sed citò paucis diebus miseros expediebât, patientiam eorum in compendium colligentes. Neque illud

Iud Julij Cæsar is dictum: (I) qui cùm in Xe-nophontis Historia longum morbum, & diffi-cilem mortem legeret, quâ Cyrus, à pruden-tissimo illo scriptore in exemplum Heroum propositus, occubuisset; sui interitus vates, abominatus est id lethi genus. & amicis quæ-rentibus, qualem ergo sibi optaret? subitan-eam respondit: quam postea nactus est, virgini tribus vulneribus, ad ipsam Pompeij statu-am, in senatu confossum. Tam expeditum fi-nem Spes aulicæ non consequuntur: omnes phtisi einoriuntur, loquentes & sibi multa promittentes, ac in futurum designantes; ne-que tamen advertentes, se in prælens egentes esse. Qua in re eiusmodi prodigia eveniunt, ut, qui ea narrari audiunt, nisi oculis quotidie viderent, possentque ipsi testimonium jura-tum dare, gravatè fidem adhiberent. Certè si quid simile in ordine rerum naturalium ali-quando observatur, in miraculis habetur, & vix credi solet. (V) Grandis Platani truncus ab radice excisus, posteaquam securibus aſci-ſque decorticatus, complanatus, quadratūſ-que tuerat, & ex arbore vivâ cadaver, id est, mortua trabs effectus, denuo cœpit regnare & germinare: emisit gemmas & furculos; ac deinde folia quoq; cum ramis; denique & ra-dices in terra, atq; ita iterum viva arbor fuit. quod si ille cornibus commissus intra muros ad portandum solarium, ita effloruisset, pro-fectò jam neque Babylon hortum pensilem paris

paris miraculi habuisset. Cæterum non volo  
ego dicere, an mihi unquam eiusmodi Pala-  
tina Platanus conspecta sit: sed vos ego in-  
terrogo, utrum recordatione anteactorum  
temporum meminisse possitis alicuius, qui ra-  
dicitus abscissus, dedolatus, unāque & folijs  
& tamis amputatis, ex arbore in nudam tra-  
bem formatuſ, ita fuerit emortuus, ut in eo  
etiam sempervivus ille viror, & ( liceat ita  
appellare ) secunda ipsius anima expiraret;  
hoc est, Spes illa, aliquando recrescere se posse,  
repullulare & in pristinā conditionem replan-  
tari, à qua ( Dij norunt, qua ex causa ) fuerat  
evulsus? Quod si ita est, quantū difficilius sic-  
cabitur aut extinguetur ista spes in ijs, qui  
eam etiamnum florentem, & pro radice mul-  
torum annorum merita habent, seu vera, seu  
existimata? quibus adeò firmi insistunt, ut ne-  
que ventis cedant, aut validis impulsibus; ne-  
que mutationi climatis; neque frigori aut  
brumæ. Quid jam fieret, si Palatinæ Spes non  
ex genere Palmarum essent, quarum ubi nu-  
cleum terræ mandaveris, exin non nisi post  
unius sæculi decursum, primos legere dacty-  
los liceat; sed eius generis, quæ mox ab insi-  
tione, ac deinceps perpetuò fructum ferrent?

Insanas antiqui vocabant certam vitium  
speciem, ( X ) quæ eodem tempore, ijsdémque  
palmitibus uvas, alias maturas, alias tur-  
gentes primùm, alias adhuc in flore habent:  
itaque præbent jam maturatas, excoquunt  
adhuc

adhuc acerbas, promittunt insuper etiamnum florentes. Jam isti, quando ad investigandas malè creditas Fortunatas Insulas se accinxerunt, existimarunt fortassis, omnes plantas ibi reperiri, comoditatum, honorum, facultatum, & quidquid insuper venusti, jucundi, ac deliciosi in hortis potest excrescere, æqualiter, id est prodigaliter feraces: cùm tam, ubi illæ post multos Autumnos & inclementes hyemes, ad nuda Spei folia aliquos flores promissorum adjungunt, hoc totum illud Grande sit, quod expectabant. Audite id potius ex eo, qui Aulæ, & magnificentiæ Imperatoris Theodosij laudator fuit, quām ex me: (1) Cùm hactenus, ait, naturâ esset statutum, ut bona sua homines nescirent; & tunc primum inciperent feliciter gandere, cùm capissent esse felices; tu, promittendo præstanta, invenisti tempus, quod nobis natura substraxerat: ut quos adeptæ solūm iuvabant, etiam adipiscenda delectent. Quod si ergo dicere debeo id, quod plerumque videmus contingere, ecce pro conclusione totius discursus symbolicam imaginem, Spes hominis aulici (nam de his solūm mihi sermo erat) repræsentantem: & est ille (2) quicunque demum sit, quem Polignotus depinxit in scalæ medio, cum gressu tam artificiosè incerto & æquivoco, ut quocunque latere eum spectatores intuerentur, semper pars media ascendere affirmarent, alteri jurarent descendere: tanta erat veritatis in utrumque conformitas





mitas, ut ascensus ipse credi posset descendere, ac descensus ascendere. Ita profecto idem contingit in Palatijs, quod de Regia sui Amoris olim Poëta cecinit.

(44) *Somnia, & errores, simulacraque pallida rerum,*

*Regalem circumstabant denso ordine sellæ.  
Excubat in foribus fallacis Opinio Veri,  
Sollicitæq; sedent fulgenti in limine Curæ,  
Et Spes, & timido ridens Fiducia vultu:*

A. *Torq. Tass. Cant. 15. str 36.* B. *Ælian. ver. Hift. l. 10.* C. *Solin. c. 60.* D. *Plutar. in Sert.* E. *Laërt. in Diog.* F. *Sen. l. 2. de ira c. 33* G. *l. 35. c. 7.* H. *Stob. ser. 66.* I. *Dio. l. 64.* K. *Plutar. in Alex.* L. *l. 1. c. 1.* M. *Stob. ser. 66.* N. *Laërt. in Diog.* O. *Æneid. 1.* P. *l. 6. Nat. quæst. c. 18.* Q. *Xiphil. in Traia.* R. *Sen. Ep. 74.* S. *Plutar. in Apopht. Lacon.* T. *Sueton. in Jul. c. 87-Plut. in Cæs.* V. *Plin. l. 16. c. 32.* X. *Plin. l. 16. c. 2.* Y. *Pacatus in Paneg.* Z. *Plin. l. 35. c. 9.*  
Aa. *Petrarch. c. 4.*

II.

**ÆTNA M.  
INFAMIA, FRÆNUM  
LICENTIÆ.**

**V**BI primùm nobis in conspectum venere amplissimi illi sinus, florentissima litora, & colles primò leniter acclives, mox arduo ascensiū semper magis difficiles; tum superba rupes, grandi ambitu fastigiata; vasta illa dorsa, & propemodum inaccessa, hic nemo ibus confi-

consita, illic atentis cinere pallida; & horridæ præcipitijs cautes; denique rigentia nivibus juga, & immensæ voragini os, semper fumum flammásque exhalans; tametsi tacerem, vos ipsi adverteretis, nos ante Montem Ætnam consistere. Itaque nec Poëtarum, Ora- torum, & Historicorum face, qui illum varijs scribendi formis effigiarunt, ad hoc nobis opus est, ut eum videamus; nec etiam Ætnæ ipsi, quæ sibi abunde lucis dat, seque videndam præbet. Imò ipsi gratias habeamus, quod nobis non plura cognoscendi sui indicia faciat; horrendos intra sua viscera mugitus; & foris, per illum grandem rictum, fremitus ac tonitrua, quibus terra succutiatur; & torrentium igneorum effusionem; densissimi fumi turbines, usque ad nubium confinia ejectos; erumpentia identidem fulgura, & terribilem tumultum sævientium intus fulminum; &c, quæ post hæc consequi solet, ardantium lacerati montis viscerum, hoc est ingentium petrarum densam tempestatem; omnémque circà regionem, usque Taurominium & Catanam, fumantis adhuc cineris procellâ fædè inundatam ac sepultam.

Iam si hic non est Caminus quidam Inferni, cuius scintillæ, & accensæ fuliginis flocci, nobis videantur esse Incendia, quid aliud erit, quod conservet, nutriat, & in tantos furores incitet istam semper vivam & bullientem fornacem? unde illi alias tam abundans materia,

teria, quæ vastissimi oris, viginti stadia circui-  
tu suo complectentis, insatiabilem possit vo-  
tacitatem exsaturare? Interrogate Philosō-  
phos, qui securè per omnia pervadunt; & su-  
per cœlos, & int̄a Oceanum, & sub terra,  
quodcunque volunt, pavident, aliisque  
etiam videndum demonstrant; hoc est, im-  
mensas cavernas, & subterraneos aquarum  
ventorūmque ductus, venas inextinctorum  
mineralium, crassos & pingues vapores maris,  
& quid denique non? quæ ipsi ad miraculum  
usque denarrant. Ego ut vobis nihil minus,  
quam ipsi, edisseram, ad Poëtarum partem,  
fidissimum hominum genus, accedam: qui,  
uti videbitis, non sunt aūsi, velut ab se conspe-  
ctum vulgare, quod auditu tantum acce-  
perant. Unde de causis Ætnæ incendijs, & ex-  
traordinariarum commotionum, hoc duna-  
taxat edicunt:

(A) *Fama est, Etteladi semiuastri fulmine corpili  
Urgeri mole hāc; ingentemque insuper Ætnam  
Impositum, ruptis flammam expirare camini:  
Et scissim quoties mutat latus, intremere omniem  
Marmure Trinacriam, & celum subexcere sumo.*

Sic illi quidem exponunt. Et sanè eos per-  
libenter ausculto propter utilissimam doctrinam,  
quam pro suo more, nobis sub velo aē-  
monorūm versuum & figmentorum instil-  
lant; nempe Improborum Condemnationem  
ad Infamiam: quæ ad hoc nata est, ut Iu-  
stitia punitivæ sententiæ contra sonentes ex-

quatur, maximo sui terrore apud omnes relictio: cum ipsa sola sit, cuius manibus frustra sit se velle subducere; quis enim eam effugiat, quae te punire potest, etiam ubi non es? hac ratione immortales faciens eos, qui mortui sunt; sed duntaxat ad supplicia immortales & ita claros, ut quantumvis sepulti, tamen in omnium conspectu sint; non alio lumine quam illius incendij, quo torquentur. Et haec quidem pena plerumque ijs reservatur, qui, cum ob excellentiam sui gradus inter homines non habeant, qui eorum sceleta possit pro merito castigare. Infamia saltem post mortem eos omnium arbitrio exponit, ut de ijs judicare statueréque ad Iustitiae normam libetè possint. Unde prout cuique libuerit, eorum ossa proculcando inquietant; millies exurunt eorum statuas; ita eorundem memoriam contaminant, ut mundus eius fatorem sentiat: crucifigunt eorum facta, lapidibus obruunt eorum posteritatem, nomen sagittis confidunt, & quidquid aliud novit & potest patinarum infligere, cui id tam prodive est facere, quam manum ad scribendum, & linguam ad loquendum expeditam habet. Tale igitur est supplicium, quod Infamia infert, supplicium Enceladi, Gigantum, magnorum virorum; prudentissime constitutum, justissime adhibitum, utilissime formidatum.

Aufer, sodes, ab cervicibus hominum timorem pape malefactoribus impendentis, simul

mul à caverna Æoli grande illud saxum ab-  
stuleris, quo, velut sigillo obturata portæ, te-  
sebantur venti in carcere, ac procellosi turbati-  
nes ad catenam ligati: nam aperto exitu, vin-  
culisque solutis,

*Quà data portarunt, & terras turbine perflant.*

Turbulentæ mortalium passiones æquæ  
naturâ discordes, quàm venti inter se quali-  
tate locisque sunt contrarij, si facultatem  
nanciscerentur pro libidine agendi. totum  
mundum everterent. Igitur Regentum mü-  
nus est, eas in singulorum pectori obserare,  
intus, ferarum more in caveâ, fremant, de-  
bacchentur, perfurant pro suo libitu; erum-  
pere inconcessum sit, metu, cohibente, ne  
temeritatem præsentariâ pænarum sanguini-  
nisque multâ lucre debeant. Siccine autem  
publico bono satis provisum fore putatis;  
quando Regentes, qui plus alijs possunt, sibi  
ex libito, ut Poëta loquitur, impunè facere li-  
citum possent? &, quia ipsi aliorum sunt Ca-  
pita, quos pedibus suis habent suppositos, ni-  
hil suis ipsi capitibus timerent? Pro respon-  
sione accipite documentum Senecæ, ex utra-  
que Philosophia, naturali simul & morali de-  
sumptum. Uspiāmne tellus capita habet sub-  
limitate magis excellenti, quàm altissimos  
montium vertices; qui propter suam emi-  
nentiam videntur propinquiores cœlo esse,  
cui caput inserunt, quàm terræ, quàm pede  
praemunt? Ex adverso aliquidne potest imo-

vallium, quæ ad ipsorum pedes adjacent, esse abjectius? & tamen illa Celsitas plurimum habet, quod ab isto profundo timeat: quandoquidem hic colligitur, indéque in aërem sublevatur subtilis ille vapor, qui naturæ artificio ibi, velut in Vulcani officinâ, ita elaboratur, temperatur, & in terribile fulmen accenditur, ut exitium misero illi monti impendeat, in cuius verticem irata nubes illud ejaculabitur. tanta ei vis inest ad diffindendum, & pæne dixeram, in frusta comminuendum Caput. Hoc autem fulmen est publicus sermo etiam humilium è plebe hominum; terribilium, quia multorum, quando in execrandis Magnorum flagitijs conspirant; fulmen promeritæ Infamiae: quam securè illo nomine appelles, quod Seneca fulmini imposuit, (B) *inevitabile malum*: & eo modo necessarium, quo omnia illa bona, quæ sunt maxima; (C) *ad conterrendos eos*, *QVIBVS INNOCENTIA, NISI METU, NON PLACET.*

Porrò quām sit inevitabile, paulo post videbimus. Nunc verò quām profundè id in viscera penetret, quāmque eius sensus sit intolerabilis, ipsa nobis Dominantium conditio demonstrat: quos videmus famæ plus quām sibienter esse percupidos, & minimarum etiam lascionum honoris sui, non aliter, quām si in vivâ carne tangerentur, impatientissimos. Ideoque sicut natura pro materno suo amore & providen-

videntia omnibus hominibus generale illud antidotum inseruit, quo à præcipitio in vitiis cohibeantur, nempe Verecundiam; quæ est odium eorum malorum, quæ conjunctum dedecus habent; ita Magnorum animis plus quam alijs, horrorem indidit eorum proborum, quæ à publico expectantur; cuiusmodi est Infamia, & quod inde consequitur, studium vitandi ea, quæ illam jure ipsis accersunt. Placet proinde Stoicum producere, in Imperatore, discipulo suo, universalem Principum Scholam utilissimis præceptionibus informantem: (D) *Vestra, inquit, facta dictaque Rumor excipit: Et ideo nullis magis carentibus est, qualem famam habeant, quam qui, qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt.*

Porro eam afferre, & quod plurimum refert, durabilem, si non perpetuam, in nullius magis est potestate, quam Historiarum: unde tanto plus ei Mundus debet, quanto magis ea (uti unus è probatoribus scriptoribus dixit (E) improbos timore *Infamia à malis facinoribus deterret*. Quamobrem illa non minore utique fructu imitatur vetustissimi Romanorum Regis Tarquinij Prisci statutum quoddam: qui, ut populi furiosam stultitiam sanaret, cum permulti publicorum laborum tædio seipso perimerent, acerbum illud, sed unicè efficax remedium adhibuit, ut eorum cadavera, qui frustra desperabundi ex hoc mundo paraverant se subducere, juberet in crucem suffigi,

ubi in cōspectu omnium, sub publico ludibrio  
nuda penderent, donec à carnivoris avibus  
aut canibus laniata, nihil jam præter hæren-  
tia nervis ossa monstrarent. Quod iteratæ  
necis in jam functos exemplum, tantum apud  
viventes valuit, ut deinceps mori non appe-  
terent, (F) CUM PUDERET VIVOS, TAN-  
QUAM PVDIRUM ESSET EXTIN-  
CTOS. Proinde non haberet hic locum & u-  
sum gratiosus ille jocus, quo Antiphon Poëta,  
cum pluribus alijs ad ignominiosam furcam  
à Dionysio Syracusarum Tyranno condem-  
natus, sociorum intempestivam verecundiam  
repressit. Cùm enim eos videret in via ad pa-  
titulum, manibus, aut tegumento è capite de-  
tracto, sibi vultum velle abscondere, admi-  
rantis in modum: O fatui, ad quid ista obnu-  
ptio? exclamavit. an veremini, ne forte das  
in aliquem eorum incurrentes, qui hodie sup-  
plicij vestri spectatores sunt, erubescere ha-  
beatis? ita ille quidem joco ad socios. Profe-  
ctò autē infamia, quā defuncti, si eam sibi me-  
rauerunt, velut ad patibulum confixi, inter vi-  
ventes in æterno opprobrij supplicio prostant,  
naturæ dædecoris impatientissimæ (sive id no-  
bis, sive in aliquo nostri patiendum sit) tam  
formidabilis pæna est, ut ipsa mors minùs a-  
cerba & intolerabilis videatur: uti sanè Cleo-  
patrae visum, quæ se lethifero aspidis mortua  
subduxit, ne vel uno die sub Romanæ Urbis  
œculis, post triumphalem Augusti currum, in-

cate-

atenis ignominiosè compareret: proindeque  
meritò vivi eam perhorrescunt; & nemere-  
antur, sollicitè carent, (G) tanquam puditarum  
ejet extintos.

Quia verò contraria, cùm unum sub aspe-  
ctu alterius ponitur, alterno servitio lucem  
sibi ministrant, quo cognosci melius possint;  
intueamur, quæso, Achillem Romanum, (ita  
suis à civibus appellatum) cuius effigiem M.  
Varro, sua manu ad vivum expressam, me-  
moriae sacerdorum reliquit; Sicinium, inquam,  
Dentatum: qui quoties in publicum prodibat,  
hoc ipso prodigiosam vitæ suæ historiam in se  
legendam, & recitandam laudum suarum  
panegyrin exhibebat. Cùm enim centum vi-  
ginti prælijs interfuisset; novem triumphos  
ita comitatu suo ornasset, ut magnam partem  
eius virtuti tribuerentur; octies ab hoste pro-  
vocatus, in aperto campo & conspectu utri-  
usque exercitus, è duello victor, opima spolia  
reportasset; præter non pauciora alia, pectus  
quoque monstrabat, quinque & quadraginta  
vulneribus insignitum, tergo semper illibato,  
quod in ipso hostis non solum ferire, sed ne  
videre unquam potuisset. (H) Iste igitur si for-  
tè in publica solennitate comparebat, (I) ro-  
tius Civitatis oculos in se numerosâ decorum suorum  
pompâ convertebat. siquidem ante ipsum quadra-  
ginta duo, ex hostibus singulari certamine  
peremptis, trophya præferebantur: viginti  
sex varij generis Coronæ; quarum quæ minùs

nobiles, ex auro erant; alteræ & numero, & merito superiores ob civem servatum; octodecim hastæ puræ; equestris phaleræ quinque supra viginti; armillæ aureæ centum & sexaginta; torques & monilia centum octoginta tria; summatim quadringenta & quinquaginta eius in bello egregiè factorum testimonia, quorum singula potuissent magnos honores publicos mereri; aliqua etiam præmijs fuerant honorata; Ornamenta Legioni, nedum militi satis multa. Quod mihi in memoriam revocat festivissimum illud fragmentum, quo Poëta in una brevi linea (utpote extracta ab disticho) id repræsentavit, quod mille alijs dici vix poterat de horribili leonis vastitate, in Amphitheatrum Romæ immisi:

(K) *Quis non esse gregem crederet? Unus erat.*

Tot præmia totidem heroicarum actionum quis non putaret remunerandæ integræ Legioni sufficere? sed omnia unius militis erant. Talis Sicinius fuit. Nec propterea, quod ille fatis concessit, etiam sua gloria cum eo confusa occubuit. Illa tot insignia, quæ pro testimonio suæ virtutis habuerat, ad posteros hæreditate translata, certis temporibus, cum splendidissimâ pompa foras in conspectum Romanæ Urbis proferebantur, sequente Sicinij statuâ ex cera, vivum heroem exprimente, cum cicatricibus gloriosorum illorum in pectore vulnerum: quod sanè aliud non erat, quam de anno in annum renovare trium.

triumphos , & identidem remunerari vetera  
tanti viri merita : idque etiamnum post duo  
millia centum & amplius annos commemo-  
rare , quid est , nisi recentibus coloribus eius  
imaginem interpolare ; & illum ipsum in sæ-  
culorum recordatione vivum ab interitu  
conservare ?

Igitur si hoc verum est , me hercle non mi-  
nus verum est , in eorum imaginibus reno-  
vari opprobria illorum , quos Infamia , ma-  
lefactis ipsorum justissimè debita , ad æter-  
nam ignominiam , odium , & execrationem  
omnium sæculorum damnatos tenet . Etiam  
istis præit in bene longâ serie ignominiosissi-  
ma pompa suorum flagitorum ; eatenus ad  
vivum in figuris expressorum , quatenus ea  
ad verum potuerunt scriptores repræsentare , in quorum membranis etiamnum conspi-  
ciuntur . Prodeat , quem non pudet tam for-  
didæ ac fædæ operæ manum admovere ; &  
coram spucissimis statuis Tiberij , Caligulae ,  
Claudij , Neronis , Vitellij , Domitianij ( loqui-  
mur autem solum de antiquis , tanquam nulla  
recentior ætas , aut alia terra similes haberet )  
suffigat ex ordine , secundum diversas species  
in omni genere vitiorum , illud modò , quod  
Suetonius ( ut de alijs nihil dicam ) cumula-  
tim de ijs coacervavit . Capita , in quæ abo-  
minabilis singulorum vita distributa est , pau-  
cis verbis absolvuntur ; revera tamen omnia  
sunt Capita Hydræ : cum singula in ratione

vitij plus pestilentia & veneni habeant, quam mille aliorum flagitia simul sumpta. Hæc est illa probrosa pompa, in qua eos ultrix Infamia etiamnum cogit in memoriam posteritatis vivere, tanquam monstra humani generis; & tam formidabilis aspectus portenta, ut etiam iij, qui ipsimet non communiter sunt improbi, sine horrore eos non contueantur, & oculos avertant; sicut de viperis, quæ de Medusa capite proserpebant, Poëta cecinat (L)

*ipsaque retrorsum*

*Effusi, faciem ritabant Geronis, angues.*

Neque mihi quis dicat cum Seneca, qui iratissimus Historicis (credo quod vereretur ab ijs id, quod ipsi postea accidit) querit, quid utilitatis afferat, illas morum enormitates ad æternam memoriam litteris mandare? (M) Quanto satius est, sua mala extinguiere, quam aliena posteris tradere? in libro Pinacothecam struere, monstrorum plenam balsamo conditorum; quod semper eorum deformitas extet, non sine probre naturæ? De talibus tacendo vitam, aliud memorari non debere, quam diem, quo obierunt: sicut de Afraniâ pessima fæminâ alias quispiam pronunciavit; (N) tale monstrum magis quo tempore extinctum, quam quo sit ortum, memoria tradendum est. Nihilominus verum est, quod virtuti vivorum permultum conferant vicia mortuorum. dum enim Infamiam vident, quæ hosce comitatur, horrore perstrixi, tanquam pudicum est extinxer; ita vi-

*vera*

vere condiscunt, ut mortui erubescere non debeant. Aliter quodnam frænum superer-  
set, quo Principes retinéri possent, ne in omne  
præcipitium proruant, quò illos suæ appeti-  
tiones impellunt?

Sciant igitur, quid omnis Ulysses suum à  
tergo Homerum habeat, errores ipsius, non  
quidem itinerum, sed vitæ, in codicillos ad-  
notantem. Sciant, esse, qui de ipsis faciant,  
quod olim (O) Diogenes de quibusdam licen-  
tiosis juvenibus Corinthi: quorum nomina in  
grandi mappâ descriptis; & hastæ præfixa, per  
omnia fora, ubi numerosior populus conve-  
nerat, legenda circumtulit. Sciant, sine pu-  
blicâ quidem celebritate, non tamen sine eo-  
dem effectu, hodiéque per totum Orbem fie-  
ri, quod olim (P) in Ægypto circa cadavera  
defunctorum Regum. Cuicunque enim, eti-  
am de infimâ plebe, licitum erat illos accusa-  
re. Quodsi delicta ijs objecta, validè compro-  
bata fuerant, Judices ad hoc constituti, latâ  
sententiâ nomen illorum Infamia notabant;  
corpus vulturibus in prædam relinquebant.  
Unde factum, ut Ægyptus longo tempore in-  
tegerrimos Reges haberet, optimèque guber-  
naretur. Tantum valuit tam formidabilis  
examinis justissimus metus. Sciant, quid,  
quantumcunque magni sint, omnis tamen il-  
lorum potentia contra Infamiam infirma sit:  
quæ illis tunc supervenit, quando quid (qua-  
so) possint in mundo, cùm ne quidem sunt in  
mundo.

mundo? Audiant proinde Consiliarium suum, Tacitum; eo loco , quo sapientis in morem ( quod non ubique facit) loquitur: ( Q ) *socordiam eorum irridere libet, qui presenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis anni memoriam.* Legant mysteriosam visionem Erûs in 10. lib. Platonis, in quo effigiem suæ Rerum pub. normæ absolvit: ac notent , reorum dorsis inuri illorum culpas debere; id est, quando ad alterum abeuntes mundum, isthuc tergum obvertunt , eidem dorso rotum scelestæ vitæ , cuius pudendam memoriam hic relinquunt. Processum inscriptum iri. Igitur

( R ) *Vos, o Patritius sanguis, quos vivere fas est  
Occipiti caco, POSTICÆ OCCYRRITE  
SANNÆ.*

Ne dedignemini ; huius rei doctorem habere Comædiarum recitatorem ; sed in hac arte prorsus principem, & incomparabilem; Roscium dico. Hæc nunquam in theatrum prodijt, quidquid demum recitaturus , quin priùs multo cum studio , & pari patientiâ, compluries se domi exercuisset; qui ad talèm vocem conveniret porrigere; vel convertere manum ; alias cum manu conjungere & pedem ; nunc contorquere, aut figere oculos ; jam acerbum vel dulcè contueri , aut aliud sibi vultum adsumere : nunc parumper se commovere ; nunc totum in aliam posituram transferre corpus; haud secus , quam si omnis periodus, quam recitabat, in sua actione

deformam sculptoribus proponeret, unde in marmore statuam efformarent, in quâ solùmmodo intuendo vivam illam & propriam actionis expressionem, confessim id ipsum intelligetur, quod ipse animo conceperat, & sermo audientibus significabat. Tanti ille faciebat, populum Rom. spectatorem, & suæ artis arbitrum habere: (*S*) nullum unquam spectanti populo gestum Roscius, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Igitur secundum regulam proportionis, quid non debent ijsfacere, qui vitam propriam (non sicut histriones alienam) & cum eâ quidquid dicunt & faciunt; & propemodum quæ cogitant, totum sub oculis mundi statuunt: & circa se animadversores habent, qui arctè defixis in eos oculis, celeri manu designant; quidquid in ipsis vitiosum aut laudabile comparet? Num excusationem merebuntur, qui ita sine recti censurâ vivunt, ut ne quidem cogitent, quâm fædas aliquando in foro Infamia, ignominiosorum suorum operum imagines sint relicturi? Non res ex æquo mecum & vobiscum agitur, (inquietebat Aristippus (*r*) navicularijs, qui ei impropabant, quod ipse, Philosophus cum esset, in naufragij periculo expalluisset, quando ipsi alterius omnino operæ homines, nec colorem, nec vultum mutassent:) in vobis enim eiusmodi vita periclitatur, quam si Mundus amittit, tam parum perdit, ut forte etiam humum faciat: ideo rite facitis, quod nullam eius

eius curam suscipitis. ego autem id, quod parerat, de me faciebam: amisso enim Aristippo, Mundus uno Philosopho minus habuisset. Si similem in modum miraculum non est, illos parum curare, quale post se nomen relinquant, quibus simul cum halitu etiam memoria perit, an unquam in rerum naturâ fuerint; ac idcirco quamdiu hic sunt, ita vivunt, prout eorum genio bene aut malè collubescit. Totum è diverso aliud est cum Magnis, quibus Nomen & fama debet succedere; & qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt; cāmque perpetuam, quodd illos recordatio manet semper duratura; & inevitabiliter, quia mortui illam non effugiunt, et si usque ad Inferni abyssum, non tantūm infra terram descendant. Unde hic vel maximè verum est, quod Stoicus de terræ motu dixit, etiam omnium humanarum calamitatum esse longe maxime timendam; eo quodd fulminum jacula, incendiorum grassatio, ventorum rabies, & maritimarum tempestatum furiae, bella, pestilenta, fames remedium patientur, aut effugium; at cùm terra movet, (V) quam latebrans prospicimus? quod auxilium, si Orbis ipse ruinam agitat? quid tibi esse non dico auxilii, sed salutis potest, ubi timor fugam perdidit? Ita res cum terræ motu, ita cum Infamia habet. Non est latibulum, quod te ab ea ascondere; non tam acre ingenium, quod te defendere; non fugae modulus, qui te ipsi subtrahere valeat. Nec sanè hinc

I, quod pat  
Aristippo  
uisset. Si  
est, illos  
en reli-  
tiam mo-  
turâ fue-  
vivunt;  
lubescit  
nis, qui  
; & qua  
eāmque  
et sem-  
mortui  
Infernū  
lescen-  
quod  
nium  
xime  
acen-  
ma-  
pesti-  
effu-  
ram  
agi-  
est,  
no-  
u-  
re  
o-  
e





hic in mentem venire Grandibus potest ( si quidem cor habent, quod Grandes deceat) illud alijs non improbabile, sed gratosè dictum, quo Aristoteles (X) vilissimi calumniatoris, qui cum eminus & à longe mordere non cessabat, vesaniam derisit; ubi ego non sum, ait, ibi me pergit ille verberare, ferire & occidere; nihil moror. Aliud omnino sentire Grandes debent, quibus ipsum etiam, quod mortuos consequetur, Nominis Aevum, tanquam vita propria, reputandum est; & tam studiosè ab eo omni cavendum, quod eos aliquando ad posteritatis Infamiam posset condemnare, tanquam pudicum esset extinctos.

A. Eneid. 3. B. Dantes. C. Nat. quest. l. 2. c. ult.  
 D. l. 1. de Clem. c. 8. E. Diod. Sic. in pref. F. Plin. l.  
 36. c. 15. G. Arift. 2. Rhet. c. 6. in fin. H. Val. Max.  
 l. 3. c. 2. I. Plin. l. 7. c. 28. K. Martial. l. 8. ep. 55.  
 L. Lucan. l. 9. M. l. 3. Nat. quest. pref. N. Val.  
 Max. l. 8. c. 3. O. Laert. in Diog. P. Diod. Sic. l. 1. p. 2. c.  
 3. Q. Annal. l. 4. R. Pers. Sat. 1. S. Val. Max. l. 8.  
 c. 7. T. Laert. in Ariftp. V. Sen. l. 6. Nat. Quest.  
 X. Laert. in Ariffor.

## III.

# I THACA INS. SUAVIS VIOLENIA GENII:

Inclinate vos huic, quem ante vos cernitis.  
 indigesto saxorum cumulo: & quamvis sit  
 tantum infelix scopulus, Insulam tamen eum  
 Fortunatam appellate: Eiusmodi enim vir ibi  
 nata.

natales suos habet, ut neque grandis Creta suo Jove, neque nobilis Delos Apolline & Latonam tam sint inclytae. Videtisne in illo edito iugio exiguum rusticarum casarum manum, ve-  
lut nidum è saxo suspensum? Illa nempe Ulyssis est patria; & hic scopulus Ithaca. Iam si una statua, quæ de manibus Phidiæ prodiisset, potuit quemcunque ignobilem & obscurum locum, qui eam sibi nactus esset, clarum efficere; ita ut, cuius antea ne quidem nomen aut memoria ulla extitisset, postea, increbre-  
scente hinc eius famâ & gloriâ, totius mundi invidiam in se excitaret; quantò magis Itha-  
ca, ob illam vivam spirantemque statuam Prudentiæ, Ulyssem? qui totus divinæ Palladii labor, multorumque annorum Opus fuit:  
perinde quasi Ipsa naturalem voluisse sui ipsius imaginem in viro proponere; & quan-  
tum in materia sensibili erat possibile, scipiam in illum transferre.

Neque vos moveat, quod Ulyssem videa-  
tis ab Ithacâ juvenem prodire, neque nisi etate plus quam maturâ domum reverti. Imo  
nihil eam ita honorat, ut exitus iste, redditusque.  
Exierat virtutum inops, nudus meritorum,  
nuspia nisi inter suas cautes cognitus:  
percursavit externas regiones; mille casus  
(A) adiit utriusque fortunæ; multa armis &  
prudentiâ gessit egregiè: deinde autem, sicut  
in describendo circulo, ad ipsam punctum,  
unde cœptum fuerat, redire oportet; in pa-  
triam

triam reversus est, Ithacæ suæ in gloriam conversurus , quidquid gloriosum Ulysses habuisset. Idcirco ubicunque illum offendetis, sive in Odyssæâ Homeri , sive in errorum eius Geographicâ descriptione novi Atlantis , nunquam illi non videbitis cordis apicem invariabili nisu contra Ithacam stare obversum:

Ceu Magnes (mirabile opus) quem navita secum

Sedibus à patrijs longinquas portat in oras;  
Seu quâ Memnonijs Phæbus consurgit ab undis,

Seu quâ prociduis incumbit fessus Iberis;  
Non tamen hinc genium, vel cor, aut lumen perdit,

Quêis natale solum , & charam respectet ad Arcton.

Confessus est ipse net Gryllo (B) cum quo illum Plutarchus periculi faciendi gratiâ colloquium adduxit , se in grandissimo suo itinere, quo maria terrâsque innumerabiles per vagatus erat , vidisse Insulas amplissimo circuitu; portus & emporia per dimidium mundum mercimonij inclyta ; terras amoenissimas, & pari fertilitate opulentas; urbes, provincias , regna, quibus si sua Ithaca confertur, utique ut rupes modica , & nuda, incolataque , nihil sit: Se illâ quidem loca laudibus pene usque ad cælum extulisse; suæ tamen Ithacæ semper amorem reservasse. Ut adeò peregrinum sit, quod Stoicus tam eximium

esse existimavit; (C) *Vlysses ad Ithacæ sue saxa fit properat, quemadmodum Agamemnon ad Mycena- rum nobiles muros:* Debebat cum patre Rom. Eloquentia dicere, neque delicias, neque thesauros, neque regna, aut ipsam immortalitatem, si ei oblata fuissent, potuisse eum inde avertire, aut revocare: (D) *Tanta est vis, tanta natura, ut Ithacæ illam in afferrimis saxulis tanquamridulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret.*

Et ecce in huius viri singulari affectu ad vivum vobis repræsento, quid universim possit suavis illa, sed ineluctabilis vis propensio-  
nis naturalis, quam sanè in nobis maximam habet, alias ad alia planèque diversa, sive ar-  
morum, sive artium, aut litterarum studia,  
& quodcumque demum genus negotiorum,  
quibus Rerump. utilitates plurimùm susti-  
nentur, inclinandi. Et quidem eam vim dixi  
ineluctabilem esse, in quantum eiusmodi in-  
nata inclinatio non potest (salvo cordis dulci  
gustu) vel cohiberi, vel dimoveri, ac multò  
minus converti in contrarium illi, ad quod  
animus impressum habet affectum, sponta-  
neo naturæ illicio proritatus. Quòd autem  
ita comparati, & velut in fronte notati, quis-  
que charactere suæ propriæ aptitudinis, in-  
tremus in hunc mundum, est id sanè singu-  
lare artificium Universalis Providentiaz, de  
industria ordinantis tam existentiam, quam  
operationem partium ad utilitatem totius.  
Et quia ratio vitæ humanæ, utpote sociabilis

ac

ac civilis, innumerabili varietate & communicatione operum, sive quæ solo ingenio, sive quæ etiam manu perficiuntur, opus habet; ipsa scientissimè novit uniformia illa qualitatum naturalium principia ita miscere & temperare, ut diversæ planè corporum animaliumque habitudines, forte etiam in individuis accidentaliter differentes, existant; quo pacto admirabilem quandam instinetuum varietatem componit; ita eos in singulis, qui nascuntur, dividens, & unicuique specialem quempiam inserens, ut in isto una sola; in alio plures habilitates sese exerant; in quibusdam vix aliqua, & tardè; in alijs prope ad miraculum multæ aut eximiae, & celeriter, ac propemodum præmaturè: Quos inter ijs soli sunt optimi, quibus ex vero promitti potest, quod Brunetus de ingenio Dantis ficit auguratus fuerat;

(E) Si modò sequere sideris ductum tui;  
Bene ominatum in gloriæ portum tibi  
Decurret alnus:

Postquam enim istis natura, quod suum erat, Genium contribuit, ad quidquid se applicaverint, nascuntur jam quasi ex dimidio Magistri: & inter hos atque alteros, quibus illa innata aptitudo deest, tanta differentia intercedit, quanta inter lignum nodis intricatum & perplexum, quod quantovis labore nunquam cuneis rite discideris; & alterum, quod ad omnem ictum, ipsa venâ ducente

E 2 quam

quām rectissime ad lineam diffilit. Quare permultum refert, ut quis suum ipse instinctum bene nōrit, ac in alijs pariter dispi- ciat, qui filios habet, aut aliter suæ curæ con- creditos, de quorum vita disponendum sit. Solerterem tamen esse hac in re eum oportet, qui prima illa & spontanea. quanquam ad- huc malè formata, naturæ se ipsam prodentis indicia augurari volet: aliàs enim continget, ut, ubi quis rei arborariæ peritus, promican- tibus è surculo geminis foliolis, arbitrabitur Palmam nasci, uti revera est; ibi inexpertus quispiam putet se' Ulmum invenisse, quam Viti destinat maritare. Differamus nunc paulo distinctius, sed breviter, de toto hoc ar- gumento, quod haec tenus tantùm confusè indicabamus.

Debebatur meritis Augusti laus illa, quam ipsi Tiberius (F) per assentationem dabat, quodd-jusserat, ubi primùm fundamenta ali- cuius seu publici, seu privati ædificij effossa es- sent, in marmore nomen suum ad posterita- tis memoriam incidi: tanquam jam ipsi ad- scribi fabrica deberet, cuius ipse principium posuisset, & in eo totum ædificij situm, con- clavium ordinem, magnitudinem ambitūs, & altitudinis quoque, prout major vel minor competebat, mensuram, & convenientem reliquorum ornamentorum apparatus de- signasset. Tantundem, etiam naturæ debe- mus, in quocunque demum artis & negotij gene,

genere, ad excellentiam evadimus. Nos quidem structuræ magnitudinem magno studiorum, magno temporis impendio super impo-suimus; sed illa fundamentum jecit ingenitæ habitudinis: & in eo nobis commonstravit, fore, ut, ubi præscripta lineamenta sequeremur, feliciter id possemus ad summum perducere. Proin necquicquam ille laudabilem successum speret, qui, quantumcunque possibile erit, nitetur & collaborabit (exempli gratiâ) naturali, quâ ad manuale opificium damnatus est, propensioni, eminentiam hominis litterati superstruere: id enim æquè patrum pro expectatione ipsi succedet, quam si voluerit Theatri vastitatem super fundamen-ta tabernæ diversoriæ inædificare. Igitur fundus animi perscrutandus erit, & ad quod vitæ vel negotiorum genus ultro trahi te sentias, attendendum: sic enim pervidebitur, ad quid quisque ab ipsa natura aptus idoneusque fa-tus sit: Sicut etiam è contrario, si fastidium experiere, quoties sive cogitationem, sive manum eò admoveris, unde genij tui instinctus abhorret; & animi solatium, cùm id denuo relinquere licebit. quod maximè tunc eve-niet, cùm te naturæ dona ad negotium sub-lime vocant; sed necessitas aut aliorum desti-natio ad vile quidpiam & humile detorquent. Etenim etiam in hominibus verum est, quod Poëta aliorum cecinit:

Nobilis in macro non stat bene surculus  
horto;

E ;

In-

Indignoque optat posse migrare solo.

Redeat yobis in memoriam, quod in fundanda illa magna, Romæ Æmula & Rivale, Carthagine accidit. Vix modicum terræ egestum erat, ubi fundamenta jacere in litore maris placuerat, cum bovis caput inventum est. (G) Quod auspicium fructuosa quidem, sed laboriosa, & perpetuè serva urbis fuit: meritique displaceuit. Quare non longè illinc aliud sibi spatiū, meliori omniē delegerunt; effossaque humo caput equinum apparuit: quod bellicosum, potenterque populum futurum significans, urbi auspiciatam sedem dedit. Ita nobiscum agitur: neque fallax est ista prædictio. An enim putatis, cum, pœnes quem in fundamento naturæ caput bovis, aut (quod peius) alterius adhuc stolidioris bestiæ testam invenero, id ipsi pro augurio esse posse, quo se ad ingenij functiones applicet, quæ non cornua in capite, sed alas, ac celeritatem mentis, & quandam spiritus impatientiam requirunt? Et cui caput Equinum obtigit, eum alibi meliores progressus facturum, quam ubi generositate animi, periculorumque contemptu est opus? De se id Ovidius cecinit. & hodieque omnes de ipso recinimus: qui, sicut famosus ille Pyrrhi R. Achates, cum Apolline & novem Musis, nulla nisi naturæ arte ipsi in corde incisis, (H) non impressis figuris, sed ingenitis natus. ingratij suis coactus fuerat ad Advocandi studium se conferre: sed tam infeliç exitu, ut jam tum in se ipso

ipso inchoaret illas , quas postea de alijs scripsit , Metamorphoses : dum ipsi fortum , illo- met ipso non advertente, in Paranaſium ; de- clamatio in cantum ; Causæ in fabulas , Oratio in Poëma transformabantur .

Quod verò ad alterum punctum spectat , hoc est , quòd (I) *ab infantia surgat ingenium* , uti bene *Aurelius Fuscus* dixit ; & quòd in ijs , qui Genium sequentes , in tali negotio ad mira- culum usque eximij aliquando evadent , na- tura jam in tenera ætate , manifesta eius rei indicia prodat , videtur mihi in illâ felice api- cula clarissimè expressum , quæ in succini fru- sto inclusa , vel sic tamen transparebat foras : merenturque paucæ illæ voces de toto poë- mate , ceu gemma , deligi (ut quæ totum fa- cium solæ exprimant ) & emblemati sub- scribi ; (K) E T L A T E T , B T L U C E T . Et ecce id ipsum etiam Vitruvio observatum : (L) *in quibus locis videbuntur humores se concrispantes , & in aëra surgentes , ibi fodiatur : non enim in sicco loco hoc fieri potest*. Ita nempe accidit , ubi aquæ venia latet , quamvis altè sub humo , supra vapores ascendunt , ex quibus cognoscitur , atque ma- nifesta fit illa latitatio : & qui sub auroræ or- tum observare volet , & accurrius adverte- re oculos , notabit , vapores sursum ebullire , agglomerari , fluctuare : neque unquam men- titur indicium ; fodiatur modò ; deprehende- tur , velut in cubili suo , viva & larga scaturi- go. Qua de re ex tot alijs , quorum vel nomina

audire fastidio foret, satis fuerit unum modò producere de illis solertibus naturæ vestigatoriibus, qui de indole in præsens pronunciare, & in futurum de successu promittere quam certissimè noverunt. (M) Sit is sanè Herodes, inter Oratores temporum suorum longè celeberrimus: qui cùm fortè fortuito in Rhetoris scholam ingressus, audisset adolescentem quendam Adrianum, nescio super quā materia, recitantem, quæ pro ætatis suæ sensu captuque composuerat; parum ille quidem artis, plurimum verò naturæ deprehendit: ita ut cum summa admiratione discedens affirmaret, se in pumila illa ingeniosissimi adolescentis compositione, MAGNA COLOSSI FRAGMENTA PERVIDISSE: certoque futurum, ut is quondam summum in arte nomen adeptus, gigas quispiam haberetur. qua in re verior fortè, quam volebat, augur fuit: quippe Adrianus, ubi cum tempore & studio naturam perpolivit, majorem, quam ipse Herodes, præclari Oratoris famam, si non etiam meritum, consecutus est.

Restat adhuc de facilitate & felicitate discendum, quacum iij, quos genius suus portat, celeriter ad excellentiam perveniunt, ad quam suo ipsi studio nituntur. Certè voluptas illa, quam animus in exequendis suis honestis appetitionibus singularissimam experitur, continuò illam comitatur: inclinatio enim naturalis instinctus utique appetitus qui-

quidam est, perpetuum in eo desiderium fo-  
vens earum rerum, quas amat? unde fit, ut  
anima cùm naturæ impetu, tum voluptatis  
illius sensu inducta, dum se illuc applicat, to-  
ta quasi in arctum colligatur, & actus fiat:  
unde mutuis sese promovent impulsibus, o-  
peratio voluptatem, & voluptas operatio-  
nem. Ubi econtra, qui ab naturâ non est ad  
eiusmodi negotium factus, si id nihilominus  
persequi inducat animum, habilitate simul,  
& gustu voluptatis destitutus, multùm qui-  
dem luctatur séque fatigat, parum autem lu-  
cratur & procedit. Priores illi ab Genio por-  
tati, velut aquilarum remigio, & volucrium  
rotarum bigà supra nubes evadunt: alteri  
struthionum instar; aut, ut melius dicam, an-  
serum ritu pedes simul & alas concutiendo,  
plus non efficiunt, quam ut (geminò planè  
prodigo) incertum sit, potiusne in terra vo-  
litent, an in aëre ambulent: illud solùm hinc  
apparet, quod etsi gemino auxilio connitan-  
tur, vix tamen promovere se possint.

Verum quidem est, quod assiducas, & ob-  
durata studij laborisque patientia, ingenio  
seu manu opus esset, paucis diebus nonnun-  
quam ad egregiam laudem processit: unde  
tanquam à se ipsis nati, sibi solis poterant se  
suāmque gloriam imputare. Negari tamen  
haud potest, in eorundem istorum operibus,  
si quis acutius in ea introspicere velit, violen-  
tiæ illius & coactionis facile indicia repertu-

E f ruma

rum: cùm exadverfum, ubi labor de venâ sponte profuit, naturalis illa, & minimè adsci-  
titia Venus existat, quæ tantopere coñovet &  
delectat; ut ne minimum quidem punctum si-  
ne arte sit, quanquam artificiosi nihil de indu-  
stria proponat. Ita odorati liquores felicis  
Arabiæ, etiam qui ex eadem destillant planta,  
multum inter se bonitate differunt; ita ut &  
florem inde, & fecem colligant. (N) *S P O N-*  
*T E M A N A N S , P R E T I O S I O R sudor est ;*  
*E L I C I T V S corticis vulnere , V I L I O R indicatur.*  
Prima sculptoria opera Michaëlis Angeli ab  
ijs, qui manum non noverant, credebantur  
laudatissimi temporis labor esse, ex Corinthi  
officina, vel Athenarum schola advectus.  
Et sanè isthic ex eorum numero est, qui dici  
possunt Magistri nati: non idcirco, quod (ut  
ipse per jocum dictabat) artis magisterium  
cum lacte ab nutrice suxisset, vilissimi cerdo-  
nis conjugé; sed propter nativum instinctum,  
quocum natus fuerat, ad id omne quam ma-  
xime factus, quod vel in genio comprehendì,  
vel manu, ad mentis exprimendas conceptio-  
nes obedienti, effici egregiè potest: unde sicut  
olim (O) de Archesilao ferebatur, eius propla-  
sticen (seu initia statuarum) pluris vñire  
solitam ab ipsis artificibus, quam aliorum  
opera; ita Michaëlis Angeli primæ nugæ, quas  
necdum artis discipulus pueriliter in char-  
tam effudisset, plus boni habebant, quam ea,  
quæ non pauci artifices magno cum studio  
elaborassent.

Age

**A**ge nunc, & istorum aliquem cogead aliud quidpiam tractandum, quamquam quod cum natura geniūsque dicit:

Delirat, quisquis cælorum invertere leges  
Consilio se posse suo præsumit, & audet  
Attentare aliquid;

Vita eius & operatio, ut Ulyssis iter, continua in orbem noctetur erroribus; cui nusquam firmari pedem licuit, animo eius unam semper Ithacam respiciente faciet, quod Poëta de fabulosa Clytia, in Heliotropium transformata, cecinit;

(P) quamvis radice tenetur,  
*Vertitur ad solem, MVTAT AQVE SER-  
VAT AMOREM.*

Capite modò eius rei periculum, an possitis personam hominis mitis & pacifici induere illi, qui ad militarem ferociam factus est? suo malo ad calatum & litteras applicari se sinit, quem natura ad arma & prælia destinarat. Semper enim etiam sub Doctoris habitu esse miles perseverabit: & si possetis eius, quanquam jam vetuli, intimas fibras perlustrare, illud sanè naturæ miraculum deprehenderetis, quod olim in foro Megaræ comparuimus; nempe (Q) grandis & antiqua Olea, (simbolum pacificorum & eruditorum) intra cuius viscera omne genus militaris instrumenti repertum fuit.

A. *Infer. c. 16.* B. *Plutar. in Grylio.* C. *Sen. ep. 66.* D. *Cic. l. i. de Orat.* E. *in Infer. c. 15.* F. *Dio in*

in Tiber. Xiphil. G. Iustin. l. 18. H. Solin. c. 12.  
 I. Sen. Suasor. 2. K. Martial. l. 1 Ep. 112. L. l. 8. c. 2.  
 M. Philofstr. de vita Soph. in Adriano. N. Solin. c. 36.  
 Q. Plin. l. 35. c. 12. P. Metamorph. l. 4. Q. Plin.  
 l. 16. c. 39.

## IV.

SINA, REGNUM;  
 CÆCITAS SEIPSOS NON CO-  
 GNOSCENTIUM.

**E**uge! à tergo minutarum istarum Insularum, quas in cumulum huc confudit natura, jaciamus anchoras; velut aggerem bona sorte nacti, qui nos à perfidia huius ferocissimi Orientalis Oceani tueatur, omni ventorum sibilo in iras commoveri soliti. neque unquam furialibus minores Avertant Dj, ne in Continentem illam ausitis velle curiosum pedem immittere. Hæc enim terra, cuius perpetuam oram habetis in oculis, quo usque ijs aciem suam possunt protendere, Regnum Sinarum est. in cuius vocabulario Politico hæc nomina *Externus* & *Hostis*, idem significant: ita ut quicunque Europæus eò intraverit (neque enim latè quisquam potest, ipsa aspectus diversitate alienigenas prodente) jam in facie portet condemnationis suæ publicatam sententiam; Sinarum legibus mortis reus, eò solùm quod inibi natus non fuerit. Igitur supercedo vos in Regionem, tam mortaliter aversantem externos, introducere: contentus,

tus, quod eam vobis possim in hac Mappa demonstrare, summa fide delineatam in hoc ipso Regno, quod præstantibus Geographis abundat: licebit hic non modò totas Provincias, sed singulas pæne locorum minutias contemplari.

Metiamur primò amplitudinem. Longa est Sinarum Regio, quà in Septentriones ab Austro tenditur, prope ad trecenta quinquaginta milliaria Germ. nempe à gradu Meridiani decimo nono, usque ad secundum & quadragesimum: lata ab Ortu usque ad Occasum, circiter ducenta & septuaginta. Et in tanta terræ magnitudine, si montes & saxosa demas, ne palmum invenies, qui incultus ja-ceat; neque culti palmum, qui non sit biferus. Quippe tota fluminibus perluitur, venarum more in omnem partem circumserpentibus. Sicubi tamen natura fluvios non immisit, ars conduxit, vastis canalibus, quos è axis qua-dratis struxere, per ingens spatium, & alicu-bi ad viginti & amplius milliaria, quam rectif-simè portantibus aquam. tantum Opus, cuius labor, & immensi sumptus, Rom. magnifi-centiæ miracula excedunt. Omnes prope ur-bes fluminum, aut lacuum ripis inædificatæ, insigni ad maiestatem formâ, & pari ad om-nem voluptatem abundantiam refertæ; incer-tum, hæcne an illa major sit. Ea porro terræ ubertas est, ut tota Sina possit videri altera Hollandia, aut Flandria esse; tanta urbium  
fre-

frequentia occurrit, quarum permultaæ Matritum, Olissiponem, Parisios, Londram magnitudine excedunt. Nolo hic vobis repetere, quæ in speciali libro scripsi, de innumerabili navium multitudine & ornatu, quibus integra palatia impostuerunt: de pontibus, qui ob artis & operis raritatem possent septem mundi Miraculis adnumerari; nisi Sina dignaretur pars mundi esse. Nec de serico; cuius ibi tanta est fertilitas, ut omnibus, qui in Africa & Brasilia nudi incedunt, vestiendis abunde sufficeret; sine caloris tamen modestiâ: tantâ nimirum subtilitate, quæ prope ad venti raritatem tenuetur, inde pannos contexunt. Nec de fodinis omnis generis metallorum ac marmoris, quorum omnes montes fæti sunt: nec de reliqua aliorum bonorum copia; quæ cùm alibi per diversas terras natura diviserit, in hanc unam videri possit omnia concessisse.

Ad hæc gen's ipsa tam cultis & expolitis mortibus, ut parem sibi in Orbe non habeant: Ipsi agrestes aliquid nobilitatis præferunt; tanta apud eos civilitatis rituum solertia vigeat: quotum licet innumerabilis apud eam gentem sit varietas, eorum tamen tam severam rationem habent, ut quivis Sinensis propter maximas Reverentiaæ demonstrationes, quas ubique recipit, possit quoddam Numen videri. Quoties hospes domo aut convivio excipitur, plures rituum in accedendo & di-

gre-

grediendo formas adhibent, quām nos in so-  
lennissimo Sacrificio observemus: neque us-  
piana gentium tam accuratè ad id attenditur,  
quid conveniat, quām hic etiam paupertina  
plebs facit. Præterea ingenio sunt acuto &  
versipelli; optiini fallendi magistri; & quidvis  
aliud, quām quod in corde obtegunt, vultu  
simulandi. Non jam de artificijs quidquam  
dicam: à quibus si vix aliquid præter designationis  
gratiam demas, Europæi se victos fa-  
teantur. Non de legum sapientiâ, quibus  
regna omnino quindecim in formam Monar-  
chiae gubernantur; tantâ magistratum, quos  
varij ordines distinguunt, inter se colligatio-  
ne, dependentiâ, & quæ hinc oritur, regendi  
facilitate, ut tota Sina videatur una domus  
esse, & omnes habitatores (qui ad trecentos  
milliones numerum implet) una familia. Pla-  
cet duntaxat de Scientiarum, maximè Mor-  
rium & Politicarum, institutis aliquid memi-  
nisse. Certum enim videtur in hac regione Imperium  
litterarium sibi sedem fixisse: quando  
nullus ad principatum, claritudinem, sanguis  
nobilitatem aditus, nisi per viam literarum  
paret. Sola Scientia, quæ alibi in tam monaco  
pretio est, apud Sinas omnia est, & valet; hinc  
sumæ dignitates, supremum imperium, offi-  
cia aulæ, opes familiarum, & quantum beati  
mud regnum habet. Neque cuiquam pedem  
promovere conceditur, quem adhuc mere-  
tur retro tenere: ibi enim favori locus non est,  
ubi

ubi omnia probantur ad amissim ingenij, ad libram scientiæ, ad experimentum examinum, & trutinam optimarum scriptiorum: quas qui censere judices debent, auctorem ignorant; ita ut divinare non possint, cui profint eligendo, vel noceant reprobando. Ita quis tantum valet, quantum est; neque ulli, præterquam suis meritis, debet fortunam suam.

Cum tanto scientiæ studio, quis non miretur potuisse accidere, ut Sinenses maximam, quæ in Mundo esse possit, ignorantiam conjunxerint; nempe ipsius Mundi? persuassissimum sibi habentes, in ipsorum Sinâ totum Mundum consistere: se solos totam hominum nationem; & quod ipsi possiderent, totum id esse, quod natura dare possit: quod ipsi scirent, totum id esse, quod tribui ab ingeñio queat. Cæterum de Asiâ, de maxima Africa, de nostra Europa, & utrâque America, Septentrionali & Meridionali, non plus callebant, quam nos de ijs rebus, quæ sub Polo Antartico continentur. Cuius in fidem ecce hanc ipsam illorum Mappam Geographicam, quam ante oculos vobis explicui: quam contendunt Universæ Terræ descriptionem esse; quamvis præter ipsorum Sinam nihil complectatur, nisi extremos quosdam vicinæ Tartariae fines: & pro limbo eius hæc terræ segmina, ad modum Insularum freto inspersæ, quæ illi deserta quædam esse, solis feris habitata, credebant: scilicet hoc totus ille mundus erat, quem

quem ipsi putabant in Mundo esse. Unde vehementissima eos admiratio pene in stuporem rapuit, cum P. Matthæus Riccius (annis abhinc octoginta) primùm aperto, ut alibi demonstravi, in hoc eatenus impenetrabile Imperium ingressu, & conciliatis sibi cum scientiarum insigni copiâ, tum morum comitate, litteratorum animis, contuendum illis proposuit Universæ Terræ situm, proprijs manibus non sine excellenti artificio depictum: ex quo apparebat Sinam usque adeo non totum Mundum esse, ut necesse esset illam inquirere, illuc in extremum mundi angulum, velut in exilium rejectam. Videbantur quidem sapientissimi illi homines gaudium ex eo scientiæ incremento cepisse: fortè tamen non minus doloris; videntes, quanto minus nunc possiderent: nam qui prius sibi totum arrogabant, nunc se particulam modò illius, propè insensibilem esse deprehendebant. laudabant proinde veterem illam ignorantiam suam: cuius beneficio tam beati erant, quam se magnos esse existimabant. Verum isthac de hisce sufficiat. Demittamus vela: & si vobis molestum non erit, in via paucillum super hoc utilissimo argumento disseramus; de necessitate, inquam, cognoscendi seipsum, metiendi, librandi, & quam sincerissime perspiciendi, quantum ipse sit, & valeat: neque amandi ignorantiam illam, quæ Pigmæum Gigantæis de scipso existimationibus

implet; dum supra præaltum par grallorum elevatus, quia pedibus per aërem, & super aliorum cervicibus ingreditur, scipsum velut omnibus grandiorem admiratur: stolidè; tanquam si ipse & ligna illa, quid unum essent.

(A) Æquissimum haud dubiè est, ut ijs omnibus libenter ignoscamus, qui se fatentur sui per quam amantes esse: & si eius dicti quis auctorem scire cuperet, ipsa se utique natura auctorem esse confirmaret, quæ ceu magistra id omnibus inserit; non vero Plato, à quo id scriptis primò traditum; aut Plutarchus, à quo comprobatum. Stultus ille, & tantopere decantatus amor adolescentis, qui scipsum in undis tanquam speculo contemplatus, vanâ sui imagine usque ad animi deliquium in sui desiderium fuit accensus, ille & merum figmentum est poëticum, & simul naturalis veritas: cùm nemo non scipsum tenerè admet, in suas cogitationes reflexè intuitus; ita ut ei non desit, quod alteri illi;

(B) *Infelix, quod non alter & alter erat;*  
 quando nos ipsos ita diligimus, tanquam si duo essemus, sine præjudicio divisionis terminorum, quæ saltem permittit affectus separari; cùm aliás in nobis inseparabiliter idem sit, & qui diligit, & qui diligatur. In eo autem totum periculum est, quod credamus nos ipsos diligere; reapse autem alium à nobis diversum diligamus. nam si nos ipsos bene percōsceremus, fortè meretriciam illam Laidem imita-

imitaremur, quæ jam vetula, ne rugas suas,  
& vernantissimæ quondam formæ caducam  
hyemem cogeretur inspicere, speculum suum  
Veneris templo donum sacravit. Verum nos  
prorsus in contrarium; nescio quibus oculo-  
rum præstigijs decepti, quamdiu nos in spe-  
culo, quod nobis Philavtia obtendit, adspici-  
mus, præquam bellissimos arbitramur, & ad  
insaniam usque deamamus, tametsi tales ne-  
quaquam simus; nisi fortè in eum modum,  
quo eos, quibus phantasmata potentiae imagi-  
natrixis turbata sunt, superbissimè videmus  
incedere; neque aliter, quam si personâ prin-  
cipum, aut comitatu Cæsaris, vel Dei ipsius  
majestate, quem quidem se esse putant, essent  
circumdati; cum revera intra seipso nonni-  
si stulti sint: & si mentem sanam recuperarent,  
fortè non aliud se esse deprehenderent, quam  
opifices, agricolæ, mendicos. Quando igitur  
omnium est amare seipso, sed paucorum se-  
ipso cognoscere, & scire, quisnam ametur,  
dum se diligunt; & maximorum malorum  
origo inde nobis accidit, quod nos nimium,  
& ultra id, quod verè sumus, reputamus; id-  
circo nullus, etiam inter antiquos illos & se-  
micæcos Philosophos, rectè vivendi magister  
est, cuius princeps prælectio non sit illa tanto-  
pere celebrata sententia **N O S C E T E I P S U M.**  
(C) Hæc, ut sub Critiæ persona Plato dixit,  
in superliminari atque aditu eius fani, quod  
fatidicus Apollo uspiam famosissimum ha-

buit, grandibus literis incisa, tantum auctoritatis obtinuerat, quantum si in labris aliquius Apostoli fuisset descripta. Prostabant tanquam prima consalutatio, quæ publicus ille Veritatis Sol, illuc ex toto orbe peregrinantes excipiebat; ultero cuivis ea respondens, quæ ipsorum maximè scire intererat; quæque consecuti, credebantur aliquando fortunati fore. (D) Num unquam (prosequitur Plutarchus) Geometras audistis demonstrantes, lineam rectam omnium, quæ à punto ad punctum duci possunt, esse brevissimam? ita plenè in Ethicis neque regula brevior, neque retior, neque ad actiones ex honestate formandas valentior dari potest eâ, quam dictum illud comprehendit, *noſce teipſum.* (E) Istud illustrissimus ille Veritatis campus est, in quo Xenocrates tribunal Inferorum Judicum constituit, & subtilissimum examen, & integras Causalrum actiones, & incorruptum judicium animarum, ibi in speculo nudas se contuentium, & quidquid bene unquam aut malè fecissent, luce aut caligine tanquam litteris in pectore sibi descriptum; & quod hinc existit, verum illud æquipondium, quantum laudis aut vituperij essent commeritæ. Et usummatim dicam omnia, illud lucetna est, cum quâ certò quis seipsum reperiat: cùm longè sit verissimum, cùm, qui seipsum non pernōrit, seipsum pro amissio habere debere.

Non mihi auditū insolens, quām visu ju-  
eunda

**sunda est solennis illa cæremonia, quam scri-**  
bunt Mogorum Regibus in usu esse quotan-  
nis eo die, quo nativitatis suæ memoriam re-  
petunt, & annorum incrementa complent,  
ad libram, sui ponderis rationem ineundi.  
Thomas Reus, aurei calcaris Eques, illuc ab  
Rege Anglorum legatus, rei actæ interfuit,  
ejusque ad nostrum Orbem distinctam noti-  
tiā reportavit. Erectum fuerat in Regio  
horto ingens tabernaculum, non solum ma-  
teriæ pretio, sed etiam artis Phrygiæ nobilita-  
te ita conspicuum, ut neque ad venustatem,  
neque ad majestatem Cæli alicuius terrestris,  
amplius videretur quidpiam desiderari posse.  
In medio grandem stateram suspenderant;  
cuius lances ex solido auro, laticlavus pretio-  
sissimis gemmis coronabat: cæterū tam am-  
plas, ut virum caperent, pedibus infra crura  
(ut genti sedere mos est) cancellatim reductis;  
quas aureæ itidem catenæ ternæ singulas su-  
stinebant. Circa papilionem subter sericis,  
omnique pretio intertextis tapetibus, Baro-  
nes Regni considerant, pro facultatum quis-  
que suarum magnitudine tam superbè excul-  
ti, ut singuli possent pro Rege haberi; nisi de-  
nique Rex comparuisset, cuius conspectus  
confestim omnium gloriam extinxit: tantus  
refulgebat splendor ab infinita prope gemma-  
rum congerie, quibus non jam ornatus, sed  
oneratus videbatur: ita ut omnis palmus in  
veste, totum thesaurum portaret. Cum hac

igitur & corporis & pretij, quin & maiestatis (quam eo die totam in dorso sibi gerit circumpositam) gravitate ubi in unâ bilancium confessum est, in alteram tantum argenti coniicitur, donec æquato pondere, & metallum, & Rex pariter in aëre collibrentur. Sublato dein argento, eadem ponderatio fit cum auro & gemmatis monilibus, succedit tertia cum preciosissimis pannis, multo auro divitibus: deinceps ultima cum farina, omnique genere solidi frumenti. Inde omnia, auro duntaxat cum gemmis excepto, inter pauperes distribuantur, quantum cuiusque necessitas aut meritum requirunt. Prius tamen femel atque iteruin argenti formati numerum curiosissimè recensent; eumque cum superioribus annis componunt, ut quam certissimè constet, quantum vel detrimentum, vel incrementum eo anno tanti Regis abdomen cepit: & tamen, quantumcunque carnis suminisque sibi adjecerit, nunquam ille ad obesum bovis pondus accedet. Quanto prudentius ille faceret, si per frequenter ac solus secum in aurea bilance incorrupti judicij, quamque posset, ab omni passionum imunditia expurgati, se libraret ad pondus Justitiae, magnitudo, generositatis, fortitudinis animi, prudenter, vigilanter cæterarumque virtutum & decorum, quæ alioqui virorum Magnorum pondus sunt & mensura? & quantumcunque impresentium deprehenditur, cum illo nimio,

mio, quod de ſe ſuſpicatur, computans, eru-  
belceret, ſe tantopere ſibi ipſi os animūmque  
obleviſſe: & vel eum ſe deinceps crederet,  
qui eſt; vel ad id conniteretur, quod de ſe ha-  
ſtenus ſupra verum credebat?

Ita ſanē quemvis facere oportet, quando  
tam universale illud malum eſt, quod nos ipſoſ  
videre non ſinit; quām ſingulariſſima amoris  
proprietas, cæcum eſſe, etiam cum alioſ dili-  
giuſ; quanto magiſ, quando ipſoſ nos, qui-  
buſ nihil vel intimius habemus vel cariuſ?  
Quod si olim Asclepiades jam cæcuſ, interro-  
ganti, num acerba ipſi ea oculorum orbitaſ  
eſſet; & quomodo non? reſpondit; eo que a-  
cerbior, quod à puer regi debeo? heu! quan-  
tiſ levitatibus; & quantiſ, ſi ita placet diccre,  
puerilitatibus, velut opem inde aliquam e-  
mendicaturi, ſe permittunt, quoquod iſmodi-  
co ſui amore obcæcati ſunt? hinc enim prove-  
nit, ut ſe tam falſo zetiment, quām fatuè dili-  
gunt. Et ſi volumus de operibus mentis exem-  
pla petere, ex quibuſ ſicut glorioſius eſt ſe ja-  
ſtare poſſe, ita decipi delectabiliuſ; quoſ no-  
ſtuꝝ audiuntur, ſuoſ ipſi oculos & ingenij per-  
ſpicaciam eouſq; dilaudare, ut non moduſ de-  
dignentur ad experimentum provocare, ſed  
ceu lumine captas aspernentur, quoquod in  
altiſſimiſ ſuiſ jugiſ Caucasus, vel Tauruſ A-  
quilaſ educavit? Quot Marlyæ ab ſua Ama-  
zone deluſi, præ ipſiſ Parnassi Numinibus me-  
liuſ ſe poëtari credunt, & præ Minciſ Cygno

canere suavius; admirantes insuper, nondum sibi geminos lauri ramulos, ut cervis cornua, de fronte in coronam progerminare? quid de nostris diebus dici possit, equidem ignoros: igitur ad veteres vos reducam. Legite modò de duobus Senecis seniorem, de duobus Philostratis juniorem; quām multos reperies-  
tis, quibus tametsi in difficillimā Eloquentiæ arte, (F) *pro virtute* ( ut de Alexandro Stoicus dixit ) erat felix Temeritas ; ijdem tamen ita sibi videbantur bene dicendo unicè optimi, ut alios omnes pro balbis & infantibus haberent? pñnes ipsos solos erat & mel Platonis, & Si-  
ren Isocratis, & Attica Musa Xenophontis,  
& tonitus ac fulmina Periclis, & quod de Hercule Gallico dicitur, aureis catenis ho-  
minum aures trahere posse; quōdque isti om-  
nes felici linguae incantamento solebant, ex  
conferto populi foro statuarum theatrum fa-  
cere. itaque & spectatores ipsi erant, & spe-  
ctaculum; adoratores, & idolum; tam bea-  
ti, quām imaginari tunc sibi poterant. Quām  
multos videre est, qui ad expediendum quod-  
cunque intricatissimum negotium tanta cum  
fiducia procedunt, quasi prudentiæ Tripo-  
dem in pectore, & verissima Oraculi respon-  
sa in lingua haberent? Denique quām multi  
sunt, qui cupiunt, omnes admiratione ipso-  
rum prudentiæ & ingenij ( quod (G) Augu-  
stus de suis oculis volebat ) in stuporem rapi?  
aut saltem se obçæatos monstrare, Divinita-  
tis

tis quodam fulgure ab ipsorum præcordijs promicante? Infania hæc est, à Philavtia procedens, quâ isti sunt ebrij: quæ, uti vinum abundantius sumptum, cor ultra quâm par est exhilarat; & caput supra omnem modum dementat.

Arcopagitæ, summarum causarum in senatu Atheniensi Judices, à quorum arbitratu non dabatur provocatio; non permittebant Oratoribus. ut pro reo, vel contrâ dicentes, arte commovendorum affectuum uterentur. Hosce Aristoteles (*H*) enumerat, & præcepta de ijs commentatur; utpote quos pro damnosis habet: & aliter quoque ab arte bene dicendi quâm maximè alienum putat, animos commotionibus perturbare, & judicium auditorum pervertere: quandoquidem officium Rhetoricae, quod est persuadere, proportionatum sit Dialectice, cuius est convincere; perinde ac verisimile Vero: sicut igitur ista syllogismo tantum & inductione pugnat; ita illam Enthymemate duntaxat, quod est syllogismus decurtatus, & Exemplo, tanquam inductione diminuta, uti debere. Commotio autem affectuum, solummodo ad perturbandum judicium, & evertendam rationem valentium, quid aliud facit, quâm curvare regulam in manu illi, qui ad eius amissim dirige debet illas res, quæ ad considerandum erant propositæ? ita ille: ac bene quidem, sicut & in tribus reliquis aurois libris de arte Rhetoricae

torica. At enim quis è meditullio nostri ipsorum poterit fraudulentum illum judiciorum perturbatorem ejcere , naturalem inquam nostri ipsorum amorem?

Neque sanè scio , quomodo id vos docere debeam, quām si jussero, unam falsitatem de ludere per alterum ; nempe considerare vos ipsos , tanquam hominem penitus alium , & similem tantū vobis: cuius rei uti vobis præticum quendam modum ostendam , utar consuetudine quadam optimorum pictorum , etiam à Plutarcho adhibitâ. Isti, ait ille, cùm ad eam, quam possunt , perfectionem perduixerint aliquod opus , non id statim, velut absolutum , ei consignant in manus , cuius est ; sed aliquamdiu à conspectu seponunt: postea tenui novum & alterius laborem, denuo subjiciunt oculis; non ex curiositate, sed velut censoris officio Iudicisque revidendum ; perdiligerenter attendentes , nihilne à veritate rei absudat penicilli ingenium ; quām grata sit colorum cum varietate unio ; quid in actione , quid in rebus aut personis non conveniens ; quām vivus vultuum vigor , luminis & umbrarum casus , locorum in distans remotio ; insuper quæ vestita comparent , an nudis membris sat bene commensa sint ; & quidquid aliud ab arte desiderari potest: neque facile accidet , ut non reperiant , quod emendari perficiique possit. Hoc præmisso prosequitur Philosopher: (I) *questionem autem fieri non potest, ut homo à scipio*

seipso sciunctus, ac interrupto sensu assiduitatis, rursus ex intervallo sese adeat; idcirco oportet amicis, qui sunt quasi alteri nos, neque tamen similiter ab irrationabili nimioque nostri amore decepti, potestatem facere suscipiendi de nobis examinis. ita ille Ego tamen existimo, illum, dum nos à nostri ipsorum judicio removit, nequaquam satis ex vero locutum esse. Scio namque (neque Plutarchus, dum illa Romæ scribebat, ignorare potuit) quod Seneca toti mundo publicarat. & ipsem solitabat facere, vocando seipsum ante se; & tanquam duo Senecæ in uno forent, unus agere judicem in tribunali, séque percontari, dum alter rei instar in equuleo responderet: & prout innocentia vel culparum gravitas requirebant, seipsum absolvere, vel condemnare; laudare suaviter, vel acriter reprehendere: idque acti- tando quotidie, tam evidenter seipsum per noscebat, ut neque amoris proprij blandimen- tis, neque aliorum mendaci adulazione fal- sus, vel hilum altius de se sentiret, quam par erat. Et hem' exclamat ille (namque id antequam noctu decumberet, usitabat) (K) qua- lis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tran- quillus, altis, liber: cùm aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui censorque cognoscit de mori- bus suis? Vtor hac potestate, & quotidie apud me cau- fas dico.

Qui ita facit, hem quantorum malorum,  
quæ evitat, liber est? quantorum bonorum,

quæ aioru  
n bonor

quæ illi inde eveniunt, locuples? illius imprimitur, ut non eò solum, quod se inter magnos quis reperiat (quocunque tandem magnitudinis genere) pro magno superbè se aestimet: neque ex merito & eminentia eorum, quos inter versamini, tanquam si ea pariter vestra esset, quæ tamen ad vos nulla ratione pertinet, arroganter vos jactetis. Nunquid enim indignationem simul & ritum provocaret fonticulus, qui in mare ingressus, cum illo aquæ filo, quod dicit, contra Nilum, lstrum, Tanaim se elevaret, eorum tenuitatem deridens, qui quantumcunque grandes sint fluvijs, ipse tamen intra maris receptus sinum, jam integrum mare sit? quis unquam histrionem audivit, Regis personam in scena agentem, inter alias singulares magnitudinis sunt dotes, etiam illam de corporis mole denarrare, quæ se gigantibus idcirco adæquet, quod regalis pallij syrinx ad quatuor vel quinque ulnas post se trahat. Ephebis sustentandum? similiiter in proposito nostro; ut quis dicat, se quempiam magnum esse, non sufficit tunicam monstrare: quam qui pro vestra reputatione sustineant, si procidere sinerent, tantam ea vobis negotij facesseret, cui forte pares humeros non haberetis. Multi simul possunt totum aliquid efficere; sed unus neque omnes, neque totum, imò ne quidem alter est. Olim Ægyptij, qui proprios fundos habebant, omnes insimul se dominos Ægypti appellabant;

et

¶ tamen lege, ut refert *Herodotus* (L). ut qui  
pirum possidebant, id passibus metirentur,  
se describerent, tot passibus fundum sibi pre-  
tendi; qui plus, stadijs (trigesimâ milliaris  
parte) designarent; locupletiores parasangis  
uterentur, quarum una triginta stadia conti-  
net; denique potentissimi schænis (mensura  
duplo majore) determinarent possessionum  
spatia. Hunc in modum singuli possessores il-  
lis terræ, suum illud seu modicum, seu mul-  
tum, aut plurimum, prout facultates eius  
merabantur, proprio vocabulo recognosce-  
bant. Et sanè, per Deos, dicite mihi: an non  
expedit, parum habere & suum cum mode-  
stia, quam cum animi elatione totum illud  
falso suum putare, quod aliorum est? quatuor  
pennas habere, sed in viva alarum carno  
mihi natas, quarum subsidio me quoque possim  
tolere humo; quam dorso aptare venustissimas  
pavonis plumas, & psittacorum multicolore-  
rum vestitum, & regalem ac magnificum a-  
quilarum habitum, aut cygnorum? qui enim  
me valeant in altum levare, quando  
seu furtim, seu commodatò circumpositiæ  
sunt, quibus neque ego possim subdere im-  
petum, nec illæ mihi ferre auxilium? profectò  
enim si ego Cornicula sim *Alopica*, ex alieno  
tantum pennata, tanto magis fuerim ridicu-  
lus, quanto minus aliena ornamenta mihi  
convenient.

Ubi mihi in mentem venit illius quondam,

ad

ad primum auditum explosæ, postea tamē laudatæ & comprobatae sententiæ, quam Poëta Aristophanæ in solennissimis ludis, quos Ptolomæus Ægypti Rex in maxima illa sua Metropoli Alexandriæ, Apollinis Musarūmque honori dediraverat, pronunciavit. Vocatus enim, ut ipse quoque inter septem Judices considéret, quorum arbitratu prima laus, & coronæ, & præmia. juxta cujusque meritum, poëtis distribuerentur, de pegmate carmina sua recitaturis; posteaquam isti dicere cessarant, iex Judices Alexandrini, qui priores affederant, ex vulgi plausu, majore vel minore, tulère sententiam. Ubi ad Aristophanem ventum est, ipse prorsus aliter à ceteris, illi primatum addixit, qui reapse omnium erat pessimus, eoque ne uniusquidem è populo voce commendatus, nec à Judicibus aridâ saltem laureola donatus. Tam inexpectatam, & omnium sensu insensatam arbitrationem, jam non risus aut admiratio, sed ira populi, Regisque indignatio excepit: & tanquam hospes ipse jam non Judicem, sed sannionem voluisse agere, & Regiorum ludorum totiusque Alexandriæ contemptorem, murmur per cuneos ibat; & vix parum aberat, quin grave sibi malum à turbulentis concivisset. (M) Cum autem Rex & universi vehementer indignarentur, surrexit Aristophanes, & rogando impetravit, ut patarentur se dicere. Itaque silencio facto, docuit, num ex his cum esse Poëtam: ceteros aliena

*dīma recitavisse: oportere autem indicantes non fuisse, sed scripta probare. Ita ille, non minus celer in comprobando suo sensu, quam in dicendo liber fuerat. Igitur prædones hi Poëmatici, alienis exornati laboribus, à Ptolomæo ad futrum pœnas damnati; insuper cum corona semper vivæ ignominiae in capite, Regno ejecti fuerunt.*

Et hinc ecce alterum, & ingens omnino emolumenntum nobis enascetur, si nos quam penitissimè pernoverimus; scilicet ne quid prætendere audeamus, ad quod consequendum in facultatibus nostris, seu Capitali, us dicunt, vires non habemus, quæ sufficiant. Quod Hercules eiusmodi vir sit (aiebat de illo furiosa, & vindictæ sitiens Noverca) cui in animum venire possit invadendi ætheris audentia, inde mihi persuadeo, quod sciam, ad id ei necessarias vires suppetere;

(N) *robore expenso tamet:*

*Et posse cælum viribus vinci suis,  
Didicit ferendo. Subdidit mundo caput,  
Nec flexit humeros molis immense labor.*

Non ita famosus ille athletha Polydamas, ob virium & roboris, quo omnibus præstabat, incredibilem magnitudinem, suorum temporum Hercules dictus. (O) Cùm enim fortè cum amicis in caverna, ad gestivos calores in umbra declinandos, consedisset post cenam, videretque grande saxum, à latere montis resolutum, corum verticibus imminere, cæteri consul-

consultore alio ad fugiendum non habuere opus, ut quibus per se constaret, sibi dorsum non esse tanto oneri sufficiens; sed ad primum ruinæ stridorem, conjectare se in pedes. Polydamas solus, quanquam eatenus nunquam eius experimentum cepisset, quid sit, frustum montis in libero aëre sustentare, pedem humi defixit, manus scopulo objecit: verum iste ne momentum moratus ruere, vasti illius corporis obicem in vestigio prostravit in terram, omniaque ossa in minutias contrivit. Scilicet non omne pondus cuivis humero æquum est: & qui seipsum non per bene cognovit, eiusmodi sibi audebit super imponere, sub quo deficiet, & denique omnino succumbet. Igitur antè seipsum velut in libra expendere: & ubi imparem tali se oneri deprehenderit, non modò illud non expetere, sed ultro etiam oblatum defugere, non est infirmitas, quæ timidum arguat; sed generositas, quæ prudentem demonstret. Ita Antiochus Orator ijs respondit, qui eum ceu pusillanimem ac meticuloſum fugillabant, quod homo tam cruditus, & in Oratoria arte præcellens, non itidem, ut alij longè minoris famæ declamatores faciebant, tractandis Reip. negotijs se immisereret: Non est ita, ini quiebat, ut vos quidem arbitramini. Timeo cœquidem; verum est: & quia timeo, meritò me longè à periculis subeluco. (P) Quem autem timeo? an populum? minimè gentium. timeo

timeo duntaxat meipsum. Idque ob eam rem dicebat, quod scipsum naturâ vehementer iracundum cognovisset: proinde ubi dicendi ardore, & causatum, quas agitare necessum foret, pondere incaluisset, quisnam eum securum præstaret, in eo adversariorum concursu non eventurum, ut etiam non aduenti volentique soluta lingua, non plus rationem sequeretur, quam iram?

Itaque grandes illi applausus, quos sibi jactatores quosdam nonnunquam videmus ipsosmet dare, quamquam nullum adhuc sui periculum fecerint, unde scipios, quantum in tali negotio valeant, poterant perspicere; certissimo dōcumento sunt, multum eos præsumptionis, parum sui notitiæ habere. Fora urbiū (Q) Vitruvius recte admoneat, debere habitatorum numero proportione aptari: aliter utique inconcinnum futurum, si in oppido, cuius ambitus vix mille passus expletat, forum tam vastum videas, quod Cairi amplitudini possit condecere? unde fiat, ut, cum videatur aspicientibus innumerabilis vulgi cōventum promittere, ubi ille totus ed̄ coiverit, adhuc duo trientes desolati restent, melius pro agro ad fēmentem servituri. Ad eundem modum, si quid de teipso spōndebis, id non antē fiat, quam quid possis, bene perspect̄is: ne in illâ superbissimorum verborum exundatione modicum illud, quod deinde

G.

tibi

tibi facultates tuæ præstare permittent, planè  
ut nihilum quoddam mergatur & dispareat.  
Quid enim inde aliud existet, nisi ut turpiter  
confusus, apud te erubescere debeas; & ab  
alijs passim ridearis? sicut Alexandro M.  
evenit, qui gestarum rerum felicitate elatus,  
non verebatur se pro Iovis filio jactare. Ve-  
rūm non adverterat, (uti planè omnibus  
superbis solet accidere) in eo ipso se sibi glo-  
riam minuere, in quo eam volebat facere ma-  
jorem. quippe Philippi filio, & eius ætatis ju-  
veni, utique plenum eximiae laudis fuerat,  
tantas res patrasle: idipsum autem pro Deo-  
rum aliquo & Iovis filio, prope minus erat  
quam nihil. Accidit autem, ut dum quodam  
die cum amicis super eo argumento confabu-  
laretur, repente nubibus tam horribile toni-  
tru crumperet, ut exitium orbi importare  
videretur: concussa intremuerat tellus; &  
quotquot circa Alexandrum stabant, eo fra-  
gore exanimati, vix pedibus consistebant: so-  
lus Anaxarchus Sophista ad Regem conver-  
sus, cuius paulo ante stultitiae fuerat indigna-  
tus; (R) nunc, ait, & tempus, & locus est, ut  
te Jovis filium probes. tu id affirmas; cuncti  
contradicunt; nemo id credit: ego fidei du-  
bius, rei argumentum expecto. Euge! iti-  
dem, ut Juppiter, tonā: tēque cælum ac ter-  
ra audiant eā voce patri respondentem,  
quam neque fingere humanum est, nec imi-  
tari. Verūm neque Sophistæ ratiocinatio,  
neque

neque fulminis terror tantum valuit, ut fatuo  
juveni sanam mentem restituerent: militis  
manu & sagittâ ad id opus fuit. In prælio  
enim accepto vulnere, ubi ad tabernaculum  
reportatus, cæpit jam ferendæ doloris acer-  
bitati impar fieri, animoque debilitari, plenis  
etiam rivulis videre cruentem è plaga decur-  
rere, ad suos conversus, qui per adulatioñem  
ita de eo loquebantur, uti prius ipse de se;  
nunc alio idiomate, (*S*) *Omnis, inquit, iurat me  
esse Iovis filium: sed vulnus hoc honinem me esse clamat.*  
Ita in persona Alexandri locutus Stoicus, sa-  
lubre ijs subdit consilium, qui prægrandibus,  
& longè supra verum exæcelsis de se cogitatio-  
nibus obnubilari sibi caput sinunt; *idem ergo*  
*nos, faciamus, cum pro suâ quæcumque portione adulatio-*  
*infatuat. dicamus: vos quidem me dicitis prudentem*  
*esse; ego autem video, quam multa inutilia concupiscam,*  
*nocitura optem: similiterque de virtutibus alijs,*  
*quibus revera caremus. atqui inter adulato-*  
*res omnium maximus, maximèque tectus,*  
*& nobis intimus, libentissimèque auditus, &*  
*minimè omnium mentiri solere creditus, est*  
*sui ipsius amor, qui non sinit nos ea in no-*  
*bis videre, quæ si videremus, non tantope-*  
*re nos amaremus: imò contra omnem veri-*  
*tatis comprobationem credere nos facit, id*  
*nos esse, quod non sumus; & id de nobis*  
*promittere, quod virium inopia non con-*  
*cedit.*

*Quâ in re quandoque eousque proceditur,*  
G 2 ut

ut prodigia; imò melius dixerim, monstra videamus intolerabilis arrogantiæ, quoties illa, in quâcunque demum materia, ad Pompeij fastum accedit, quo infelix ille in præcipitium perturbatus fuit; ed solùm, quod intra debitos æquitatis fines continere sese nescius (*T*) neque quenquam animo parem tulit: & in quibus rebus Primus esse debebat, solus esse cupiebat. Itaque tanquam Soli sint, putant sibi insolitum illud reverentiæ genus deberi, quod Aristoteles (*V*) testatur, apud quosdam Barbaros erga ipsorum Regem in usu fuisse. ubi enim hic uspiam comparuisset, omnes inde diffugere, sequi abscondere solitos, velut eius aspectus omnes in nihilum redigeret; aut ipse Solis instar totum esset; cæteri tenebræ, & nihil. Loquamur autem de rebus longinquis; & eo minus odiosis, ac magis certis. Veterum Philosophorum Sectæ, Academici, Stoici, Peripatetici, Democritici, Epicuræi, & qui qui alij seu simplicis, seu mixti generis fuerint, singulari pñes se unam, existimabant Veritatem residere ac Sapientiam: cæteras omnes vel stabula pecorum, vel stultorum ergastula, aut repositoria statuarum esse reputabant. Nümne in Pomponio Mela, antiquo Geographo, subnotatis, quâ ratione nostrum Mediterraneum mare describat? Caput eitus intra angustas fauces Abilæ & Calpes reponit, quâ fretum Gaditanum excurrit: ubi in latitudinem diffunditur, Africæ, Europæ, Asiacque oras,

oras, & omnes quatuor mundi plagas alluer-  
re: ad Hellespontum ac Bosporum Thra-  
cium in angustias constringi: & quanquam  
tot maria in se uno complectatur, quot diver-  
sas Regiones ambit, diversaque nomina in-  
duit, tamen, addit denique, (X) *id omne, quæ*  
*venit, quæque dispergitur, uno vocabulo N O S T R V M*  
*M A R E dicitur.* Jam producite, qualem cun-  
que vultis, Veterum Academiarum, quæ  
Sapientiam profitebantur, ceu freta, sinus,  
portus, & maria plena omnis illius doctrinæ,  
quæ de Divinitate, naturali aut morali philo-  
sophia comprehendendi potest; & advertite be-  
ne animum, an non quævis illarum eo solum  
vitio, quod neque se, neque alteras bene co-  
gnoscat, totam eam sibi arroget dicendo, *id*  
*omne Nostrū Mare dicitur?* Et tanquam id, quod re-  
vera permultum est, tamen parum foret, suæ  
scholæ ac Sectæ professoribus illud accomo-  
det, quod Isocrates Orator in laudem famo-  
sissimæ suæ Athenarum urbis scriptum reli-  
quit: (Y) *Nostra urbs cæteris hominibus tum sapien-  
tiâ, tum eloquentia tantum antecellit, ut eius Discipuli*  
*sint aliorum Magistri: id consecuta, ut uomen Græcorum*  
*non iam nationis & gentis, sed Rationis & Mentis ar-  
gumentum esse videatur?* De ipsarum autem ma-  
gistris, & primis maximè auctoribus, quo-  
rum scita & præceptiones sibi tuendas sum-  
pserant, ne quidem dicere attinet. hic enim  
neque de prioribus quisquam in comparatio-  
nem admittitur; neque postea nascituris æ-

qualitatis ulla spes relicta est: cum planè in modum, quo de heroum principe Hercule (2) plerique definiunt, nullum posse excedere longitudinem septem pedum; quod intra hunc modum Hercules fuerit.

Hinc per naturalem consequentiam, post tam audacem de se existimationem, succedit illa sperandi temeritas, posse se quemvis alium sibi submittere, & opprimere: non advertentes, aliud esse, intra seipso gestire, & turbannis ad instar super uno pēde in orbem se rotare, plenos jubili & plausus, quo seipso beatos dicant; aliud, in apertum campum prodire, ac litem armis discernere, ubi mundus totus pro testimonio adstet, facta ipsa dijudicent, ferantque sententiam. Quod suo malo didicere Achæi, gens si quæ unquam in mundo fuit, intolerabili sui aestimatione prætumida; qui non minore fiduciâ, quam si jam quidvis in manu haberent, credebant, nullum posse ipsis tam difficile molimen in mentem venire, ad quod feliciter expediendum ipsis non valoris, & ingenij centies millies plus sufficerat, quam pro rei gravitate opus foret. Talibus proinde oculis, quibus totum mundum aspernari solebant, Zazynthum insulam aspicerant, admodum de propinquo maritimis ipsorum terris adsitam, & rebus suis utique oportunam futuram, igitur illam vidisse, proba appetendi cœla, & jam paulo minus quam remulco ad se traxisse, & cum terra

Achaia

Achaia conjunxisse fuit. proinde pleno senatu eius occupationem decernere, & ad hoc celeriter exercitum conducere, prædámque, ac totam Insulam, priusquam eam haberent, inter se partiri, omniaque tam in expedito habere, velut ea jam continens, nullóq; maris intervallo dirempta esset. Dum autem naves in procinctu stant, & sub ostio portūs vela ventis expandunt, pessimo consilio initium facturæ, modica aura, tantum illis propitia, quantum contraria, intus eas cohibuit, itaque portūm occlusit, ut inde amplius non egressæ sint. (Ae.) Illa aura T. Quintij, qui id loci res Rom. moderabatur, oratio fuit: qui vocatos ad settam temerarij belli auctores ducésque, hunc in modum allocutus est. Forma vestri huius Peloponnesi, quantum ego quidem contemplando assequi potui, prorsus mihi testudinem ad vivum repræsentat: quid equidem vobis videatur, ignoro: illud scio, si id ipsum mecum putaveritis, magno id vobis commendo, imò saluti futurum. Quamdiu intra vos collecti, implexi, & velut sub concha reconditi, capite manibúsque adductis restare potueritis, ab externâ violentia facile vos securos præstabitis. quodsi fatua quædam præsumptio vos pelleixerit, ut caput audeatis longius proferre, quemadmodum hâc ipsa hora Zazynthum usque extenditis, ad tam audax factum illud consequetur, ut id male protritum & quassatum debeatis denud in-

trorsum retrahere. Tantum iste. Unde ne  
ego plus volo adiucere ; quām illud modò sa-  
pientissimum Plutarchi monitum : (B b) Deus  
nulli magis præcepisse videtur illud **NOSCE TEIPSVM**,  
quām ei, qui sit alium reprehensurus.

*Nani fieri solet, ut iuxta Sophoclis dictum,  
Vbi verba temere fuderis, cùm quæ volens  
Dixi, vicissim eadem ipsa nolens audias.*

A. Plut. de discern. amic. ab adul. B. Orid. Metam.

C. In Charmide. D. de Pythia orac. E. in Axiocho.  
F. de benef. V. 1. 13. G. Suet. in Aug. c. 79. H. Rhet.  
l. 1. c. 1. I. de cohib. ira. K. de ira. l. 3. c. 36. L. l. 2.  
M. Vitruv. præfat. l. 7. N. Sen. in Herc. fur. O. Pau-  
san in Eliac. post. P. Philost. in vita. Soph. Q. l. 5. c. 1.  
R. Plut. in Alex. S. Sen. ep. 59. T. Vell. Pat. l. 1.  
V. Rhet. l. 1. c. 5. X. l. 1. c. 1. Y. in panegyr. Z. Solin.  
c. 5. Aa. Plut. in Apoph. Rom. Bb. de util. ex iniis.

## V.

## PROMONTORIUM

N O N.

IN DECORA PETENTIBUS,  
RITE

NEGANDO RESPONDERI.

**N**unquam tonantis cæli mugitus, aut irati  
maris fremitus, tantum terroris nauta-  
rum auribus incussit, quantum illa æquè for-  
midabilis, ac minima syllaba N O N ; quæ A-  
fricani huius Promontorij, superioribus sæ-  
culis tam famosi, quām hodie vix memorati,  
nomen

nomen fuerat. Quale id sit, ipse vobis contumus ostendit; terræ cuspidem in mare prominentem, ab extremo magni Atlantis jugo productam: qui à freto Gaditano, ubi unum pedem implantat, versus Meridiem per regna Fessi & Marochi rectâ procedens, alterum ad extreemos Provinciæ Sus fines defigit, cuius apicem hic circa vigesimum nonum gradum altitudinis Borealis protendit. Neque tamen illum tam formidati quondam promontorij terrorem, inde extitisse putaveritis, quod ibi vel in terra magicas alicuius Circustransformationes metuere, vel hic in mari Sirenum pertimescere cantus oportet, soporatos vectores devorantium; aut per medium concurrentium Symplegadum traducendæ classes essent; aut quod nova ibi Scylla & Charibdis viseretur, quarum una elidat, altera devoret miseras rates. Totum illud horribile, agitatio & conflictus undarum erat, quem duo æquora faciunt, in ipso huius promontorij apice ex contrarijs oris adversum inter se concurrentia, sique mutuo repellentia: quare ubi ventus vel parum adspiraverit, tanto ferocior insurgit tempestas, quanto mare ibi per se est concitatus. Quia vero ars nautica veterum temporibus adhuc tenella & debilis, non audebat in apertum sese pelagus committere; litora legebat, tanquam una manu ad terram se attinens, donec Caput istud concendiisset, etiam sub malacia tempore.

stuosum. unde omnibus unà & animus, & vires excidebant: neque aliter, quàm si catenam, inter Herculeas columnas suspensam contigissent, retro cursum urgebant, juratâ quadam opinione imbuti, hos esse fines, non quidem naturæ, sed nostri in Occidentem vergentis mundi: quos si quis audacior návarchus attentare velit, aut non supereret, aut non redeat. Ita illud tanè horribile, quàm exitiale N O N, in istius promontorij nomenclaturam versum, Europam tot sæculis in Europa continuit: neque tamen opum Asiaticarum desideria temperavit, quibus illa pæne usque ad mortis necessitatem langebat. Ubi verò eadem ars cum tempore major facta est, tum usu peritior ac animosior, ita ut jam vastissima quaquaversum maria percurrere, & terram aliquot milliarium centurijs è conspectu auderet dimittere, erubuit nimirum puellares suos metus. unde Caput illud quondam ita formidatum, eo usque hodie in contemptum abiit, ut in paucis Geographicis Mappis locum amplius inveniat; paucæ naves in transitu id aspiciant; nullus nauta id timeat: & India, postquam id superari transire que cæptum est, maximam sui partem in servitutem subacta, tot compedes gerat, quot arces & munimenta illius cervicibus Europæi imposuerunt. Ut igitur totum hunc tam memorabilem eventum in emolumentum vita-

vitæ morūmque convertamus, existimo, hinc nos dilucidè doceri, quantopere intersit, ut quivis in Capite impressum eiusmodi NON præferat, quo ita conterrere, & retro compellere possit audaciam illorum, qui pervertendi nostri opinione imbuti, confidunt, se posse nobis, ille quidem fidelitatem, iste vero justitiam, aliis concordiam aut honestatem, & in his omnibus animi innocentiam, petendo instandōque extorquere. Et quamvis hic se ingens nobis campus aperiret ad discurrendum, quomodo rite aut malè aliquid Negari possit; (& alibi, cùm de malacia Guineæ dicemus, de contrario prorsus arguento disputandi locus erit) impræsentiarum tamen solum ad indicatam huius materiæ partem nos attinebimus.

*Indigere & petere*, sunt duo Gemini eodem uterogeniti: & quidem ille prior in mundum exierat, postea iste: ita tamen arctè manibus pedes illius complexus, ut potius unum, quàm duplēcē partum effecerint. Vah miserum mundum, si nulla ibi indigentia foret: quivis profecto secum, aut cum paucis habitaret: non solum omnis provincia, sed omniscēto terræ, vix passus centum patens, per se mundus aliquis esset; & hominum genus res dissociata, solitaria & propemodum silvestris: ubi è contra egentia concatenatos, in ingenititia populorum corpora componit; maximæq; urbes, immo omnes nationes unus populus, & tota

tota terra una patria efficitur. Jam vero Pe-nuriam naturaliter subsequitur petendi con-silium: ita ut etiam ille, qui illa dat, quibus ab-undat, ea petat quorum necessitate premitur: unde primum illud commutationis, postea compendiosius & expeditius pecuniae comer-cium ortum habuit, quæ in virtute est conti-nétque Omnia. Veruntamen etiam sola verba in mercatum expendere, & petitionem cum acceptione permutare, de illo ( liceat ita appellare ) contractuum genere est, qui non in quovis æqualiter procedunt: cùm permulti sint, qui incomparabiliter faciliùs nummos fænori locarent, quàm preces.

Vitium id sit, an virtus egregij animi ac celsùm spirantis, non refert exquirere: ea ta-men vox *rogo* hominem nobilem, & idcirco magis ad largiendum quàm accipiendum, ad offerendum quàm poscendum proclivem, sub labijs cruciabiliùs torquet, quàm parturientē fætus in transversum actus. Tunc solùm mi-feros se confitentur, quando se illuc redactos vident, ut, nisi aliorum invocent auxilium, suam non possint longiùs perferre miseriam: & quando ad amarissimam vocem *rogo* profe-rendam os aperiunt, totum sibi vultum ru-bore perfundunt, & velut præ gravi pondere ad terram inclinant. ( A ) Molestum verbum est, inquit Stoicus, onerosum, ac demissio vultu dicendam, *Rogo*. Qui hoc modo obtinet quod petit, non pro dono computat, quod ei donatur: etenim ( B ) non

(B) non tulit gratis, qui cùm rogasset, accepit. Neque id volo dicere, quod proverbio fertur, gratiam petitam esse ex dimidio solutam. an enim tantùm ex dimidio? imò, suscipit ille, ut maioribus nostris visum est, nulla res carius emitur, quàm qua precibus empta est. Igitur qui sibi titulum Magnifici & Liberalis ambit, non expectat, donec oretur ; sed necessitatem & merita egentis vidisse, petitionis ipsi ac precum in vicem est: tunc enim beneficium , quod expetitum aestimationis dimidium amississet, sponte oblatum tantundem id reduplicat. cuiusmodi benefientiæ in hominibus, excuso animo præditis, exempla usque ad miraculum egregia suppetunt. Cæterùm ex infinita rogantium multitudine , qui eximium aliquid habent sive à nobilitate , quæ eos in petendo tardos modestisque facit ; sive à meritis, unde digni sunt ut accipient ; haud dubiè unus pro centum alijs erit , qui existimatione sua tumidi, mendaces , insatiabiles, effrontes , & quod præcipue dicendum sumpsi , apertè scelerati , non erubescunt id flagitare, quod non minùs iniquum sit concedere , quàm improbum fuerat petiisse. Contra huiusmodi homines summæ laudi fuerit , velut durum in mari scopulum stare , tam immobili Negandi decreto fundatum, cum tali indignationis demonstratione , & velut tempestatis æstu, ut ab horum naufragio & interitu alij discant, tam temerariè accedere non audere.

(C) Ah!

(C) Ah! solebat Brutus dicere; quām infeliciter ille dies suos expendit, qui non didicit impudentibus, cūm oportet, etiam cum asperitate aliquid negare posse! Non id viorum est, sed meritōriæ ancillæ & prostibuli vilissim⁹, ad cuiusvis lubentiam se exponere, quidquid ille demum voluerit. neque se ulli Virtutum assimilat: quæ omnes (siquidem bene earum genium consideramus) sunt, velut Spartanorum Deæ, armatæ, & cum hastis ita demissis, quasi in adversorum pectora con torquere cuspidem vellent. Et si comparare utrinque errores placet, omnia denegare, nullo æqui vel iniqui discrimine, naturæ quædam barbaries est, vel animi fastuosi rusticitas: omnia autem indulgere, sæpius pro sce lere, quām pro generositate habendum erit.

(D) Quare huc intelligi debet, quod Fronto quondam Imp. Domitiano, qui Mundi Caput sine capite erat, dixisse perhibetur; malum utique eum principem esse, sub quo nihil facere liceret; sed longè pessimum illum, sub quo non intersit, quid liceat, vel non liceat, sed quidvis libère, fierique permittatur. (E) Mehercle non ita Juppiter; quod referens Lucianus, non ut Atheus locutus est; si is tamen erat. Ubi hora audiendis hominum petitonibus destinata advenisset, ait ille, omnes libellos supplices, quotquot in cœlum submissi è Terra forent, ante se aperiri jubet: tum ante omnia, insolentia eorum vota, qui rogare non

non verentur, quo concedendo nec ipse iustus foret, & illi obtento eo pejores fierent; potenti flatu eò dispergit, unde nunquam amplius in cælum resiliant.

Cùm igitur quispiam venerit, qui seu veteris amicitiæ, seu proximæ consanguinitatis fiduciâ, aut antiquorum nominum, quibus ipsi eijsque familiæ obstricti estis; aut eorum decorum, quorum respectu nihil ipsi videatur negari posse; eam sibi à vobis indulgeri rogationem cupiat, quæ ( nescio speciam qualis; dicamus tamen in genere ) una ex earum flagitiosarum ac deformium numero est, cui si gratificari volueris, necesse sit conscientiam perdere; ac si fortè resciatur, honorem; & quoties etiam de vita periclitari? tum, nisi in eludendo multâ dexteritate, aut in repellendo fortitudine utamini; aut, quod in certis casibus præcipuam laudem habet, utrâque; (& sanè utraque, sed diversimode, negantis formam habet;) de rebus vestris actum erit. Apud belli ducēs non minus aestimatur, qui prudenter ac tempestivè scivit exercitum ex discrimine salvum recipere, quam bene ordinatam aciem animosè in hostem inducere. idque meritò: quando ibi ingenium ac prudentia hostem ludendo superant; hîc ipsi etiam Impp. confitentur, magnam partem fortunæ deberi, propter accidentia modò prospera, modò adversa, quæ præter omnem expectationem & artis regulam

lam, repente scenam arenæ immutant; itaque rem totam in oppositum convertunt. ut prius quam sciri causa vel modus possunt, vicitores viatis palmam cum campo cedant. At verò servatis densatisque ordinibus lentè, neque cursim suos reducere; & quamvis superbum à tergo hostem habeas, non tariùs illi faciem monstrare quam dorsum; configere simul & proficiisci; ita ut non magis videare ab illo pelli, quam tu illum post te trahere; hoc scilicet perratum est, & apud belliperitos facinus tam gloriosum habetur, ut ambiguum faciat, potiusne in Duce spectandum sit, Caput, an pectus; animositas, an militaris scientia. Ad eundem modum maximæ laudi tribuitur, scire (quod maximè cum viris principibus actitandum est) ab armatis, sed dishonestis eorum precibus se eximere, dextrè simul & intrepidè eis tergum obversando, una Syllaba N O N oppositâ; ita ut ijsipseum postea admirentur, quem nunc oderunt: & in tanto majore existimatione habeant, à quo sic delusi sunt, quanto plus hostem suspicimus, qui fortissimè dimicans in salvum evadit, quam timidum alium, qui abjectis armis arbitrio se nostro permittit. Huius rei in fidem demus, si ita placet, fabulosum quidem factum, & in uno duntaxat petitionum generе; maximi tamen in mundo usus; & à gravi persona profectum.

*Impudentissima simul ac impia antiquorum*

rum Poësis quantas non Dijs suis rogationes affinxit, turpibus illis, & tantorum flagitorum reis, ut si homines fuissent, huius quidem impudicitia rogum, illius furtar restim, istius latrocinia securim, alterius adulteria Seryphum & Gyaros utique non debuissent effugere? Qualis fuerit Apollinis ad Daphnem virginem postulatio, tam vulgo notum est, ut supervacaneum sit meminisse: huius tamen responsio sola memoratu digna est; quae fuit quoddam N O N in facto consistens: quando obversis illi humeris profugit, alterum tantum nunc scipsa, quam prius, formosior; ut quae ne quidem integrum detestabilis voti orationem audire sustinuit: sed interea, dum ille in medio ac summo dicendi servore erat,

(F) *Plura locuturum, timido Peneta cursu  
Fugit & cumque ipso verba imperfecta reliquit:  
TVNC QVOQVE VISA DECENS.  
Imo, dum illa ante suum persecutorem  
fugit,  
AVCTA FVGA FORMA EST.*

Neque illam assecutus est prius, quam in Laurum esset transformata. Tunc scilicet illa per castitatem adepta est, quod corruptæ nunquam obtigisset, ut illi ipse leno contemtas, mille encomiorum titulos daret, Arborem sacram faceret, immortali viro semper vigentem ac viventem; cui neque hymns suum decus deceutiat, & quæ inter ful-

mina nihil metuat : dignam , cuius folijs tempora sibi poëtæ incingant , honorentur triumphantum capita , & Imperatorum vertices coronentur . Verùm enimvero tametsi vobis honor alius de novo non accederet , an illud esse parum existimatis . quòd tam generosa Negatio ab ignominia & infamia vos liberabit ? Non enim propterea , quòd Magnus aliquis ( cuiusmodi apud antiquos utique Apollo fuerat ) aliquid à vobis poscat , consensus vester propudij notam vitabit . Quapropter prudentissima hac in parte Olympias Alexandri M. mater fuit , quando acceptis ab eo litteris (G) cognovit , eum adulatorijs responsis Ammoniæ sacerdotis deceptum , seipsum Jovis filium vocitare . confessum enim , non sine bellâ joci & veri mixtrâ , eidem rescripsit : abstineret ab cå jactantia , quæ sibi plus ignominiaz , quam ipsi gloriæ afferret : neque sibi pergeret Iunonem , ceu Rivali , iratam facere . secus quemadmodum alium sibi patrem reperisset , ita aliam quoque matrem inquireret . se enim Philippi quidem conjugem fuisse : ut autem pro adultera , tametsi Iovis , pellice habeatur , nunquam sanè esse passaram .

Verùm procedet fortè sub aspectum cum ea majestate , quam habent leges , quibus mundus gubernatur , Lex illa de antiquis duodecim tabulis rotundis , in quibus totum Jus Equestrè continetur , extracta ; quæ sub pæ-

*Indecora p̄tentibus, negata.*

Ir̄p  
nāmittendæ Nobilitatis & Honoris vetat ,  
nequid fæminæ Nobili , quæcunque illa sit ,  
negetur , quod ipsa reverenter postulatum  
accesserit . Evidem si hæc Lex nulli legi sub-  
limioris potestatis aduersetur , cuiusmodi  
sunt , quas Natura , quas Principes , quas Deus  
ferunt , sinatur sanè valere aliquid , & accep-  
ter eam , qui volet : non item si contingat ( id  
quod frequenter fit ) ut illæ ipsæ Rogatrices  
nesciant quid petant ; sed eò solum instent ,  
ut Officium , ad quod bene administrandum  
scientiâ & bonitate opus sit , illi impetrant ,  
qui de unâ earum parum , de alterâ minus  
habet : ut indignus quispiam ad sublimiorem  
gradum promoveatur ; qui aliud ad id me-  
ritum non habet , nisi gratiam illius , quæ il-  
lum supra dignorum competentium merita  
improvide sustollit : ut sceleratus aliquis de-  
reorum numero eximatur : ut cum innocen-  
tis detimento , cæco more calculum & sen-  
tentiam in favorem partis iniquæ feras , fini-  
stra manu improbè lanceam deprimens ; ita  
ut pondus commendationis præmineat pón-  
deri rationis . Ad talium injustitiarum postu-  
lationem , quas sæpe clausis oculis sibi ingurgi-  
tare metus ille persuadet , ne inurbanus , ig-  
nobilis , rusticus videâre . si facto ipso quoddam  
**N O N** repones , id ipsa rogatrix , si quidem  
æquiamans est , gratum habebit : sin minus ,  
ex merito illud pro pæna recipiat . Sed quod  
mirum dictu est , reperias homines , qui se con-

tra illos, à quibus aliquid rogantur, tametsi minimè inconveniens vel injustum, nec eorum dignitati, & quem profitentur, recti ac conscientiae tenori indecorum, magis tamen duros solidosque præstabunt, præquam ipsum Caput NON: hi tamen ipsi ad tam tenetæ precis vocem turpissimè emolliuntur, ac diffluunt; neque jam adamas sunt, sed glacies ante solem, quæ penitus liquitur, & omni ex parte ab se lacrimas destillat. Eccere, totum illud ad vivum à Manilio, Astronomo & Poëta, repræsentatum sub una mysticarum illarum, & bifrontium fabularum: cuius si imaginem primis tantum lineis adumbrem, per facile fuerit eam dignoscere, & ad propositum adaptare. Subeat vobis in memoriam ille Perseus, quam in vincenda Medusa prævalidus, tam contra Andromedam, cuius amori succubuerat, debilis; hic igitur est imago illa, à prænominato poëta sic depicta;

(H) Tandem Gorgonei victorem Persea monstri

*Felix illa dies redeuntem ad litora duxit.*

*Isque ubi pendentem vidit de rupe pueram,*

*Dirigit facie, quem non stupefecerat hostis:*

*Vixque manu spolium tenuit: VICTOR QVÆ*

*M E D V S Æ*

*VICTVS IN ANDROMEDA EST.*

Cæterum pæne idem est, non negare, cùm oportet; & non negare eo modo, quo oportet, hoc est, ut bene Seneca (I) advertit, nullum negandum. Sunt, qui impudentibus postula-

stulatis cum tali vultu se opponunt, ut amæniore ne annuere quidem possent. Quod quidem mihi videtur idipsum esse, quod Crispus Passienus de ijs dicebat, qui immodicis adulatorum suorum laudibus se opponunt, fastidium quidem monstrantes, sed eiusmodi, quod approbationis vim habeat: videri dolere; sed cum grandi voluptate: caput avertere; sed non secus, quam si geminam aurem laudatori præberent: ita eum repellere, tanquam invitent: silentium imperare, velut si juberent prosequi: (K) & denique (ut cum ipsiusmet, quamquam magis verâ, quam concinnâ comparatione rem explicem) idest opponere, non claudere ostium: & quidem sic, quemadmodum opponi amicæ sollet; que si impulit, grata est; gravior, si effregit. Igitur hunc in modum aliquid negasse apud eos, qui hoc idioma intelligunt, concessisse est, quantumvis, (ut de Augusto Historicus (L) dixit) factum specie recusantis: idque fortè non alia mente, quam ut coram mundi oculis reputationem suam fartam tectâmq[ue] servent; dum ostendunt, se id, quod male fit, necessitate quâdam facere, quam animis generosis solent eiusmodi preces inferre. Qui sâne sub aliâ verborum formâ idem omnino agere dicentur, quod ij, qui munimentuin, ipsorum fidei custodiæque commissum, occultè adversario tradunt; ea tamen conditione, ut ille prius exercitum & ballistas muris adnoveat.

H,

tunc

tunc enim ceu vero periculo exarmati, ne fortuna statuque suo excidant, juxta æquitatem militarium legum, hostem ad colloquium invitant, & de tradenda aree paciscuntur.

Licet etiam, ubi id expediens fore sperabitur, solidis rationibus liberè & intrepide uti: quas proinde promptas in manu habere oportet, ad fortiter negandum, quidquid nisi in justè indulgeri non potest. Etenim non raro accidit, ut etiam improbi petitores, ijs perspectis, vota sua séque ipsos corrigant, aut certè erubescant, & abeant. Cantare olim Sirenes juxta Insulæ suæ litora solitabant, ut improvidos viatores incantarent; quos ubi mortifero sono ad se audiendum illectos, in dulcem somnum composuissent, jam non ut Sirenes, sed ut Harpyiae in dormientes involabant, occidebant, & ex eorum carnisibus ferale sibi epulum parabant. Duos fortissimos viros reperio, qui prudentiâ suâ id periculi evasere: uterque tamen diverso modo; quanquam utroque ad orationis nostræ finem peraccommode. Evidem Ulysses ubi ad Insulam appropinquavit, comitibus suis aures cera obturari; scipsum ad navis malum robustis funibus alligari jussit: ita illæ surdis cantantes, postea quam eos concitatis fortiter remis prætervectos viderunt, rubore perfusæ obmutescere ac jejunare didicerunt. Hisce illi sunt similes, qui funestis eiusmodi postulatis ne quidem aurem præbere dignantur; sed forti

forti repulsâ, sine alio rationum solatio, dimis-  
sis, tergum obvertunt. Aliter ab Ulysse Or-  
pheus. hic enim, ubi primum illæ cantum ex-  
orsæ sunt, ipse quoque manum admovere ly-  
rae cœpit: sed hem, quantò longè quàm illæ  
suavius? certè quanto id suo comodo, ex Poë-  
ta accipite.

(M) *Pieria resonans cythera*

*Thracius Orpheus, solitam Cantu*

*Retinererates, PÆNE COEGIT.*

*SIRENA SEQVI.*

Hoc nempe illud est, quod ratio negandi  
bene proposita, in improbo & noxio petitore  
operatur; temeritatis suæ ruborem illi inj-  
cit, errorisque agnitionem & pænitentiam:  
ita victim post se trahit, quasi convictum:  
aut saltem admirationem relinquit eius vir-  
tutis, quam videt suo vitio superiorem fuisse.  
Ita egit Themistocles, quando à Græca illa  
Sirene, (N) Simonide, musico & poëta, suo  
familiare, nescio quale iniquum obsequium  
rogatus; quid si à te ego, respondit, eam gra-  
tiam petijssem, ut de industria contra artem  
musicam & poëticam peccares, extra tonum  
vagando, & falsis notis cantionem flagellan-  
do; aut hiulcis versibus, alijsque erroribus  
carmen grandinando; num tibi ea petitio, ut  
amici videretur? aut posset abs te aliud ini-  
micus reposcere, quando te maximè cuperet  
publico vituperio objectum? Jam si tu nullius  
hominis gratiâ velles malus Poëta aut Musi-

cus videri quomodo tu postulas, ut ego ma-  
lus homo ac Judex sim, propter te contra ho-  
nesti regulam, & æquitatis leges agens? quo  
audito Simonides obmutuit; nisi quod rubore  
vultus errorem suum confessus est, ipsòque  
silentio detestatus. Ita in aliâ quidem mate-  
ria, sed ad morale documentum capiendum  
bene apposita, Callisthenes ( seu Clisthenes  
malumus dicere) Philosophus & pater Stagi-  
tæ, qui forte inter alios convivas ad Alexan-  
dri M. regalem mensam accumbebat; ubi  
grandes vini pateras in orbem itare, séquac-  
jam alterum peti eâ velitatione animadver-  
tit, manum retraxit: cùmque illum rex ipse  
ad bibendum invitaret. (O) nolo, inquit, & Ale-  
xander; & mox facti sui rationem adjunxit:  
neque enim committam, ut crateres Bacchi  
necessaria mihi faciant Æsculapij pocula; hoc  
est, ut nimis potu æger, post vini dulcedia-  
rem, debeam medicinæ amaritatem gustare.  
Quare verissimè prudentissimèque alibi Plu-  
tarctus dixit. (P) ob metum, ne rusticior videaris,  
in laterum aut renum dolorem te ipsum dare præcipitem,  
id verè rusticani est hominis, & mente ac ratione caren-  
tis. An enim ista ratio non est, vel ad simplex  
tantum naturæ lumen ita clara, ut respon-  
sum tam forte non admittat, quin si liberè &  
cordatè proferatur, in ipsa gula vocem stran-  
gulet ei, qui huiusmodi audet postulatum  
proponere? cuius, si bene perpendatur, om-  
nino hic sensus est: ut ne impoliti, inciviliis, &

in

In gratificando præparci hominis infamiam incurras, non dubites una cum virtute conscientiam, & non raro honorem, aut etiam fortè vitam ipsam profligare.

Verum non ita unicè expediens videri debet, rejecti flagitatus rationes exponere, ut non aliquando pro indignitate postulati (ut nihil modò de persona dicam) conveniat, ad modum justæ vindictæ, alapam apertæ & siccissimæ repudiationis postulanti incutere; ita quidem, ut etiam invito malæ erubescant. dixi; *ad modum iusta vindictæ;* an non enim gravis injuria sit, ab homine bene nato educatōque reposcere aliquid (quidquid demum illud sit,) quod vel tantillum de obsceno, vituperabili, iniquo oleat? namque Aristoteles inter eos, qui parati sunt injuriam inferre, primo loco illos numerat, (Q) qui se impune facturas sperant: currunt impudentes isti, ad conserendas vobiscum manus tam dedecorofo flagitatu; & ecce, jam vos pro hominibus tam intelicibus, quam venalibus & servilibus reputant, ad quos expugnandos non amplius, quam uno assultu sit opus: ad quos in potestate habendos sufficiat quid petiisse. atque hoc num vobis tolerabile dedecus putatis? Audite in simili casu prope immodicam rabiem, in quam justâ iracundiâ castissimus Hyppolitus incurrit, quando sibi ab noverca violari aures abominabili illâ prece persensit. Invocat ille misericordiam ætheris, quod in vestigio fulmine inci-

neretur, tam gravis piaculi reus, quod inficius licet, illi placuisse, quæ eum minus honeste amare potuerit. Inde ad sceleratam, quæ ad ipsius pedes nequicquam pro adulterio supplicabat, conversus, de injuria sibi facta, ut dicebamus, expostulabat;

( R ) *Dignus an stupris ego?*

*Scelerique tanto visus ego solus tibi*

*Materia facilis? hoc meus meruit rigor?*

Et cum dicto strictum de vaginaensem liberat, in sceleræ peccatus figendum: nisi, meliore revocatus consilio, timuisset, tam pudicum ferrum, & verecundas manus fædissimo sanguine conspurcare. igitur à conspectu tam nefario se se proripit, sublatis in cælum manibus exclamans: *ó silva, ó fera!*

Hæc nempe illa cuspis est: quâ utinam plures feriantur, ut veritas illorum animis fortius imprimeretur, & ab ijs cognosceretur.

( s ) Famosissimus Zeuxis puerum pinxerat, pleno calatho uvas circumpositis folijs ferentem, ita ad vivum recentes, quasi nunc primùm collectæ essent. ipsi racemi sine ordine ordinatissimè prominentes, colore tam naturali, & roris quadam nebula quam levissime perstricti, ut ipsa natura veros non sciret magis veros facere. unde videbatur ipsamet in volucribus fuisse decepta, quæ ad uvarum rapinam convolaverant. Stupebat in hac tabula, cœu in prodigio populus, & Zeuxin usque ad sidera laudibus efferebant; quando pruden-

prudentior aliquis pronunciat, (T) *aves male estimare de tabula: non enim fuisse ad volatulas, si puer similis esset*, quod ipsum quoque Zeuxis judicavit, uvasque delevit; retento duntaxat, *quod melius erat in tabula, non quod similis*. Nam quoddam aviculæ uvas in volent, puerum calathiferum non reveritæ, signum est, quod uvas quidem veras putabant, puerum autem depictedum: aliter, si & hunc esse verum vivumque aestimarent, magis illius manum timuisserent, quam ut accedere proprius auderent. Ita prorsus cum ijs fit, qui vos rem aliquam indignam representant; testimonium falsum, injustum suffragium. beneficium publico noxiū, suppliū crudelitati quam æquitati vicinus, obsequium inhonestum. Animum ille sumit, & in vos involat, quia vos picturam esse credit, quæ non plus veri hominis habeat, quam inanem speciem; cæterum sine anima, sine spiritu ac sensu, ut ulcisci injuriam sciatis; sine manu, quam ei sua verba in os reiiciatis.

Mementote etiam illius, quod apud (V) Polybium, (X) Tacitum, Iustinum legeritis, exercitum Flaminij Cons. contra Hannibalem ad lacum Thrasymenum, Arminij contra Germanicum, Achæorum contra Romanos ita in prælium processisse, non tanquam vincere pugnaturos deberent, sed tanquam ligare jam victos: (r) plures erant, qui vincula, & compedes, & alia eiusmodi instrumenta ferrent, quam ex ea ad dimicandum. Quid autem inde evenit?

id

id quod evenire par erat; nempe totum aliquid falsæ illorum persuasiōni contrarium. Tres isti tam superbi exercitus, Romanus, Achæus, & Teutonicus, experti sunt, hostes suos, junctâ fortitudini irâ atque odio, plus quam viros esse, quos ipsi per ignaviam infra fæminas aspernabantur. Igitur victi ac profligati, ijsdem catenis, quibus venerant ad superbam prædam avehendam instructi, seipsoſ vinciendos dedere, post eorum terga ignominiosè trahendos qui, ubi ad manus ventum erat, victoriam sibi fortitudine comparârant.

Non aliter vos agere debetis; sed virtutem vestram omnibus, qui de vobis hactenus lecūs existimaverant, demonstrare. Neque enim adversus tam improbos invasores, qui vos infimo excordium, & ignavorum loco habent, plus urbanitatis & reverentiæ usurpandum est, quam animosi Spartani erga Philippum Macedonum Regem usi sunt, cum is sibi per medias ipsorum terras cum exercitu, ritè in ordines composito, transitum petiisset. Digna nempe fuit tali flagitatu responsio. (z) folium unum, neque affud intus scriptum, quam syllaba N O N : tam grandibus tamen litteris, quæ totam chartæ mensuram explerent. Neque ausus est Philippus vel passum proprius accedere; ita eum una syllaba stupore terrorique impleverat: ut qui eam sciret brevem quidem cuspidem esse, sed in capite prælongæ hastæ fixam. Vicite mihiq; (imò respon-

spondete Plutarcho, qui vos illud interrogat) (44) itane prodigè veitrarum rerum liberales estis, ut omni spinæ, quæ vobis pallium apprehendit, & id sibi deposcere videtur, confessum dimittere velitis? Si id quidem subtile & delicatum est, leviter id, credo, ablaqueatum sublegetis, nullâ ipsis, sive sentium confessione: quodsi solidum ac forte, haud dubiè cum robusto raptu dentes spineto evelletis, palliumque vobiscum asportabitis. Hoc ipsum docuit Zeno, Philosophis cum invercundis petitoribus esse factitandum, quando sub Athenarum mænibus fortè in juvenem quendam, suum discipulum incurrit, qui vultu mæsto & propemodum lacrimante, solus & cogitabandus incedebat; nescius ipse met, quò iret. (Bb) Quid agis, ait Magister, & quid facies ista sibi vult, eorum similis, qui ad supplicium rapiuntur? Ille vix tandem, & jam multo rubore suffusus, confiteri cœpit, si nuper à nebulone quopiam de patrando nescio quo flagitio compellatum esse. Ettu, repetiſe Zeno, quid responsi ei dedisti? Nihil, respondit juvénis: sed pudefactus, atque animo confusus, silentio me subduxí. Indignatus Stoicus, & ardentibus oculis; ignave, inquit! etiam cùm vincis, nescis ex toto vincere. habes sanè causam, cur erubescas; sed potius tui ipsius causā, quàm nefarij illius. itanè plus in ipso vitium potuit, ut auderet à te tantum scelus exposcere; quàm virtus apud te valebat,

bat, ut id illi intrepidè negares? ille non erubuit se fædum animal monstrare; tu erubecis te hominem ac Philosophum præstare?

Hucusque dixi, quomodo bene respondere ijs oporteat, qui malè rogant. Quod si quis insuper etiam desideret, ne rogari quidem; ecce viam ad id ostendo: scilicet tam publicum justitiae & incorruptæ æQUITATIS studium profiteri, ut pro incorruptilibus palam crediti, omnium impudentiæ audaciam tollatis, id à vobis petendi, quod frustra sit sperare velle. sic demum de vobis dici poterit, quod Tullius de Catone exclamavit: (Cc) Ote felicem, Marce Porci, à quo rem improbabē petere nemo audet!

A. De benef. l. 2. c. 2. B. ibid. c. 1. C. Plut. in Bruto. D. Dio. l. 68. E. in Icaromen. F. Metam. l. 1. G. A. Gell. l. 3. c. 4. H. Astron. l. 5. I. de benef. l. 2. c. 2. K. l. 4. Nat. quæst. proæm. L. Tacit. l. 1. Annal. M. Sen. in Medea. N. Plut. in præc. polit. O. Plut. de cohib. ira. P. de tuenda valet. Q. 1 Rhet. 12. R. Sen. in Hyppol. S. Plin. l. 35 c. 10. T. Sen. l. Cant. 24. V. Polyb. lib. 3. X. Tacit. l. 2. annal. Y. Iustin. l. 34. Z. Plut. de garrulit. Aa. de mult. amicor. Bb. Plut. de vitioso pudore. Cc. Plin in præfat.

## VI.

# ATLAS MONS. GRANDIBUS NEGOTIIS NON BENE NISI GRANDES HU- MÉROS APTARI.

Sive fabulæ Philosophari institerint, seu Philosophia fabulari, utraturumque certè idem sensus

sensus fuit, hoc maris os vel ostium, quod nunc intramus, à labio ad labium tres, aut vix amplius leucas amplum; hoc, ubi Hercules laborum suorum terminos constituit; & Veterum simplicitas naturæ fines posuit, ubi *Non plus ultra*; hoc, per quod se angustum nostrum mare Mediterraneum in immensos illos Oceani campos effundit; & quā vicissim se Oceanus intrudit, omne id terrarum spatum, quod ab nostro interluitur, ad aquaturus; totum id, inquam, Continentis solidam compagem fuisse, quā mutuō sibi Africa & Europa jungebantur. (A)

Sic veteris fræni impatiens, violētus in altas Oceanus moles insurgit; & âriete crebro Firma diu terræ, sed demum claustra revulsit,

Per medium interfusus, quā nunc ardua Calpe

Hinc, atque hinc Abilæ juga celsa, frenentibus Austris

In seruere caput. Sic cognatam Africa cernens

A se divelli Hesperiam, frustra astra Iovemque

Increpuit tristi gemitu. sed fortius ære,  
Et chalybe, & saxis, undarum elementa  
perennant:

Et quod tam firmo natura revinxerat ortu.  
Tempus edax potuit disiungere.

Verum quidquid sit de hoc, nemo saltet,  
quen-

quando id acciderit , referre potest : ne tene-  
pus quidem ipsum , quod rerum omnium or-  
tus casusque videt ac notatos habet , id sibi po-  
test in mentem revocare : & quantumcum-  
que sedulò inquirat , nullam eius in anna-  
libus suis memoriam deprehendit . Cæterum  
cuius gratiâ ego vos intra huius memorabilis  
freti angustias introduxi , illud est , ut jubeam  
ad dexteram , quâ Africa est , levatis , quan-  
tum fieri potest , in altum oculis ; simul ta-  
men contuitu , qui totus sit Geometricus , ide-  
oque mirabilis , metiri à vertice usque ad pe-  
dem , incomparabilem istum , qui nostris  
capitibus imminet , montium Regem , Atlan-  
tem . Aspice , quæso , ut supra seipsum con-  
scendens , séque erigens , superbum caput ,  
jam nubibus propinquum , versus Europam  
obvertat , semper ipsi inimicam , iðeoque for-  
midatam ; velut ex insidijs eius consilia ob-  
servaturus : ut immensum dorsum contra æ-  
mulum illud Africæ suæ latus extendat , mu-  
nimenti in morem , humeris suis pro eius  
tutelâ objectis . Sed quamvis permultum sit ,  
quod videamus , id tamen neque totus Atlas  
est , neque major eius pars , sed tantum sum-  
ma & supereminens . Narrabo hic vobis id ,  
quod de antiqua Rhodo Historicus memo-  
ravit , quando insanum illum æreum Colos-  
sium dimensus , quem mundus dignum puta-  
vit , uti septem suis miraculis adnumerare-  
tur , subjunxit ; (2) sicut alii minores hac in eadens  
urbe

urbe Colossi, centum numero; sed ubi cunque fuissent, nobilitaturi locum. Ita est de alijs Montibus, qui ab isto, ceu filij & nepotes, longissima serie descendunt; & se partim in transversum per Regna Fessæ & Marochi dispergunt: Numidiam à Barbâriâ separantes; partim usque ad provinciam Sûs excurrunt; fessumque pedem in Oceano lavant. Omnes mirâ altitudine præsignes; ita ut ubi cunque alibi starent, singuli per se quendam Atlantem facerent: sed juxta suum patrem constituti, vix collium specient habent. Ipse quoque aspectus multum horroris habet; tædis scopulorum ruinis undique in immensa præcipitia disruptis inter quæ densissima silvarum caligo; ceu penula hic & illuc lacerata, asperam rupium nuditatem male convexit: tum innumera aquarum scaturigines, de vertice, lateribus, ipsoque pede integris fluminibus passim per adjectas regiones effusa: adhæc fumi & flammarum frequentes camini, à subterraneis occultisque fornacibus, circum undique factis sibi spiraculis, exhalantes; ipsi denique summi apices perpetuis nivibus, prope non minus, quam profunda vallium, albicantes: quarum altissimam brumam neque Notorum fatus; neque Æstivi soles unquam possunt aut dissolvere, aut emollire. Plura haud opus est dicere, quibus ista sub conspectum sunt, intueri volentibus: Ego ad eius altitudinem redeo; & in uno Geographo, reliquos omnes vobis

I | | audi-

audiendos produco: (A) *Atlas*, inquit Solinus, è medio arenarum consurgens, & eductus in viciniam lunaris circuli, ultra nubila caput condit. Quod dum auditis, recordari placet, quām jocosè Aristoteles poëtas derideat; (B) qui, cūm sibi imaginarentur, cælum prægrave esse, & in ruinam pronum, pro tibicine ei Atlantis humeros providerunt. Sed quidquid ipse joculetur, nunquam profectò tam stultè ex vero opinati sunt sapientissimi illi viri: quorum præcipuum studium fuit, vulgo celare non solum antiquissimas rerum memorias, quas ipsis Historia debet; sed pleraque etiam mysteria, ex omni genere moralis, civilis, naturalis, & theologicæ disciplinæ, sub involucris phantasticarum suarum inventionum abscondere: quorum omnino unum de præcipuis hinc ante oculos habemus; adeò de se manifestum, ut nequaquam yaldè subtili interprete ad id credendum opus sit; scilicet grandi negotio parés etiam humeros requiri: plurimumque debere prudentiâ eminere, qui alijs dignitate antestant, & regimini formam disponunt. Atlantem quempiam, qui caput usque ad cælum effert, eodem posse & cælum regere, & sustinere: & universim Officio imperandi, ex proportione decere eam aptitudinem respondere, quæ ad tam sublime ministerium necessariò exigitur: aliter quando vires tanto oneri pares non habebitis, id consequemini, ut ei miserè succumbatis; & publicæ rei detrimenta fiant, quæ vestra sunt. Quod non tan-

tantum de supremis dignitatibus, in quali  
Atlas erat constitutus, felicioris partis Africæ  
Regno potens; sed cum proportione de omni  
quocunq; etiam minori gubernatione verum  
est: & de hoc solo expediet nunc ratiocinari,  
cum respectu ad eum, qui hos eligit; tum ad  
electos ipsos; & demum ad populos, qui se eo-  
rum fidei regendos permittunt.

Nulla superstes est memoria, quod nomen  
curiosis illis regibus fuerit, (C) quorum iussu  
& impensis Dicæarchus, peritissimus tempo-  
rum suorum Geometer, magnam Asiæ & Eu-  
ropæ partem peragravit, altissimos montium  
inquirens: ut ubi aliquis cæteris dignior, hoc  
est, altitudine eminentior occurrisset, eius al-  
titudinem à vertice ad pedem, adhibitis suis  
ingeniosis instrumentis, ex propinquo metare-  
tur. Reperi equidem, neque unum tantum  
ex Principibus, qui laudabilissimâ utilissimâ  
que curiositate per quam studiosè familiares  
suos, modò publicis, modò occultis dissimu-  
latisque experimentis periclitabantur, ut eos,  
qui eminebant, deprehenderent; & quantum  
quisque supra alteros scientiâ, æquitate, pru-  
dentiâ, fide extaret, & si quid aliud magni in-  
genij, animosi pectoris, solertis & justi viri  
proprium est, id probe scirent: atque hoc in  
eum duntaxat finem, ut ijs negotia regiminis  
pro cuiusque viribus, & meritorum mensurâ  
tutò imponerent. Aliter enim, ut verum di-  
cam, quomodo non dubitari plurimum pos-  
set,

set, quām bene illa grandis lex auribus totius mundi insonet? (D) *Disputare de Principis iudicio non oportet: sacrilegii enim instar erit; dubitare; an sit dignus, quem elegerit Imperator.* Quæ de-nuntiatio, ut subditi oculos claudant, & cor aperiant ad recipiendum, quicunque ad eos mittitur, regentem, profecte exinde vires su-as habet, quod omnes pro certo existimant ac supponunt, principem (ut quam minimum dicam) non cæco more quenquam eligere so-lere, quin prius eius prudentiam in bilance experientiae pensarit; industriam in arduo quoipiam negotio tractando permenitus sit; in laudabili quodam opere eas virtutes notā-rit, quæ in regettibus quām maximē deside-rantur. itaque nihil h̄c (quod alias frequen-titer evenire solet) gratiam amicorum valuisse, à quibus Princ̄ps rogatus, etim sublevarit: nihil privatam benevolentiam, cuius suasu ea gratia petenti facta sit: nihil lucri spem, munijs publ. (quod vel auditu fædum) pub-licæ auctioni subjectis.

Cum quodam die in Capite Luciani, plen-nus ac generalis Deorum utriusque ordinis, (E) maximum, ac minorum gentium, se-natus convenisset, ac singuli in aureis solijs, magis aut minis sublimib⁹ ornatisque, & Iovi propinquius consedissent, prout cuius-que ætas & merita requirebant, Momus (cu-riosissimus rerum omnium, privatarum & comunitum, quæsitor, ac libertimus censor) in-

in medium processit; nullo reverentiæ adversus tam gravem confessum signo exhibito, velut qui totus varijs cogitationibus immersus, nihil præterea vel attendet, vel curaret: ac demum. Patres Conscripti, inquit, vos, qui primi Ordinis estis, compello; dicite mihi, per vestram fidem; itane fieri potest, ut sine ruore simul ac indignatione intueamini, tam vile vulgus vestro in numero computari, quod ne quidem dignum est, ut inter homines toleretur? Itane verù quibusdam è vobis haud dum satis est, se (demus id sanè meritis ac laboribus ipsorum, demus gratiæ ac liberalitatì Jovis) navissimè Deorum catalago subscriptos esse; nisi etiam post se trahant, & vi potius quam ratione contendant, ut cellarij ministri, pocillatores, tympanotribæ, familiares servi, & ephæbi in Deos referantur? Tum ad Bacchum conversus, quem integer Satyrorum, Faunorum, & Silenorū grec circumstabat; aspicere, inquit, quæ hæ novæ imagines, quam gratioli vultus, quam bella hæc Deorum ora dicam, an rostra sint? digna profectò, quæ cælesti nectarè perluantur? ita manu quorundam lanigera femora indigantes, & pedes bifurcis unguulis calceatos, & hirsutum pectus, & hispidas barbas, & in frontibus cornua, & caudas non satis honestè teatas; videte, dixit, cuiusmodi Deos nobis faciat Generosus ille. Ad extremum orationem ita conclusit, ut magnopere suaderet, curandum esse,

esse, ut Egregij illi prius ex integrō homines fierent, quām in Deos evasissent.

Tam acuti & pungentis sanne acerbitas meritū etiam hodie expectanda foret, sicubi contingēt, ut iij, qui (nescio, quā bonā sorte) Principum gratiā Grandes effecti, & in aula potentes, insuper tantum sibi audentiæ arrogarent, ut etiam alios, licet sensūs & intelligentiæ vacuos; vitijs autem tam inquinatos, ut bestijs similiores, quām hominibus videantur, vellent post se inter Grandes efferre: jubérētque pedibus (prope dixisse, ungulis) eatenus supra hominum capita ad culmen ascendere, quatenus qui Jus dicit & imperat, antestat ijs, qui imperia accipiunt & auscultant. Hinc tantopere veterum Romæ Annalium scriptores, ceu præcipuam subversi Imperij originem deplorant, quod illud magnam partem, & ipsas Romæ æmulas Provincias, cuicunque regendum commissum fuerit, et si ad nihil minus quām ad regendum apto; eo solum nomine, quod se in Evnuchorum gratiam, Libertorum protectionem, eorumq; benevolentiam penetrassent, qui, cùm intimi ac familiares Cæsarum essent, omnia poterant. & quia hæc vilissima hominum scobs gloriæ sibi tribuebant, si plus auderent, quām Imperatorem deceret, (ut qui de ipsis Imperatoribus faciebant, quod allubesceret;) infinita erat eorum infelictum turba, qui concurrent, eorum manibus sacrificia offerentes,

ample-

amplexantes eorum genua ante pedes proje-  
cti, & cum fædissima adulazione id exoran-  
tes, quod cùm bellâ sagacitate soror Horten-  
sij, nobilissimi Oratoris, ab Lucio Sylla, cui  
cognomentum felici fuit, quondam depreca-  
ta fuerat. (F) Hæc illi fortè obviam facta, si-  
lentio ad eius latus accessit: cùmque limbum  
vestis quasi furtivè & per dissimulationem ap-  
prehendisset, celeri eum basio demulsit, cum  
tacito murmure (ita tamen, ut vel sic quoque  
intelligi posset) veluti secum sola ingeminans;  
utinam ab felice Sylla unum eius felicitatis fi-  
lum mihi contingat! quod sanè mox obtinuit,  
ab eo in conjugium recepta.

Hinc illæ justæ populorum admirationes;  
hinc illæ non injustæ querimoniæ dicam, an  
quod revera sunt, maledictiones? cùm vident,  
caput Allij de crudo & arenti solo decerpi, &  
in altum attolli, & mox tantam illius existi-  
mationem ac reverentiam ipsis imperari,  
velut si Caput Jovis esset, intra quod etiam-  
num Pallas, Dea sapientiæ, habitaret. Quod  
planè idipsum videtur esse, cuius causâ poë-  
ta Satyricus tam severo dente fatuos Ægy-  
ptios momordit, qui talia hortorum Zizania  
pro Dijs adorabant; eos ita inclamans;

*O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis*

*Numina!* Cui profectò persimile est, illos  
grandibus titulis & officijs onerare, quos nec  
natura, neq; ars pro regendis urbibus forma-  
vit, aut aliqua habilitate ad gubernandum,

disponendum, decernendum, jubendum, de publicis aut privatis actionibus judicandum instruxit: sed potius eō fine produxit, ut in suis fulcis consisterent, ibique eō grandiores ac pinguiores fierent, quod profundius defossi humoque obruti laterent.

Et quis sibi, quācunque adhibita vi, persuadere possit, utilitates publ. illi Principi sincere cordi esse, quem videt illarum administrationem eiusmodi manibus concordere, ut pejoribus non posset, si eos odisset, quos amat? Cui rei confirmandæ audiamus, quamquam alias vix bene dignum audiri, magistrum Politorum (atq; utinam nō etiam Atheorum.) qui, cum identidem veterum temporum memorias revolveret, & tot suorum inordinatos eventus pvideret, apud se asseyeravit; & postea (quanquam aliquando certius, alias dubitantius) palam docuit, rēs humanas, etiam publicum spectantes, non gubernari consilio aliquo aut manu superiore: neque terram Cælitibus curæ esse, neque homines Deo: sed res universas, velut navem in procelloso mari sine gubernaculo relictam, casuum ludibrio esse objectas: & cæco fortunæ libitu temere nunc in altum, nunc deorsum ferri, aut jactari potius; non villas magis & pagos, quam urbes & regna. Unum è præcipuis eventis, quæ eius animo impiam hanc opinionem impresserunt, fuit, quod videret, Imperium in manus Claudijs esse devolutum,

homi-

hominis non solum ad integri mundi vastissimam gubernationem omnino inepti, sed tam infelicis, ut ad suipius directionem scelerato Liberto opus haberet: de quo nemo unquam putavisset eum in circo tot annis fortunæ, tanquam carissimum pullum, in pectore latuisse, ut subito eum proveheret in lucem. Id igitur prodigij ubi Tacitus vidit, concitatis denuo cogitationum eius tenebris (quas ille pro luce habebat) definivit, prout vidit; nempe non esse, quod non videbat: quomodo enim Providentia & Claudius una consisterent? Quod adhuc clarius pronunciavit, quando etiam de Nerone, Claudijs successore, scribere occæpit. Ubi enim iste comparuit, (G) mihi, inquit, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria reruni mortaliū cunctis in negotiis obversantur. quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur Imperio, quam quem futurum Principem Fortuna in occulto tenebat. Ita dicebam accidere, ut non credatur, in eo Principe Providentiam vel amorem inesse, qui subjectis non eiusmodi rectores imponit, qui ipsis sciant praesesse; idque propterea, quod (dicamus, quam fieri potest molissime) non in ea, quam par erat, aestimatione habetur illud, cuius praecipuam curam Principibus incumbere Theodericus R. putavit; & ex quo uno maxima ijs poscit gloria enasci. (H) *Hæc libentius amplectimur,* dicit ille, *que nos meritò fecisse gloriamur.* Diu quippe trutinan-

*dus est, cui traduntur examina: talisque debet à Princi-  
pe dotti, qualis ab ipsâ potest Lege dictari.*

Conducere autem videtur, hōc loco sapientissimi Regis effato stultissimum factum Imp. Caligulæ opponere: neq; enim aliorum cum minore dedecore, quām ad stultitiam referri facti illius indignitas potest. Amabat iste ardentissimo amore, quo amari quidquam potest, de velocissimis Asturconibus suis aliquem: cui etiam Velocissimi nomen indiderat; quod omnes alios, qui ab invicta perniciitate in pretio erant, longè antecelleret. (1) Eum sibi convivam adhibebat; idque omnino consentaneè: nisi quod magis conveniebat Caligulam in stabulo diversari, quām caballum in Imperatorio conclavi; dummodo uterque ad unum idemque præfæpe. Serviebatur ergo bestiæ à præcipuis Palatinorum, qui ei inauratam avenam in grandibus catinis ex auro ministrabant; & similibus concisis pretiosissima vina in potum præbebant. Neque tamen hoc esse aliquid putem comparatione illius, quod illum & designavit, & cum publica solennitate suum in Consulatu Collegam in sequentem annum dixit: & nisi fortissimi duo Tribuni, Cassius Chæreas, & Corn. Sabinus eum triginta ictibus ē mundo eiecissent, infelix Roma Caballum vidisset cyclade hæteromalla in dorso, quasi paludatum Consulem in senatum intrare; & P.P. Conscriptos eundem pro suo Capite reverenter

reenter excipere ; & sacerdotes in fastis. Histro-  
ricos in annalibus scribere , *Consulibus Caligula*  
& *Velocissimo* ; illo quidem maximâ , isto verò  
optimâ suorum temporum bestiâ. Vocifere-  
tur nunc Claudianus , indignatus . Eutropi-  
um Evnuchum Consularibus falcibus ad mo-  
tum fuisse ;

*Omnia cesserunt , Evnicho Consule , monstra ;*  
si putare potest , majus monstrum esse , se-  
mivirum hominem , quàm integrum bestiam ,  
fuisse in Consulem electum.

(K) *Mopso Nisa datur : quid non speremus amantes?*  
dixit apud Poëtam sapiens ille pastor Damon:  
adèò illi inconveniens videbatur , tam nobil-  
lem sponsam sordido bubulco obtigisse , ut  
idcirco putaverit , nihil jam obstare posse , cur  
non quivis vilissimus magni se facere , maxi-  
mâque sibi polliceri possit , & ad quamcunque  
excelsam fortunam appetendam prodire in  
medium. Quod sane necesse est evenire ,  
quando ipsis factis declaratur , inhabilitatem  
nihil afferre obstaculi , quin ad summos hono-  
rum apices via pateat , quò aliàs tantùm ma-  
ximis hominibus fas erat adspirare audere ,  
neque aliter quàm per grandium meritorum  
gradus ascendebarur. Econtra qui digni sunt ,  
& meritò laudi sibi ducunt , de ipsis dici pos-  
se , quod olim de famosissimo Epaminonda ;  
(L) *Honores ita gessit , ut ornementum non accipere ,*  
*sed dare dignitati videretur ;* videntes , dignitatem  
assumptorum indignitate conspurcatam esse ,  
indi-

indignantur, & ab tali, propemodum erubescendo honore sese subtrahunt: prudenterissimo Catonis senioris dicto confirmati; (M) malle se, homines querere, quare Cato statuam non habeat, quam quare habeat.

Jam vero illud quoque periculi memorandum est, in quod perfacile est incurrere, cum a justo ad iniquum declinatur, sive circa gratiam erga veteres intimosque ministros; sive circa remunerationem etiam erga posteros illorum, quorum meritis Principes plurimum se obstrictos fatentur. Hosce igitur titulis honorare, eminentiam inter pares augere, ad gradus evchere splendore honorificos, & lucro faciendo comodos, facile permittitur: quantumvis ratio alia aut meritum non subesset praeter Principis voluntatem; cui utiq; potestas est, de suo, quod lubet, faciendi: nisi quod forte reperientur, qui de tali gratiose illum jocum repetant, quo a Gallione Senecæ fratre Claudius Imp. post fata intersemidecos relatus, festivissimè derilus fuit, velut (N) unco tractus in cœlū, in vicem scalarum Gemoniarum, quas commenitus erat; id, inquam, conceditur: Neutiquam autem, ut cum majore aliorum danno, quam suo lucro, in administrationem aliquam regiminis adhibeantur, ad quam certæ habilitates requirantur, quibus isti destituti sunt, & quas illis Princeps infundere non potest. Auscultate nunc, & si quā in re corrigi illæ definitiones Senecæ possint, advertite animum:

num: id enim vobis licitum esto. (O) *Navis* bona dicitur; non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cum argenteum aut aitreum rostrum est, nec cuius tutela obore celata est, nec quæ fiscis & opibus regii pressa est; sed stabilis, & firma, & iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum maris incursum solida, gubernaculo patiens, velox, & non sentiens ventum. *Gladium* bonum dices, non cui de auratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui ad secundum subtilis aties, & micro munimentum omne ruiturus. *Regula*, non quam formosa, sed quam recta sit, queritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. *Navis*, quæ solum speciosa, multoque auro fucata est, tunc usurpetur; cum tantum voluptatis gratia vicina littora obeuntur: ensis non nisi gemmis inclytus, ad ambitionis portum latus adstringat: regula aurea ducendis lineis serviat; quæ usum nullum habent, nisi chartam illinhere. Aliam trabium compagem tempestas & navale prælitum requirunt; aliam chalybis temperaturam pugna & duellum; aliam normæ directionem fabrica: quod totum in re, de qua disputationis, est dicere, ad alios gubernandos alium virum designari oportere; quam qui sola apparentia laudem ferat. Non tam crassè hallucinamur; cum id nostra interest; nec tam stulte judicamus; ajebat Plato; (P) ut, cum navarcho opius est, qui per immensum & tempestuosum mare nos ferat; rei ciamus expertissimum; eò solum, quod male vestitus, ambustus solibus, facie in naturam fit;

sit; & eum deligamus, qui habitu, vultuque,  
 & moribus elegans, benefactor sit & amicus;  
 idem tamen marium, & tempestatum, & ma-  
 laciæ, & velorum regendorum, ac temonis,  
 facile omnium ignorantissimus. Serviet for-  
 san iste ad moliores usus; neque sine eius com-  
 modo: non item ad tale iter; nisi fortè gra-  
 tum esse vobis potest, unà navis ac vestri  
 exitium.

Ita ijsset Atheniensium Resp. Si Timo-  
 theus, qui eā tempestate rerum potiebatur,  
 tam fatuè consensisset, quām alij eum roga-  
 verant, ut exercitibus, quos nescio ad quod  
 difficile, & ancipitis aleæ bellum mittere pa-  
 rabant, præficeretur quispiam, ad omnia alia,  
 quām ad arma, aptior: campo quidem per-  
 habilis, sed cùm sementis facienda, nōn ine-  
 unda pugna foret. (Q) Oratores, qui in nego-  
 tia Reip. amplius, quām communi rei expe-  
 diret, se intruserant, cùm diu per omnem vi-  
 ciniam vestigassent, qui ducendis copijs, &  
 bello feliciter patrando maximè idoneus es-  
 set, denique in hominem inciderunt, qualem  
 omnino quæsierant: cùmque ad Timotheum  
 adduxerunt, plurimūm eius proceritate ac  
 robore delectati. quippe neque Athenis, ne-  
 que in omni circūm regione memorabant,  
 quenquam eius mensuram molis æquare. Ac-  
 cedebat optima membrorum inter se propor-  
 tio, quæ sculptoribus posset pro forma & ex-  
 emplo esse, Atlantem facturis, in dorso cæ-  
 lum

Ium è marmore portantem. igitur circa eum admirabundi, monstrabant illa ingentis modi præcordia, illud robustissimum tergi latifundium, illos prævalidos artus, illos muscularum colles, illos juncturarum nodos; nec instarum laudum modus ac finis erat, quando Timotheus stultissimæ garrulitatis pertæsus, Belli ductorem quæri, respondit, non operarium vel bajulum. nam munus exercitibus imperandi, non esse opus jumenti: non, per Deos; sed ferat hic stragula Imperatori: is autem eligatur Imperator, qui videat ea, quæ à fronte sunt, & ea quæ à tergo. Aliter (& poterat sanè adjungere bellissimum illud Poëtæ Menandri dictum) (R) qui universis copijs præest, cùm nunquam legiōnem duxerit; & qui legionem ducit, cùm nunquam miles fuerit; ubi ad conflictum accesserit, *Hecatomben hostibus adducit*; tot boves sacrificio immolando, quot milites armis dimicatueros.

Vertamus nunc paulisper ad eos orationem, qui tam audacter eò se ingerunt, ubi Atlante opus est; & ea munia ambiunt, ad quæ sustinenda humeros nō habent tanto rerum ponderi sufficiuros. (S) Invenire est triobolares homulos, inquit Plato, qui instar eorum, quos manibus lictorum elapsos, pernix fuga in templum ad asylum subduxit, à manuali opificio ad Philosophiam transulant. hec adhuc supparo ventrem cincti, in officina toto brachiorum robore desudabant; hodie pallie

pallio philosophico involuti, sedent in sublimi; sententiam dicunt, decernunt, docent, sectam auspicantur, cum nusquam discipuli fuerint; à seipsis repente nunc Magistri facti. Similes planè fabro cuiquam. qui corpore pusillus, elumbis, & vatus, strabo, & pessimi aspectus; ac morum etiam vultu ipso fædiorum, recoctus ad fornacem, oculis lippientibus, & calvitie deformis; ubi ab incude & malleo prorepsit, & semel atque iterum in balneo sese abluit, tanquam ibi cum extimo carbonum attore, & camini fuligine, etiam reliquias inseparabiles absurditates relinque: re potuisset; egressus inde, totus est in se comendo, perpoliendo, exornando: jamque elegantem vestem indutus. Cypri se pulvere conspergit, & odoribus imbuīt. ita interpolatus; nescio quām bellus sibi videtur; ita ut etiam Narcissus in formæ judicio præipsò foret sententiā casurus: procurrīt deinde; alpestram & callosam dextram extendens; conjugem dūcturus; non ut Vulcanus Venerem; sed honestam & prænobilem puellam; cuius intelyto sanguine ipse quoque generosus fiat. Ita illē de philosophastris Atheniensibüs: & ita pariter alijs potest cum proportione dice: re de ijs, qui ad omnium difficillimam, ut Xenophon aiebat; & nescio quām divinam artem hominibus imperitandi, cum intolerabili temeritate se intrudunt; licet antehac in non minus diverso, longeque remoto negotio

tio exercitati, quam colonus ille Persa : (T) qui cùm Artaxerxi inusitatæ magnitudinis pomum ex horto suo obtulisset, iniipiens Rex, quem suo pomario præficere debuerat, confessini regentem urbi imposuit; affirmans, eum, qui industriâ & prudentiâ suâ potuerit poma ad tam insolitam magnitudinem perducere, etiam studij atque sensûs abunde habiturum, quo ex parva civitate grandem efficiat. Hinc illæ tam acerbæ, neque semper injustæ exprobrationes, quibus eorum etores in regendo à sagacioribus traducuntur: in eum ferè modum, quo inclytus Castriontus, cognomento Scanderbeg dictus, (V) arrogantiam Balabani Turcæ, hominis agrestis, & nuper ab arato ad ducendos exercitus præpropere educti. Ab hoc cùm generosissimus Princeps ad certamen provocatus, insidiosum etiam donum accepisset, vicissim ei vomerem, vannum, ligonem, runcinam, cæterumque instrumentum rusticum submisit: ac responderi jussit, hæc esse arma, quæ colonum deceant; non ensem, nobilitatis indicem; & virgam, Imperatoris insigne. Ponet illa modo ante se; visurum, uti omnia sponte ei essent in manus convolatura, & ad notos callos, quos ei tot annorum usu induxissent.

Neque idcirco, quod in quibusdam minutis rem vobis ( vestro quidem judicio ) feliciter successisse cernitis, confessim putetis velim, tantum vobis judicij & experientiæ abunda-

undare, ut ad quasvis, etiam summas tes  
agendas, vos ingerere tutò possitis.

(X) *Non ideo debet pelago se credere, si que  
Audet in exiguo ludere cymba lacu.*

Bene etiam Philosophus (1) subnotavit, decipi vehementer, qui credunt, virum in Rep. vel alio absoluto imperio versantem, non differre speciatim à patre familias; sed cùm tantùm ratione, quâ multum à paucō: *quasi magna dominus nihil differat à parva civitate.* Veniat vobis in mentem illius Portij Latronis Oratoris, aut verius Sophistæ: qui cùm de schola, ubi coram adolescentibus discipulis suis declamitârat, in forum ad causam maximi momenti agendam egressus esset, (2) ubi conversos in se Judicum oculos, & conferti populi expectationem vidi, tantopere conturbatus fuit, ut non advertens ad dicendi regulas, Orationem suam à grandi solæco inceperit: mox omnino ita ab memoria destitutus fuerit, ut opus fuerit ei permittere, ut à foro ad templum, ab aperto cælo ad umbram & angustias, à multitudine ad paucorum conventum translato judicio, rationes suas & sententiam proferret. Ita de illo pater Senecæ decenset, cum salubri documento, quod etiam Stoicus, eius filius, quanquam verbis, generalioribus repetivit: (4a) *debet semper plus esse virium in latore, quam in onere.* Qui vult in se grandia munia suscipere, eum oportet iudicio & scientiâ instructum esse, sagacitate & industria,

industria , magnanimitate & patientiâ, effica-  
cia & dexteritate ; ad summa m, viribus , quæ  
assumpto negotio superiores sint : eâlque  
præsentarias habere (non tantum in spe) qua-  
rum mensuram à præteritis factis reposcet :  
& ad leviora aggredienda sibi animum ex gra-  
vioribus facere , quæ bene peregerit. Hinc  
videmus ( pergit senior Seneca , de suo tem-  
pore similitudinem captans ) (Bb) quòd Gla-  
diatores gravioribus armis discunt , quām pugnant : diu-  
tius illos magister armatos , quām adversarius sustinet .  
Luctatores binos simul , ac ternos fatigant , ut facilius  
singulis resistant . Cursores , quòd intra exiguum spati-  
um de velocitate eorum iudicetur , id sèpe in exercita-  
tione decurrunt , quod semel decursuri sunt in certa-  
mine

Qui ita incedit , fidenter incedit , quia pau-  
lo minùs quām securè : non vacillabit , quia  
non specie Belli inebriari se permisit , quin ad  
pericula respectaret , quæ sub officio regendi ,  
& splendidis munijs latent : non plus honoris  
& gloriæ habentibus , quām oneris , quo ca-  
put pertundatur , nisi plenum sit cerebri ; &  
cor rumpatur , nisi vires habeat ad ferendum  
non impares . Et sanè augurari non possum ,  
quam ob rem Stoico audax illa temerarij , &  
ab omnibus poëtis millies recantati Phaë-  
thontis alacritas placuerit , ut euni in exem-  
plum generosissimi spiritus , qui cum heroicâ  
virtute ac magnanimâ reperiri usquam pos-  
sit , proponere institerit : (Cc) Vide , quām altè

K a

ascendere

*ascendere beat virtus.* Solem quoque inducit, patrem adolescentis, qui cum poëtica amplificatione ex Ovidio, illi describat difficillimum illum, ab horizonte per Orientalis convexi abrupta ascensum: deinde horribilissimam abyssum, quam sub pedibus intueri necessum sit, quando in cæli vertice sub meridiei punctum constitutus; in tam incredibili altitudine, ut vix non ipsi Soli vertigo caput excerebret: deniq; præcipitem per declive Occidentis descensum. quod si ardentium sonipedum ferocia accedat, quos ille, jam tot sæculorum auriga, & quotidie non minùs eorum contumaciâ eruditus, quam ipsi ad eius imperia vocemq; assuefacti sint, nihilominus vix potest in ascensu habere morigeros, aut per deflexum fræno parentes: inter hæc tamen jam ita semper tritam posse viam tenere, ut inde ne tantillum exerret, aut sibi sinat habenas de manu excuti; maximè cùm in terrificos monstrorum horrores, quibus Zodiacus & cælum plenum est, incurrire contingat: id enimvero opus plenum laboris & industriæ esse. nihilominus hæc cùm audiisset ille generosus adolescens; placet, inquit; via: ascend. est tanti, per ista ire casuro. *Iunge datos currus.*

Necesse est profecto, bonum Senecam hac vice maximâ comparationum inopiam labrassæ, quando adactus fuit, à vitio imaginem virtutis emendicare: nis̄ fortè quatenus virtus Senecæ permultum de Phaëthonite habet: dum

dum audacem requirit (ipse animosam vocat) etiam ultra id, quod vires ferunt. Melius, nisi fallor, ad argumentum meum faciet temerarius iste aurigator, pro complemendo mihi futurus illius modici, quod adhuc dicendum restat; nempe ut ex eo, quod cum ipso accidit, ostendam, necessariò contingere debere eius similibus, qui cupidissimè ambiunt illa sibi adsumere, quorum primo aspergunt Ohe! exclament, quām hoc splendidum est, & sine comparatione gloriosum; diei currum regere, gubernare naturam, negotijs Universi leges dare? nec simul vident, quām id difficile, & plenum periculi sit ijs, qui non sunt Sol quispiam, plenus luce scientiæ, plenus calore spiritūs, providentiâ partibus nullis addictâ, cùm sit Cor Universi; neque insuis motibus malè regulatus, qui omnium rerum motui pro regulâ est. Insiluit igitur Phaethon in currum, & cursui dedit iactum:

(D d) *Sed leve pondus erat, nec quod cognoscere possent  
Solis equi; solitaque iugum gravitate carebat.*

*Quod simul ac sensere, ruunt; tritumque relinquunt  
Quadriiuges spatiū; nec quod prius, ordine currunt.*

*Ipse pavet; nec quo commissas flectat habenas,  
Nec scit, quā sit iter? nec si sciāt, imperet illis.*

A. Plin. in præfat. B. Plin. l. 34. c. 7. C. c. 27.

D. l. 2. de Cæl. t. 4. E. Plin. l. 2. c. 65. F. L. Disputare. C. de crim. sacril. G. in Concil. Deor. H. Plut. in Sylla. I. Annal. l. 3. K. Cassiod. var. l. 5. ep. 40. L. Dio. l. 59. Xiphil. in Calig. M. Virg. Ecl. 8.

N. Iustin. l. 6. O. Plut. in Apopbt. P. Xiphil. in Cland.  
 Q. Ep. 76. R. de Rep. S. Plut. an seni &c. Stob.  
 serm. 54. T. Stob. ibid. V. de rep. l. 6. X. Plut.  
 Apopbt. Y. Vita Scand. Z. Ovid. Trist. l. 2. Aa. Aris.  
 tist: 1. polit. c. 1. Bb. Sen. Controv. prefat. l. 9. Cc. de  
 tranquil. an. c. 5. Dd. de provid. c. 5. Ee. ibid.  
 Ff. Metam. l. 2.

## VII.

## CATARACTÆ NILI.

BLATERONIBUS PROPRIUM  
 ESSE, VEL SURDOS REDDERE,

QUI IPSOS AUDIUNT; VEL INFU-  
 GAM CONICERE, NE IPSOS  
 AUDIANT.

**M**Etus atque horror, neque tamen minor  
 voluptas est, terribilem istam, simûlque  
 delectabilem, quia innocentem, decidui Nili  
 prolapsionem aspicere: qui intra angustissi-  
 mas fauces durissimæ & ineluctabilis rupis,  
 exili tantum fissurâ diductæ, velut Rex quis-  
 piam injusto carcere conclusus, irascitur, spu-  
 mat, fremit, eminatur: & quia totum id irri-  
 to ad accelerandum exitum furore, intume-  
 scit, seque ipsum urget, & tanto impetu foras  
 propellit, ut neque currere, nec simpliciter  
 præcipitare dici possit. quippe ubi ab ostio e-  
 luctatus est, in tam immensæ altitudinis vo-  
 ragines se devolvit, ut vel aspicientibus hor-  
 rora ossa concutiat. Verum, ut dixi, ruina hæc  
 illi ipsi est innocens: nam in hac planicie leni-  
 ter

ter simul & celeriter ex fragmentis suis in unum collectus, mitigatâ jam indignatione, quæ illum ad tam furiosum præcipitium impulerat, tranquillus discedit. An autem non ille vobis videtur velut in pedes erectus stare? aut sicut de Araxe, qui similem in modum ex alto deiicitur, Pomponius Mela scripsit, (4) *aquis pendentibus, semetipsum sine alveo serens, incurvus, arcuatque amne?* Et quidem aspicere, quomodo decidens undarum procella, scopulorum illis verticibus, in tenuissimos nimbos dissipetur, quibus latè adjacentem viciniam perpetuò irrorat; tum illam colorum, velut in Iride ludentium, miram varietatem, spumosis alboribus interfusam; haud dubiè tam juveni res spectaculi foret, quæ transeuntium morari iter posset, si non insanus strepitus, & intolerabilis plane fragor viam nobis in dicere, qui habitatores ex istâ, cuius etiamnum circum sparsa hic vestigia videtis, olim civitate ejecit, nunc in desertum, silvescente: qui non patitur, ut sine surditatis periculo longius; quam brevissimè hic subsistamus; donec scilicet ex ista undarum tumultuosa diluvie perdiscamus, quantum fastidium importuni illi garritores afferant, qui non sine offensione alienarum aurium, homines velut sub Cataracta Nili volunt detinere.

Ita est. Venit hoc Regale flumen ab Ætiopia, inter spatiuosos riparum margines continentem planitem secans, nisi quâ famosæ E-

lephantinæ finibus appropinquat , aliquot duntaxat passuum millibus distans. At ubi in scopulos cautiū intravit , spumat , & illi non ex natura sua , sed ex iniuria loci color est. Tandem eluctatus obstantia , in vastam altitudinem subito destitutus cadit , cum ingenti circumiacentium regionum strepitu , quem perferre gens , ibi à Persis collocata , non potuit ; OBTVS ASSIDVO FRAGORE AVRIBVS , & ob hoc sedibus ad quietiora translatis. Jam quid aliud facit importunus locutuleius , quam exonerando semper plenum , & volubile infinitorum verborum flumen ( quæ undénam scaturiat , paulo post videbimus ) grandi tædio & tormento audientes afficere ?

Haud secus , ac Pharios ubi sese Nilus in agros ,

*Ætiopum præceps scopulis devolvit ; in auras*

*It fragor immanis ; cælique ruentis imago . Existit , miseris stupidas agrestibus aures Obtundens ; cogitque domos statione mouere.*

Celerrima illa & pæne fulminea agitatio , quâ serpentes tenuissimæ linguæ filum evibrant , multos facit credere , tres ipsis in ore lingulas stare , non unam duntaxat , tribus parein aut similem. Illa dicendi eluvies , quâ (C) Palæmon Sophista auditorum aures inundabat , Dionysium Rhetorem permovit , ut diceret , os hominis illius duodecim vastos canales habere , unde totidem fluvij egurgitarent :

rent: & linguam eius tam longam esse, ut eam cubitis metiri oporteret, sicut grandem Mensium columnam, in qua Ægyptij quot diebus Nili incrementa adnotabant. Pericles alias in dicendo potentissimus, ita ut eum Aristophanes (D) *fulminare, tonare, permiscere Græcum* quereretur, agnomine tamen *Lingua* vocitabatur; quasi totum, quid erat, lingua esset; ferme quemadmodum ille Alpestris, se à capite ad pedes meram frontem esse jactavit. Quis mihi nunc similia reperiet, aut competentes titulos, quibus exprimam, & indigitem eum, qui non est aliud, quam immensum quoddam verborum diluvium, sine vigore eloquentiae, sine magisterio artis, & ingenij amoenitate, sine ordine, judicio, sensu? hisce enim partibus destitui proprium est eorum, qui garriunt; non quod sciant, quid loquantur, sed quia tacere neisciunt; cerebra infelicitate fæcunda; quæ instar matricis, abundantiam muci prælubricæ, nullam cogitationem intus concipiunt, quin eam priusquam maturuerit, abortiendo potius per os ejciant, quam pariant. Hoc ita universim dictum satis sit: nunc particulares quorundam rationes inspiciamus.

Et primò quidem, quamcunque rem etiam minimam denarent, ita eam repræsentant longè majorem, quam revera sit, ut hunc eorum morem non possim verius exprimere, quam famosæ illius bovinæ pellis ob-

jectu, quæ à fugitiva Didone in minutissima fila dissecta, cum priùs vix paucorum pedum terram obtexisset, postea ad ingentis spacijs ambitum complectendum suffecit, in quo Æneas, ad terram Africam tempestate ap-  
pulsus

(E) *ingentia vidit*

*Mænia, surgentemque novæ Carthaginis Arcem:  
Quam mercata solum, quantum circumdare tergo.  
Taurino posset, facti de nomine Bysam  
Dixerat, aut mercis Dido Sicheia dolose.*

Ita hi extenuando, diducendo, in girum trahendo, quantumcunque modicum sit, quod referunt, tantum spatijs comprehendunt & loci, & temporis, & rerum, quas sive ex vero, sive ex imaginatione etiam falsas adjungunt, ut abunde materiam Iliadi aut Odyssæ subministraret. Talis erat ille, quanquam sine nomine, celeberrimus Linguleius, qui se jactabat de quovis tenuissimo argumento centies abundatiùs, quam ullus aliis etiam de copiosissimo, dicturum. (F) Verum quam stulta fuit promissoris huius propositio, tam prudens Agesilai responsio: id nempe tantundem esse, ac si sutor gloriaretur, se infantis pedibus gigantæos calceos inducturum.

Quid autem de fatuo illo declamatore arbitramini? quem memorant Stentoreâ voce auditores in vicino stantes, propemodum furdos fecisse: non sanè mitiùs vociferari solitum, quam si ipse in Abilæ vertice staret, & audi-

auditores in Calpe. tam insani moris admodum  
nitus, cum acriter *mensuram vocis* repoposcisset,  
nunquid putatis, illam bene reddi potuisse;  
*mensuram loquentis* esse *distantiam audentis*? Ita  
profecto ijs, qui immodecē ultra omnem veri,  
imò possibilis speciem cuncta amplificant, ex  
Pygmæis Polyphæmos, & ex omni silice Cau-  
casum elaborantes; res ante oculos ponenda  
est, de qua differunt; & in manu fascis omnis  
generis *mensurarum*, sive multum, sive pa-  
rūm dicendum sit; ut sic eas adhibere condiscant,  
quaꝝ merito argumenti convenientia. a-  
liter enim nunquid stulta laudatio fuerit,  
longissimā perticā uti, ut trium digitorum fe-  
stucam metiare? Evidem valde dissimile fu-  
it Platonis factum; neque tamen Diogenis  
reprehensione caruit; quando ille amphoram  
vini rogatus, pro sua munificentia totum ei  
dolum submisit: unde non aliam ei gratiam  
retulit, quām ut mordaci eum sarcasmo pete-  
ret. Namq; ubi primū eum obvium habuit,  
(G) exclamavit, qualem te Philosophum esse  
putem? si ex te quæreretur, duo& duo quam  
summam faciant, num tu fortè viginti, & non  
potius quatuor responderes? Jam quid tibi  
de eo videtur, quod ampullam rogatus, do-  
lum respondisti? & cum amplio cachinno lu-  
dibundus Platonem verecundantem reliquit.  
Volunt igitur, res sibi ipsis semper æquales es-  
se, quas velut ex naturali effigie repræsentant;  
neque vident, eas post immoderata illa aug-  
men-

menta, & magnificentias, tantò minùs easdem fore, quantò nunc seipsis grandiores fuerint: unde quotquot in illas incurrerint, eos similem ridere risum deprehendes, qualem M. Tullius risit, quando semitruncam fratris sui, qui vix mediocrem viri mensuram æquabat, imaginem, altitudine gigantis erectam conspexit; gratiosum jocatus, (H) *frater meus dimidius maior est, quam totus.*

Non me quidem latet, Oratores, & multò magis Poëtas (utrosque tenerè & pæne usque ad anxietatem religiosos) frequentem in usu habere unam è Figuris suis, cuius ea vis est, ut, si ita videbitur, res centuplò aut etiam ampliùs, dicendo supra id quodd verum est, maiores efficiat: aiuntque mentiri, quod alias omnibus in vitio ponitur, in illa, utpote cui per naturam insit, virtutis esse. Sicut optimi Architecti nonnunquam magnâ cum artis regulâ, ab arte atque regula discedunt; dum columnarum stilos, quando in præalto positæ, conspici infernè de plano debent, ultra justum modum grandes faciunt: ne si ad ordinariam eas mensuram exigerent, pumilæ viderentur, & totius ædificij proportionem confunderent. Nunquid autem è longinquo videre est, res non aliter nisi verbis representatas intueri? Misera igitur Veritas, nisi illi mendacium opituletur: & supra verum augendo, non sinat infra verum comparere! (I) Quem in finem Stoicus dixit; *omnis hyper-*

*hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat.*  
 ita inquiunt, istius hominis puritate vinci  
 candorem nivium, illius constantiam immobi-  
 litatem rupium, huius velocitate alata ven-  
 torum flabra, aut ingenij capacitate vastita-  
 tem Oceani superari. & nescio quæ alia : nun-  
 quam tantum sperat hyperbole, quantum audet: sed in-  
 credibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat. Si igi-  
 tur illa non pro certo id omne affirmat, quod  
 supra id, quod verum est, dicit, profectò jam  
 eos hyperbole non tutatur, qui totum id sibi  
 pro certo credi volunt, quod narrant; neque  
 auditoribus, uti illa, liberam credendi pote-  
 statem faciunt, plurimum velint, seu mini-  
 mum quām posse, hoc est, unum de centum.  
 Accedit, quod ipsa Ars non nisi rarissimè, &  
 in magna necessitate, hyperboles usum in-  
 dulget: ne scilicet, præterquam quod Oratio-  
 ni fidem detrahēret, etiam tedium conciliet;  
 sicut illi eveniret, qui desideransse pro grandi  
 haberi, continuo grallis suspenſus incederet.

Altera Nili cadentis proprietas est, tantum  
 fragorem excitare, ut præter illum audiri  
 vox nulla alia possit; ita omnium aures ob-  
 stupefacit, omnem sonum absorbet. Similiter  
 insatiabilibus illis garitoribus unicè propri-  
 um est, ut soli audiri velint. Igitur quidquid  
 novi rumoris referre incipiunt, ne paupērū  
 quidem tot pedes habet, quot ipsi per omne  
 circum latus expandunt. Jam hoc indicant  
 postea dicturos; jam illud per transennam at-  
 que

que eminus commonstrant, paulò inferiùs ex integro producendum: unum factum expoununt, atque interim decem alia promittunt; fidémque suam nō minùs sincerè exsolvunt, quām liberaliter obligárant: & in singulis usq; à primo ovo, & mundi creatione auspican- tur initium. ipsa quoque deductio milvij vo- latui persimilis videtur, centum gitos, unum ex alio implicantis, neque unquam ex eodem loco extricare se valentis. O prodigium! (K) exclamat Plinius Senior super paucis passuum millibus, quæ fretum Gaditanum distendunt: & mox causam suæ admirationis subjungit; *tam modico ore tam inmenfa aquarum vastitas panditur!* quasi ab *tam* angusto ostio totus ille gran- dis Oceanus exijsset, in quem per illud fre- tum intratur. Admiratio meritò apud eos extitura, qui viderint, ab uno ore, cuiusmodi aliqui habent, tam ingens verborum dilu- yium dimanare: quo, sicut Oceanus omnes terræ cavitates explet, ipsi quoque totius hu- mani generis aures implere collaborent; igna- ri, aures esse voragines, quæ fundum non ha- bent. Lucanus poëta pro actu tyrannidis in Cælare abominatus potius fuit, quām recen- fuit, illud; (L)

*Omnia Cæsar erat. Private Curia vocis  
Testis adest.*

Eccere in fabulonibus istis: ubi enim com- paruerint, jam nō Mercurius venit, quia silen- tium reperiat, ut antiqui putabant; sed quia id

id faciunt: jam omnes necesse est coram illis muti sint, ubi vellent etiam surdi esse. Quodsi fortè colloquio cuiquam interveniant, non aliter id suâ importuna garritione confessim obruunt dissipantque, quam Ovidius (*M*) elegantissima inventione fingit Æneæ accidisse, qui in littore stans, multa cum sedulitate moliebatur, nescio cui, in arena obsidionem, insidas, excidium, & sexcentâ Troiæ infornia designare: nec adhuc partem unam probè satis delineârat,

*Plurâque pingebat, sibitus cùm Pergama fluctus  
Abstulit.*

Deinde tanquam si linguati isti justè metuerent, ne viva, quam in ore habent, infinitorum verborum scaturigo, quibus universum istud inundant & putrefaciunt, unquam exsiccatur, omni modo providendum putant, ne sibi materia blaterandi deficiat, quidquid novi moris excogitari potest, in repositoria congesto. igitur audietis eos minutatim ediscere, quid in dies singulos in Cathaio, & prope etiam apud Antipodas contingat: ita ut credere lubeat, eos adhoc tabelliferas columbas alere, quarum hodieque in Oriente usus est; aut illos velocissimos Theodosij cursores, qui ad extremos mundi fines intra paucos dies eundo redeundoque fecerunt, ut mundus posset parvus videri; aut Ventos, qui explicatis alis in comitatu Elij Veri curabant; aut si hæc non sufficiant, hippogryphum

phum Astolphi, vulturem Icaromenippi a. pud Lucianum, vel pennata Persei talaria es- se indeptos; & si quod aliud pernicitatis comentum poëtæ habent: quin imò eos Gy- gis annulum habere, cuius virtute invisibi- les effecti, omnibus Principum secretis co- mitijs, conventibus bellicis, & paulò minùs quām arcans cogitationum consilijs inter- veniant, quibus magnates suo in capite sena- tum faciunt. Tantum scilicet omni de re ac- negotio sciunt edicere: idque tam affirmatè, tanquam omnia oculis inspexissent.

In historia naturali Plinij (*N*) reperietis, quondam in Colchidis regno juxta fluvium Antemunta, urbem floruisse Diοſcuriadēm, in qua ( res dictu mirabilis ) trecentas dissimiles linguas ab convenis diversis gentibus audire erat: *& postea à nostris*, ait ille, *centum & trigin- ta interpretibus negotiaibi gesta*. Vos quidem nar- rationi meæ fidem non adhibebitis, quan- tumvis auctorem prodam Timosthenem; qui si locutus est, sicut scripsit, fuerat fortè ex illo Hyperbolicorum numero, de quibus pau- lo antè sermo nobis erat. Sed ut à proposito nihil abscedamus, qui de solennibus iſtis ru- morigerantibus præconari quempiam audi- et, quid per quatuor orbis plagas fiat aut co- gitetur, statuet sanè, in illo tam vasto Ore genera- lem omnium nationum conventum agi; ibi commune omnium Principum & Re- sumpubl. tablarium esse, universale omnium totius

totius mundi negotiorum emporium. Neque est, cur illos etiam de privatis familijs vestrum urbium interrogate omittatis, quod vobis penitissimam rerum omnium à maximis usque ad minimas, quæ videri possunt, quæ non videri, anatomiam sub oculos ponant. Omnia enim perspecta habent, quia omnia huiusmodi sunt; & quidquid sciunt, liberrime explicant. Unde merentur, ut de ijs dicatur, quod Aristoteles de ventis inquiebat, (O) ex illis maxime inverecundos esse; qui alijs vestem sublevant, eaque detegunt, quæ imprimis operata volumus.

Eat nunc; qui magni momenti secreta habet, atque istis lubricis prodigisque linguis thesaurum suum concredat, & quam potest fortissime impresso aenulo (quod Alexandrum Hæphæstioni fecisse memorant) eis labia obsignet. Etenim ne si tenacissimâ pice nautica, quam triremum commissuras oblitimus, ijs obtutaveris, effeceris, ut silentium teneant; rumpendi; nisi efflaverint. Ubi primùm per uniam aurem arcanum quid conceperè, confessim id ipsum sentire incipiunt, quod Aelianus (P) gravidis leænis scribit accidere, acutissimis nempe leuctulorum tingitculis ventrem eis sculpturiri; ideoque levandi cruciatus gratia, eas sibi nixu partum maturare. Jucundum est, videre nonnunquam, ut homines isti sibi ipsis ad tacendum vim inferant; ita tamen, ut ipso silentio commissa evulgent. Itaque dicunt, se

L.

qui-

quidem apprime scire ; nolle tamen prodere, quis , quid , ubi : & cum tot ambiguis vocibus , truncatis periodis , universalibus terminis , tantum denique de illo dicunt , quod dicere non volunt , ut etiam non dicendo , sagacibus auditoribus id abunde aperiant : quo modo salvâ , ut illi putant , arcani fide , exhalant loquacitatem suam.

Verum satis nunc de istis : recedamus hinc pauxillum , priusquam intolerabilis ruentis Nili tumultus aures nobis exsurdet . Et ecce hic ipse noster abscessus propriam molestissimorum blateronum qualitatem denotat , dum longissimè aufugere cogunt eos , qui semel-experti sunt , quam longa & cruciabilis mors sit , illos audire debere . Quā in re omnino idipsum cum eis renovatur , quod Plutarchus refert ab exercitu Rom. factitatum , quando Marcellus Syracusas obsidione premebat . Tantam ediderat ( Q ) prodigiosus ille Briareus ( ita Archimedem nominaverat Marcellus ) ingeniosissimis , sed terribilibus suis machinis , navium Romanarum stragem , alijs quidem speculorum ope ( novo , & in hunc diem ignorato artificio ) radios solares ardentissimè reverberantium , inflammatis & exustis ; alijs fertearum manuum unco per proram apprehensis , & in altum velut in pedes validissimè erectis , ac mox iterum toto pondere in profundum & subjectas cautes dejectis : & quæ alia illius ingenij militaria inven-

inventa erant, quibus Romanos sine intermissione ita affligebat, ut nunquam maximus ille Vir in mænibus compareret, aut ex funium vel lignorum motu signum eius adventūs caperetur, quin extemplo obsidentes horrore perculti, in confertam fugam desperabundi sedarent: ita ut aliud contra Archimedis machinas munimentum non esset, (R) quam in remoto subsistere. In hunc omnino modum Stagirita immani culpam garritori respondit: qui, cum cum longissimi fabulamenti tædio jam prope confecisset, neque adhuc finem posset aut exitum invenire, in importunam prorumpens exclamationem, quā videbatur novum sermonis caput reperiisse, philosophie, inquiebat, quæ tibi sententia est? dic sodes ex animo; num tibi ista mea oratio non plena miraculi videtur? eccuius miraculi, subrisit Aristoteles? hoc certè crediderim omnium longè maximum esse, si quis sit, qui pedibus valeat, quibus se hinc auferat, & tamen velet ad te audiendum resistere. quo dicto, ipsi quidem linguam in ore reliquit, suas verò aures alio alportavit. Et sanè ei, qui vel parum fensis habet, non leve tormentum est, longam & male affectam orationem auscultare debere: ita ut ipsa momenta videantur in dies & menses exerevisse. Et sicut in Plauti scena Sosias ille Amphitryonis servus, cum dixisset, nunquam se noctem, ex quo in vivis esset, illâ, quā Hercules conceptus fuerat, triduum

æquante, longiorem vidisse, exceptionem subjunxit;

(s) nisi item unam, verberatis quam pependi perpetè: ita non mitius affligitur, qui ineptum audire fabulatorem debet; nisi forte intollerabilius putetur, brachijs, quātū auribus suspendi?

Unde existimo, Agidem illum, celebratissimi nominis Regem, egregium dedisse Spartanæ suæ tolerantiae argumentum, quando orationi, quam legatus Abderitarum cotam ipso longe molestissimam recitaverat, nullo vel in oculis, vel reliquo vultu offenditionis signo edito, immotus assedit; quanquam ea sine fine, & in re insolenti propinquā miraculo fuerat, quod cùm innumeris vocibus abundaret, triplō tamen pluribus absurdis scateret. (T) Cùm igitur tandem blaterando fessus, ad solenne illud Duxi petvenisset, & inclinato reverenter corpore ex illo quæsiisset, quidnam responsū Senatui Abderitano daret? Respondit Agis, id modò ipsius nomine Dominis suis referret; ipsum quidem duas horas continenter dixisse, se vero pari patientia loquenti auscultasse.

A. l. 3. c. 5. B. Sen. nat. quest. l. 4. c. 2. C. Philoftr. in vit. Soph. D. ibid. E. Æneid. i. F. Plat. apoph. Lacon. G. Laërt. in Diog. H. Macrob. Saturn. l. 2. c. 3. I. Sen. de benef. l. 7. c. 13. K. Proem. l. 3. L. l. 3. Pharsal. M. de arte l. 2. N. lib. 6 c. 5. O. Plat. de curios. P. l. 10. hist. c. 3. Q. In Marcello. R. Plat. de garrul. S. in Amphitr. T. Plat. in apoph. Lacon.

VIII.

CAMPI URABANI  
VITAM LONGAM EI PERBRE-  
VEM ESSE, QUI ALIUD NON  
FACIT, QUAM VIVERE:  
VITAM AUTEM BREVEM BE-  
NE OPERANDO LONGAM  
FIERI.

Dum vos ita curiosè circumspicere, & no-  
vas istas admirari arborum species, ob-  
stupescere insolentes hominum vultus, &  
peregrinas barbari habitus formas collustra-  
re oculis, & subirasci video, quod ne unam  
vocem ex jucundis illis modulationibus in-  
telligatis, quibus ista messorum, plus quam ex  
dimidio inveltis turba, labores suos incan-  
tant, lucris suis exultantes; videmini mihi  
apud ipsos, ubi terrarum simus, inquirere.  
Et ego vobis responsi in vicem confirmo, quas  
res Europa miraculi instar suspicet, hic in  
America tam consuetum esse quot annis  
cernere, ut miraculum fore, si non conting-  
ent. Hi sunt Campi Urabæ, per cuius fre-  
tum intravimus, in terram exscensuri. Aliud  
de ijs non quærite intelligere; neque enim ad  
eos idcirco vos adduxi, tanquam non mille  
alios hisce similes reperire sit toto hoc tractu,  
ubi novus iste & grandis mundus, plus mi-  
nusve ad unum de duobus Tropicis, aut ad  
Circulum Æquinoctialem appropinquat, à

quo isti Urabani Campi non plus novem gradibus ad Septentrionem recedunt.

Jam verò intuemini sollicitam messorum istorum solertiam, qui sunt totus populus Terræ di *buona Vista* dictæ, prope extremam Caribbeanæ cuspidem, sub ipsis faucibus freti. Usquamne vidistis caules tam numero culmo opulentos, spicas magis corpulentas, & grani divites, quæ singulis prope manipulis prægrandem mergitem faciant; & ad paucos quoque passus novum acervum? tam secundum isthic solum est, & tam denfa ubique seges. Nunc ad secundam Barbarorum aciem adverte oculos, quæ in metentium vestigia subit, aridas stipularum reliquias falcibus ab imo usque exscindens: & tertiam illam, quæ agrum jam Cerere vacuum, levi sarculo, velut perfunctoriè subigit: & denique ultimam, quæ, parte messis celeriter perticis extitâ, denuo reseminat terram: ita ut illa eodem adhuc die de partu suo reconcipiat; & quoties iterabitur messis, denuo sementis renovetur: idque ter in anno; toties enim fertilis ista mater gravidatur & parit, quin unquam partione & nutricatu fatigetur, vel à conceptu quiescat. felices igitur, dicetis, quibus terram cultu tam facili, tam secura fide, & tam largo proventu triferam sors bona in manus confignavit. Quid autem foret, si etiam nos, volendo tantum, nostras possemus tantundem, in duplo magis feraces reddere?

illud

illud insuper , quod h̄ic quidem non contin-  
git, ut nobis in omni culmo spica , granis au-  
reis fæta proveniret? remelsāque unā , mox  
altera suppullularet? ita ut nunquam ab no-  
va messe faciendā cessare nobis liceret, quan-  
do nec illa identidem renasci desineret?

Cūm impossibile sit, eam rem in ordine na-  
turæ veram fieri , ipsimet jam ad vertitis, me-  
de alia fæcunditate , de alia terra , alio semen-  
tis & messis genere sermonem habere. Uni-  
cuique sua vita ager est : nihil interest, quām  
magnus sit ; plurimūm verò , quām fructuo-  
sus. Libyæ sola vasta , & infelicitis Arabiæ de-  
ferta , terram mundo parem occupant ; tan-  
tum tamen fructūs non afferunt, quo se alere  
unus homo posset : parem in modum homi-  
nis vita , quanquam centenarij , quid utilita-  
tis habet . si illa tota est instar arenæ emor-  
tuæ , lutosæ paludis , fruteti non aliorum ,  
quām ad ferarum cubilia, aut foci alimentum  
utilis? Afferte huc ante me ( imperat Stoicus )  
unum de istis infelicibus , qui in omni sua vita  
nihil agunt aliud , nisi quòd vivant , jam ex-  
suctæ ætatis & decrepitum ; capite nivis in-  
star albente , cano barbitio ad usque umbili-  
cum promisso , aridis malis , fugientibus re-  
tro oculis , labante tremulōque capite , plica-  
tili rugosāque pelle , artubus fluxa carne ma-  
ciatis , toto corpore arcuato , & prope ad pe-  
des prociduo: talem cūm intuemini , quid ju-  
dicare de illo poteritis ? certè non aliud , nisi

longissimam ætatem duxisse. (A) *Non ille diu vixit, sed diu fuit.* Enimvero ista rectè distingui, in casu prorsus simili ostendo. faxo biremem, ubi vix è portu egressa est, contrarius & prævalidus ventorum turbo invadat; cui quavis illa cedere cogatur, tamen arte atque manu fortiter obluctata, passisque velis huc illuc vagando, eludat spiritus impetum. Currit illa quidem, imò potius volat; verum istud currere aliud non est, quām eandem semper viam telegere, serpentis instar per antiquos identidem mæandros revolutæ, & in capite demum consistere, ubi pridem oportebat in fine constitisse, post triduum facile aliquot centena millia passum decucurrit: sed quid? num ea Navarchus in computum mittet sui itineris, si reapse ne unum milliare processum est: *non multum navigavit, sed multum iactatus est.* Jam vero quid aliud ab illo agitur, qui protritis iuutiliter annis suis, talem se reperit semi senex, qualis quondam fuerat juvenis & puer? animo per eisdem inanias & levitates futiliter effuso, ac ijsdem perturbationibus in omnem licentiam præcipitante; totum se etiamnum genio, vesaniae, fraudibus, vitijs permittens?

Interrogatus Diogenes, quāmnam maximarum infelicitatum supremam putaret; (B) eum senem, respondit, cui, ut possit vivere, mendicare necesse sit. Et Seneca ex seipso percontans, quodnam sadissimum inter homines  
mon-

monstrum viseretur , sibi ipsi reposuit ; (C) grandis natu senex , qui nullum aliud habet argumentum , quo se probet dum vixisse , preter etatem . Porro ad illam mendicationem , & inopiam ejus boni , quod hominis proprium est ; & ad illam monstruositatem , homini tantopere indecoram , pervenitur , si ad senectutem peniam liberæ , desidis , omniq[ue] cura & metu solutæ juventutis ambulatur : & alibi mihi locus erit fusius demonstrandi , quod hic indicasse sufficerit ; nihil facere , & male facere , unum planè ac idipsum esse . Et primò quidem , ecce , ut in tali vita rigidè observetur Aphorismus Corn. Celsi , pro corporis saluto optimus , ad curam animi pessimus ; (D) Post satietatem nihil agendum : qui se nimio cibo potuque ingurgitavit , laborando abstineat , ut spiritus cum suo calore in stomachi officinâ collecti , possint coquendæ illius ac digerendæ prægrandis farturæ officio vacare : secus ad membra externis functionibus destinata aversi , impedita concoctione quid aliud , nisi stomachum multa cruditate replerent ? Hæc nempe duo illa sunt negotia , in quibus majorem partem eiusmodi vita conteritur , bene pasci , & nihil agere : quemadmodum pecudes viverent pecuinam vitam ducentes ; & reapse vivebat Pacuvius ille , (E) sub Tiberio perpetius Syriae Praeses . Iste consumptis super cænâ compluribus horis , quæ more Sybaritarum , cùm sumptuositate , tum copiâ & dele-

Etū ciborum , & multā ingurgitatione, omni die videri poterat illi ultima futura ; repletus, quantum capere ingens alvi vastitas poterat, præbebat se tuneris instar super servorum humeris ad lecti sepulturam efferendum, comitante festivo Musicorum choro, qui identidem ei recinerent; Euge, hoc est vivere, hoc est bene vivere ! omnem diem velut ultimum degere ; & hodierno sic frui, tanquam nullus sequeretur crastinus. Sub hac symphonia, regis sanè porcorum addecente, helluo ille in profundissimum somnum immoriebatur, ex quo non resurgebat, usque dum posterus dies jam occasui, quām meridiei esset vicinior. Num

igitur dubitari potest , quantū in miserum istum , cui quotidie mergi & suffocari , quin etiam sepeliri in delitijs consuetum erat , aptius conveniret, quod in Herodicum ( F ) Plato dixit, eius longævam vitam potius diuturnam mortem fuisse ? quandoquidem insanabili ægritudine prostratus , tot potionibus, quas stomacho nauseante traiiciebat ; tot secturis & ustionibus, quas tolerabat ; tam rigidâ abstinentiâ , quâ malignos humores exsiccare in corpore oportebat ; tam diligenti asperioris auræ fugâ , & saevis doloribus, quos illi omnis mutatio temporis afferebat ; ita perpetim exercebatur , ut non tam vivere , quām perpetuò cum morte luctari & agonizare dici deberet : ( G ) nempe sic vivit is , qui se uitat , dixit doctrinæ moralis professor;

for; alij verò, sic in domo sunt, quasi in conditorie.

Hæc sibi mutuò consequi inquietbam, bene  
pasci, & nihil agere; & ut nihil agas, id operose  
studere, quomodo tempus inadvertenti dila-  
batur. (H) Vetuerat Pythagoras sectæ suæ  
sequacibus, ne quis unquam gallum perime-  
ret: nam id animal vel maximè philosophi-  
cum, astronomicum, & astrologicum esse; &  
longè familiarius Soli, quam aquilas, quarum  
potissima laus est, quod jam exortum fixè in-  
spiciant; ubi galli eum vident, etiam quando  
sub nostro hemisphærio latet: cique ipsos pas-  
sus adnumerant, & quantum absit, homini-  
bus indicant: & ad primum auroræ conspe-  
ctum cantantes gestiunt, excitatores somni-  
culorum ab natura constituti; & magistri,  
qui nos fugitivi admoneant temporis, & ad  
mensuram horarum spatia designent. E con-  
trario Sybaritæ, quorum totus populus de  
schola Epicuri erat, eosdem ab sua civitate  
relegarunt, ceu inimicos hominum quieti, &  
dormientium otio infestos: qui jam priùs,  
quam dies bene nascatur, ad laborandum e-  
vocent; & tempùs in partes dividendo, id fa-  
ciant solito longius yideri. Quā in re ostend-  
o vobis unum ex infinitis illis inter se pu-  
gnantibus votis, quibus infelix stylorum, id  
est permagnæ hominum partis, vita à vertice  
usque ad calcem intexta est: qui quidem de  
illius brevitate inconsolabiliter quiritantur;  
neque tamen secus, quam si ea intolerabiliter  
lon-

longa esset, omni modo viâque efficere labo-  
rant, ut dies putentur momenta esse, & an-  
ni nobis dierum instar prætereant. Ita ubi ad  
infaustum senectutem processere, ac retro  
conversi, sterile desertum (quale est vita ip-  
sorum, nunquam ad initium revocabilis) me-  
moriae curriculo perlegunt, omnis pilus albus  
eis in spinam vertitur, inutiles quidem, sed  
justas tamen lacrimas eis violenter ab oculis  
extorquentem; debitas sanè pro fatuâ pro-  
digalitate, quâ thesauros temporis, cuius u-  
nius avarities laudem meretur, in vanum  
projecerunt. Ita denique deprehendunt, de-  
suis diebus verum fieri, quod de bonis ha-  
reditate ad nos devolutis, Pomponius Juris pe-  
ritus definitum reliquit; (I) nullius quidquam  
esse, nisi quod *deducto ære alienq* sit reliquum.  
Omnes enim creditores comparent cum  
charta in manu, quibus irrevocabili donatio-  
ne, tanquam factâ inter vivos, tota vita ta-  
llis semisenij transcripta fuit: quantum hinc  
somno? quantum comedis addixit & rumo-  
ratoribus, & amoroſarum narrationum com-  
positoribus? dein otio quantum, & quantum  
laboribus studiisque ipso otio nequioribus?  
Cohorrescit profectù, si de octo millibus, sex-  
centis, & exaginta sex horis, quibus annus  
componitur, vix sibi viginti quinque (atque  
utinam tot!) utililiter impensas (quas solas  
licet in suo numerare) videbit esse super-  
stites.

Hinc

Hinc est, non quidem in omnibus (quia *se-  
necus non dat bonam mentem omnibus*, uti apud  
Platonem (K) quidam vir sapiens dixit) ut,  
velut prodigo quodam, in senecta ijs spiritus  
denuo juvenescat, incipientibus velle vivere;  
cum moriendum est: sibique ipsis illud incul-  
cent, (L) faciamus, quod in itinere fieri solet; qui  
tardius exierunt, velocitate pensant moram: & ad  
hoc se animent, consideratis ad unam singu-  
lis ætatis suæ, sine fructu præterlapsæ, jactu-  
ris: sicut enim ijs, qui in mari navigant, *tetrag-  
urbesq; recedunt*; (M) sic in hoc cursu rapidissimi tem-  
pis, primum pueritiam abscondimus, deinde adolescen-  
tiæ, deinde quidquid inter iuvenem & senem medium,  
in utriusque confino possumus; denique ipsis senectatis  
optimos annos. Optimè sane, si quos eiusmodi in-  
venire sit, qui, ubi alijs prudentia excidit,  
eam ipsi recuperent: ita ut saltem in sepul-  
chrali ipsorum marmore incidi possit, quod  
Similis, ob hoc famosior, quam quodd duorum  
Imperatorum, in bello & Aula, gratia & ho-  
noribus floruit, suo insculpi jussit: (N) hic ia-  
acet Similis: cuius quidem ætas multorum annorum fuit;  
ipse tamen septem duntaxat annos vixit; eos septem  
ultimos notans, quibus cessavit servire alijs,  
ut sibi viveret. Verum quantumvis sit lauda-  
bile, tandem aliquando facere, quod semper  
fecisse oportebat; nihilominus etiam juvenes,  
qui in eo articulo versantur, quo aliorum ma-  
lo eruditæ utilissimè possunt, illud audire ve-  
lent, quod de eiusmodi senibus, sapere incho-  
anti-

antibus, dici debet: (O) quid turpius, quam senex  
nivere incipiens? Stulta providentia est, aiebat  
Vegetius, (P) & sera parsimonia, abliguritâ pro-  
digaliter exercitûs athonâ, tunc ubi ea jam de-  
fecerit, velle manum constringere. Nunquid  
enim de annis nostris, & ætate vitæ, morum  
Magister (Q) edixerat? *sera parsimonia in fundo est:*  
*non enim tantum minimum in imo, sed pessimum est.*  
quod cùm dixit, videtur ad verissimum illud  
Antiphonis effatum respexisse, (R) vitam no-  
stram vino esse persimilem: quod cùm ad fun-  
dum est, in vappam & acetum desinit.

Igitur ne tibi, o juvenis, & fortè, ut pleri-  
que juvenum sunt, temporis consulte dila-  
pidator, eveniat, ut pariter, & forsan inuti-  
liter postea eius te pæniteat; permitte, ut te-  
cum illa misericordia usurpetur, quâ Tibi-  
rius Cæsar, eximio prudentiæ suæ documen-  
to, adversus Senatorem Rom. usus est: (S).  
qui, cùm jam de grandærioribus esset, imme-  
dicis tamen honorum suorum donationibus,  
& cæterâ prodigalitate ita conturbârat, ut  
nullum sibi è juvenibus imprudentiâ parem  
haberet. Igitur non aliter, quam si adhuc pu-  
er & minorenns foret, sublatâ interim re-  
rum suarum administratione, Tutorem ei  
constituit. Ad hoc tanti momenti officium  
Seneca vobis ultro se offert; tanto utique di-  
gnior, cuius consilio in expendendo dierum  
vestrorum peculio pareatis, quò ipsem in  
consumendis suis fuit accuratissimus; neq;  
mi-  
nus

mùs exemplo instruens, quàm præceptis. Igitur ahte omnia scitote, solum tempus esse illud, (T) *enim unius honesta avaritia est*: quantumcunque & nim modicum sit, vitæ tamen vestræ pars est: & si non parum dedisse vos putaretis, sicui viginti quatuor guttas vivi sanguinis largiremini; neque utique tam certo vitæ impendio velletis urbani videri, ut quotquot eam à vobis gratiam reposerent, aperiri vobis veniam juberetis, quantumvis ea mensura uno die exempta, possit alt ro die recuperari; quodnam fascinum, quæ præstigia vobis aut tollunt, aut obcæcant animum, ut nō videatis, vos, dum in alios iñmoderanter tempus effunditis, quod vobis tam exiguo modulo ad vivendum conceditur, id nimirum profundere, quod vobis ipso vestro sanguine millies deberet charius haberi? quando & pretium eius est inestimabile, & damnum omnino irreparabile. Itaque (V) *nemo tibi ullum auferat diem, nihil dignum tanto impendio redditurus*. Ita in omnes vitæ vestræ dies attendite, ut eos, quantum fieri maximè potest, habeatis frugiferos: (X) facite de vestris, quod ego de meis; *id vero, ut mihi in striae vita sit dies*. Hodiernum tam parcè expendo, tanquam crastinum non habiturus. (Y) *Crastinum si adiecerit Deus, leti recipiam*. *Quisquis dixit, vixi quotidie, ad lucrum surgit*. Ita ille: dignè prorsus, ut eius verba paulò uberiùs pondemus.

Sapientes Ægyptiorum, quibus solenne erat

rat per mystica symbola scribere, (z) ad significandum præsidem & custodem horologij, quod actionum publicarum regula est & definiator, hominem figurabant; una manu numeros, ab uno usq; ad viginti quatuor, in fascem collectos tenentem; altera verò unum eorum sibi in os irrigerentem, & velut dentibus masticantem. quā imagine sapientissimi homines haud dubiè longè plus indicare; quam obijcere oculis voluerunt: & prudenter admonere, quantopere referat, nequam dies, ac multo minus menses & annos integros devorare, sed eos minutim in horas; &, si possit, in momenta discindere; non aliter quam cibos, ut in salutare alimentum vertantur, non totos deglutimus, sed in bolos & frustilla commotos; ita ut sub dentium commotione prima fiat digestio: ex quo factio[n] parum saporis degustatur: ita de tempore faciendum, quod nonnisi minutim & velut per micas absumere decet; cum talium operum opsonio; quæ suā substanciali animam nutritant, & sapore (qui nunquam ab honestate se jungitur) recreent. Multum est, quod me Diogenis pudeat, parum sanè tunc pro philosopho se gerentis, quando, nescio quis, monstrato solari horologio, ex eo quæsivit, (z) quidnam de tam ingenioso invento ipse existimat? Item, respondit admirabundus Cynicus, ut hæc oppidū plus quam bella res est! Vide, ut eam percharam habeas; paulo minus, quam vitam

vitam ipsam. Scis tu autem, cur ita? equidem si id frequenter inspexeris, nunquam tibi hora prandij inobligata præteribit. Et Paulo melius Rex Theodoricus: qui cum Gunibaldo Regi Burgundionum horologium, opus Severini Boethij, dono transmitteret, quo, ait ipse, (*1a*) *aquis guttantibus horarum spatia terminantur*; alium meliorem usum ex tam multis alijs, quos pulcherrima ea machina habet, nullum adnotavit, quam ut inde hora sciretur, quæ prandendum est: *belluarum quippe ritus est*, adjungit, *ex ventris esurie horas sentire*, & non habere certum tempus, quod constat humanis usibus attributum. Quantò magis prudentissimum illum Regem, qualem nobis Sidonius & Historici describunt, decebat, ut Gunibaldum diceret, eo instrumento tempus breve triturae, & stillatim illud ad sua emolumenta exhibere? non aliter destillantes lacrimulas respiciendo, quam si margaritæ forent, quas bene operando lucifaceret, otiosè vivendo amitteret. Ego (ait Plato (*3b*) in persona Hipparchi) eos esse cupidos, & ad rem agendam attentos judico, qui nihil, quantumvis vile, exiguum, & prope nihili, quod eis manus obveniat, non apprehendant, curēntq[ue] tie in suas utilitates convertere, ad negotium & quæstum transferentes. Et ego eos inter prudentes numero, qui brevissimè ad maximas meritorum & opum animi divitias per venturi sint, qui non solum grandia f[ra]usta

temporis, sed minimas etiam miculas maxi-  
mi faciunt, & in sua trahere commoda nove-  
runt: haud secus, quām de auri ramentis &  
arenulis facerent; quæ non idcirco, quod per-  
modica sint, desinunt aurum esse.

Multa saepe mirabatur prudentissimus Imp.  
Augustus; sed quod fortè maximè, id nunc ex-  
ponamus. Considerabat ille (Dd) Alexandrum  
M. ardентissimo desiderio succensum, omni-  
um quotquot in mundo erant, Regum Capi-  
ta, & quotquot regnorum coronas, suis pedi-  
bus subjectas videndi; nominis sui gloriam  
continuatis à Macedonia usque in Persidem,  
atque hinc usque ad Indiæ confinia viatorijs  
proferendi. Videbat illum maximis sumptu-  
bus & apparatu, nautico & militari, numero-  
sam classem instruere, per saevum tempestati-  
bus mare traducendam, quò incognitum  
quendam mundum occuparet; quem quidem  
ignorasset eatenus, sed sua illi mens dūntaxat  
augurabatur, utique trans Oceanum jacere.  
Intuetur illum, non modò muliebriter lacti-  
mantem, sed rubentibus etiam oculis lamen-  
tantem, dum ab ebrio philosophastro audie-  
bat, non solum omnes stellas totidem mundos  
esse ab hominibus habitatos, sed insuper in  
toto illo, quod extra hunc orbem est, vacuo  
spatio, infinitos existere eiusmodi. crediderat  
miser. at quis etum illuc traijceret? tātum ei sua  
ambitio promiserat, ut si modò eō pettinge-  
ret, nihil dubitaret, omnium se confessim vi-  
torem

Quorem & dominum futurum. Ista, inquietabat Augustus, cupiditas est, qualis in juvēne, hoc est, immōdica; & prudentia similiter, ut in juvēne, hoc est, modica esse solet: cūm quidquid non habebat, appeteret; & quæ habebat, quo pacto conservaret, nihil attenderet. Cui, quæso, relinquebat dimidium mundum, & jam suum, dum interim sub incertâ spe alterum dimidium sub extremis mundi finibus reperiendi, immensi, & eatenus nondum navigati Oceani fluctibus se committebat? Hoc nempe erat, de manibus id dimittere, quod jam securè tenebat; ut eas vacuas apertâsque posset ad incertum, & fortè obventurum extendere. Jam si id factum imprudentiæ, & paulo minus quam stultitiæ arguitur, cedò, an non idipsum apud majorem hominum partem perpetuò deprehenditur? quid enim sollicitudo & cura de secuturis temporibus, & prolongandâ vitâ? quid inquisitio alicuius, qui ex manutum lineis, nobis vivendi spatia harioletur? aut qui ex aspectu posituque stellarum de ævi duratione divinet? Longissimam nobis pollicemur; neque ullus sibi annos centenis patriciores pacisceretur: Interim, dum de futuro, quod fortè nunquam futurum est, tam anxie cogitamus, nunquam curam suscipimus eo bene utendi, quod in manibus habemus. Imprudentes sanè & stulti, sicut nos ipsi diceremus eum esse, qui totus semper in novis prædijs coemendis laboraret, vetera

tamen inculta relinqueret : opulentum se ex-  
istimans , quod multam terram possideret ;  
cùm tamen solum dives sit, qui multos inde  
fructus colligit: & ad multos colligendos opus  
sit eorum præceptis auscultare , qui in arte  
magistri, & agriculturæ periti sunt.

Infelicem Mago Carthaginiensis eum a-  
grum ducebat , qui non continuò influentiâ  
herilis oculi irroratur, ad eum fæcundandum  
utiq; plus valentis, quam vel mille oculi, qui  
bus cælum coruscat , quantumcunque bene-  
fico aspectu clari. Hinc severum Columellæ  
præceptum extitit, (*Ee*) quod sicut maximè ne-  
cessarium, ita jure primum putavit in ea arte,  
quam scriptis ad posteritatem mandavit: *qui agrum parabit, domum vendat, ne malit urbanum, quam rusticum larem colere.* Plus utique, non nego, pe-  
titivit , quam par sit ; sed id valde consultò, ut  
vel sic illud , quod par atque decens est , ob-  
tineret. quia igitur herus non potest perpetuò  
famulorum agrestium operi assistere , ut ne  
segniter operam , necessariamque culturam  
negligant, erce modum à Columella præscri-  
ptum , quo tantundem efficere liceat, quam  
si nunquam ab eorum oculis abforet; cum ed  
accederit , quid velit , præscribere ; cùm re-  
dierit, severè quantum laboratum sit , requi-  
rere: (*Ff*) *nulla est nequissimi hominis amplior custo- dia, quam operis exactio.* Ita , dixero , vobiscum  
ipsis idem jus usurpare debetis. Manè ubi o-  
culos à somno recipietis , supra istius dici de-  
cur-

cursum, id est, supra partem vita<sup>e</sup> vestra non contemnendam, mentem circumvolvite: &, si vel parum voletis sollicitè agere, vah quantum inde utilitatis referre poteritis? Imperante vobis summum illud, quod conditio vestra & tempus ferent. Vesperi ante decubitum OPERIS EXACTIO sequatur: vos ipsos ante vos sistite, interrogate, rationes poscite & date: & si quid malè omissum est, causas exquirite, ut ijs deinceps occurratur: interim acriter negligentiam reprehendite, nihilo sañè mitius, quam in desidiosos bajulos, aut residues operas ageretis.

Quod si rationes propositi & effecti rite ad librae æquamentum consentiant, ô quam faustus vobis dies decursus est! eum profectu unione aut clavo aureo signare deceat, uti veteres annum. Verum uti amplius etiam proficiatur, alterum quicque eiusdem magistri documentum auditore: (Gg) *Illud deinceps præcipiendum habeo, ut demessis segetibus, iam in area FUTURO SEMINI CONSULAMVS.* Ingens solarium, quo mens benefacta sua intuens perfunditur, novos vobis animos faciat, ad nova iterum opera decernenda & aggredienda: semperq; oculus in sapientissimum Biantis philosophi consilium intendatur, tam sedulò operari vos jubentis, tanquam pauculis dieculis victuros; & ita res futuras disponere (qua<sup>e</sup> sanè optima est ad quamcunque excellentiam evadendi via) tanquam anno primū centesimo mo-

rituros. Hoc nempe est vivere: hoc est metere, non tribus tantum per annum vicibus, ut in Urabæ felicibus campis; sed in eodem agro quotidie novam messem, & novam sementem facere: neque modò eum inde non macrum fessumque reperire, sed postero etiam die lætiorem ac fertiliorem, quam primo. Ista calendi agri ratio, ad animum virtutibus ac scientijs locupletandum plus uno mense proficit, quam si centum annis segniter lentèq; operi instetur: sicut ferè de bono solo Palladius dixit, (*Hh*) *meior est cultura exigitas, quam magnitudo neglecta.* Verum ut ab agricultura non discedam, in confirmationem huius argumenti tam egregium factum vobis proponam, ut fortè illud audisse plus, quam alia quæcunque oratio, roboris habiturum sit ad eam vobis curam iniiciendam, quod vos ipsos bene percolere, & ætatem atque annos vestros duplo magis frugiferos efficere velitis.

Paridius, mediocris fortunæ homo, duas filias & unam vineam habebat. illæ tota ipsius familia; ista totum patrimonium erant. Ubi major illarum jam nubilis fuit, ei pater pro dote tertiam partem vineæ assignavit: neque tamen cessavit ex duabus reliquis minus fructuum, quam cum totam habebat, colligere. Paulo post alteram quoque filiarum matrimonio elocavit: ergo huic pariter dimidium vineæ in dotem dat: simul tamen Paridius, ut erat maximè industrius, ex triente,

qui

qui illi solus remanserat , tantam perrexit vindemiam facere , atque cum totam adhuc vineam possidebat . his dictis Auctor , qui id ex quodam Græculo oculari teste audierat , subinfert : ( I i ) quo quid coniscitur , nisi , melius scilicet postea cultam esse tertiam illam fundi partem , quam prius universam ? Ita omnino cum vita nostra res se habet : eatenus fructuosa est , quatenus exculta . uno anno cum triplicata diligentia , reddit pro tribus : similiter uti apud Paulum Jurisperitum legebam ; ( Kk ) ter enixa videtur , etiam que tergeminum peperit . Id juris , quod alia mater vix triennio consequeretur , istius fæcunditas mox anno primo obtiniebat : tantumque ei profuit , tres uno partu filios edidisse , quantum si tribus annis grava , unum post alterum genuisset . Igitur totum in eo situm est , ut temporis multa ratio habeatur . ( Ll ) Si eo bene uti velis , etiam parvum amplissimum efficies , numerum annorum multitudine operum superando .

Ita documentum hoc , quantum ad copiam & magnitudinem operum ( nam de reliquo non est hic disputandi locus ) egregie executus est Alexander , hac in parte fortasse magis , quam in ulla alia vere Magnus : qui tametsi juvenis , & in optimo ætatis flore positus , adeò tamen satis se vixisse credebat , ut cum illam transmittendi , ut paulo ante dixeram , Oceani expeditionem fulciperet suorum consernationem intuitus , sive suæ , sive ipsi-

us vita in tam periculosa (ut non dicam temerariae) navigationis molimine metuentium, palam edixerit; quantum quidem ad ipsum attineret, ne quid omnino turbarentur. (Mm) Ego me metior non aetatis spatio, sed glorie, licuit paternis opibus contento, intra Macedoniae terminos, per quum corporis expectare obscuram & ignobilem senectutem. Quanquam ne pigri sibi fata disponunt; sed unicum bonum diurnam vitam estimantes, sepe acerba mors occupat. Verum ego, qui NON ANNOS MEOS, SED VICTORIAS NUMERO, si munera fortuna bene computo, DIV VIXI.

A. de brevit. vit. c. 8. B. Laert. in Diog. C. de tranquill. an. c. 3. D. l. i. c. 2. E. Sen. ep. 12. F. l. 3. de rep. G. Sen. ep. 60. H. Laert. in Pythag. I. l. 145. ff. de Sen. Con. K. in Lachete. L. Sen. quest. nat. l. 3 pref. M. Idem ep. 70. N. Xiphil. in Adria. O. Sen. ep. 13. P. l. 3. c. 3. Q. Sen. ep. 1. R. Stob. serm. 268. S. Xiphil. in Tiber. T. Sen. de brev. vit. c. 3. V. idem de tranqu. an. c. 1. X. idem ep. 61. Y. Sen. ep. 12. Z: Horap. c. 42. Z. Laert. in Mened. Aa. Cassiod. l. 1. ep. 46. Bb. in Hipparcho. Cc. Plut. Apoph. Dd. Colum. l. 1. c. 1. Ee. l. 11. c. 1. Ff. l. 2. c. 9. Gg. l. 1. c. 6. Hh. Colum. l. 4. c. 3. II. ff. ad leg. Iul. Kk. Val. Max. l. 9. c. 12. Ll. Q. Curt. l. 2.

## ZEILANUM.

HOMINES, QUORUM OMNÉ  
BONUM IN CORTICE EST.

**Q**uandoquidem, teste Seneca, (4) Historicis, potestas est, solem dicendi, quod imago duntaxat est solis, quam ille in nubibus se speculando imprimit; unde à Græcis Parilia dicuntur, *quia accedunt ad aliquam similitudinem solis*: ego quoque licetum mihi reor, Insulam istam Zeilani, ubi nunc superato Indiæ Orientalis vastissimo pelago appellimus, Paradisum terrestrem appellare, quoniam talis revera videtur esse. Imò etiam est, si incolis credimus, qui fortunatæ huic Ipsulæ nomen Ternate indidere, quod nostrâ lingua Terram deliciarum sonat: & illam altissimam rupem, quam in eius medio usque ad nubium viciniam ascendere videntis, grandem Montem Adami nominant; cuius etiam pedum vestigia summo in vertice incisa, vel, ut illi tradunt, vivo saxo impressa monstrantur: tantæ quidem magnitudinis, ut ex proportionis regulâ, Adami corpus deberet Colossum fuisse, cui pro stylobate vix totus mons sufficeret. Verum quod ad Zeilanum, haud necesse erat eam fabulis adjuyari, quò Paradisus quidam esse videretur. Habet illa Æstates duas, & duas hyemes, id est, geminum ver, geminumque Autumnum; hoc enim

M s

sua

Suæ æstates sunt, & hyemes. igitur totus annus naturæ laboribus aptus est; id quod aliquis magia debuit affingere, cum de poetico paradiſo cecinit, quod ibi

Æternos flores, æternum cernere fructum est;  
Dumque hic pubescit, maturus decidit alter.

Ad hæc quidquid in omnem reliquam Indiam partitum visitur, ista in se collectum habet: cælum semper ridens, auram omni tempestate amoenissimam æquè ac salubrem; mare, quo circumfunditur, tranquillum, & ostreis margaritiferis toto undique fundo obsitum, pon plana magis, quam colles & montium dorsa pomiferis saltibus inumbrata: flumen amniumque dulcium ingens copia, quibus regio omnis quaquaversum fecatur: quam deinde perpetui ventorum mitium spiritus, quam lenissime æquor illud identidem velut à sopore excitantium, ita refrigerant, ut quanquam intra Zonam torridam jaceat, neque à circulo Äquinoctiali nisi sex gradus remota sit, nullam tamen æstus intemperiem sentiat: & si eum pauxillum succendi contigerit, eundem confessim pluviae extinguunt, quas omni mense benignus æther affundit, Porro animalium domesticorum & silvestrium, quotquot hominibus utiles esse solent, speciem nullam desideres. Silvas autem ebenum, & palmas Indicas alunt, & omne genus olerum, herbarumque.

Quod autem Zeilanum maximè Europæis famo-

famosum reddit, cuius gratiâ eosque quindecim millia milliarium mari enavigant, Cinnamomi arbor est; quæ ibi omnium optima provenit, tantâque ubertate, unde toti mundo abunde provisum sit. Planta hæc solitâ arborum staturâ est, olivam aut nihil, aut vix modicè excedens: ramosa & opacâ, folijs cedrum æquantibus; virore tamen paulum subfuscō, qualis in lauro. flores ac fructum fert: verum nec à ligno, nec à flore aut fructu æstimata, omne suum pretium in secundo cortice habet: qui certo tempore & artificio, solum illis gentibus noto, in modica segmenta excisus, siccando per seipsum velut in cannam convolvitur: & hæc cynamomum est.

Et ecce in tam bello naturæ mysterio, iuginem eorum hominum, quorum totum bonum extrinsecus est & in cortice; intus r̄ nullâ æstimabiliū: & ut omnino id dicamus, quod de cynamomo Plinius asserebat, totum eorum pretium, est pretium (*B*) *corticis*, *I N Q V O S Y M M A G R A T I A E*. Ratiocinemur hinc paulisper, & aliquos tantum fines, ad quos apparentia ordinatur, indicemus: nam de omnibus velle differere, ob eorum multitudinem & varietatem, longissimiores laboris esset, & integris voluminibus suffectura.

Gravis servitus, oculo servire: horus quippe est, qui nullis obsequijs contentus est; cuius

ius desiderij s impossibile sit , uti unquam facias satis. Nihilominus ea ambitur; & illi vel tantillum p lacere posse, tanto in pretio habetur, ut per magno ematur. Quantum pecuniaz non ex:penditur , imò quoties totæ opes profunduntur in vestium luxum,in domestici apparatus elegantiam , in famulitij habitus , ultra doni inorum fortunam superbos ; in ornamenta equorum , equestrem censum superantia ? cùm innumerabilis vasorum quantitas ex pretioso metallo , quæ centum mensis instrueridis sufficeret , ad spectaculum prostat , cœu tota necessariò in unius servitium itur , quid de conclave fastu; quorum frigidos &c insensiles muros , à capite ad calcem , ceu Reginas , serico & auro convestire mos est? Tantæ impensæ ad quid aliud , nisi tantum , ut alieni oculi approbatio ematur? Tollemihi eos , qui aspiciant ; & sustuleris , qui monstrare velint. seq; eviscerare , in corticem protrahendo , quod intus debebat medullam componere. (C) Quis enim , inquit Stoicus , quis eam , quam nulli ostendet , purpuram induit ? quis posuit secretam in auro dāpem ? quis sub alterius rusticæ arboris projectus umbra , luxurie suæ pompam solua explicuit ? N E M O O C V L I S S V I S L A V T V S E S T : ne paucorum quidem aut familiarium ; sed apparatum ritiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque IRRITAMENTVM EST O M N I V M , IN QVÆ INSANIMVS , ADMIRATOR ET CONSCIVS. Et tamen Zoilum illum Mar-tialis

tialis ridemus, tanquam non vera esset morbidarum mentium nostrarum infirmitas illa, quæ in illo fuit ascititia ægritudo: eo tantum fine conficta, ut concurrentibus vicinis & amicis, purpureas cortinas, & eburneum lectum, & culcitrae auro pictas ostenderet, in quibus æger distendebatur. Verum

(D) *Si fuerit sanus, coccina quid facient?*

Si conspectus non fuerit, periore tantæ impensæ, quæ omnes in alieni oculi gratiam sunt factæ.

Eamus nunc medium tantum paissum paulo antrosum: tantillum enim sati: est, ut alterum modum deprehendamus, quo aliqui totum suum bonum in cortice seu vestitu gerunt: volo scilicet eos dicere, qui propter magnificentum habitum magni se faciunt. quod si hos intus virtus aliqua decora d:stituunt, quæ sola æstimationem merentur, vñæ illis, si absq; eo habitu comparebunt. Ubi cynnamomi arborem cortice nudaveris, quid nisi truncus restat, nihil salice aut sambuco pretiosior? In hosce igitur convenit, quod de Subere Græci dicebant, illud arborem sui corticis nuncupantes; quo solo aliquid æstimationis habet: aliud nihil inde provenit, quod laude dignum sit. (E) *Suberi glans pessima & rara; CORTICEX TANTVM IN FRVCTV.* quamobrem non inficerè Græci CORTICIS ARBOREM appellant.

Et hem! in quot foræ contingere videmus, quod (F) Agesilaus R. in Spartano exhibuit,

buit; quando captos ex prælio hostes publicè  
vænum proposuit; hîc quidem nuda corpo-  
ra, ibi verò eorundem vestimenta: quæ cùm  
elegantia essent & nitida, celeriter emptores  
habuerunt, illis, quia muliebriter flaccida er-  
ant; & patrum bonis usibus habilia, ad ludi-  
brum modù prostantibus. Et ut in mercatûs  
negotio maneamus; si lubet, Senecam audite;  
perutile promercalis huius auctarium adjun-  
gentem, dignum sanè auditu, sed eonsideratu  
etiam dignius, quām explicatu. (G) *Mangones*,  
quidquid est, quod displitet, aliquo lenocinio abscondunt.  
Itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crux  
alligatum, sive brachium aspiceres, nudari iuberes, &  
ipsum tibi corpus ostendi. Vides illum Stythæ Barma-  
tiæ Regem, insigni capitis decorum? Si vis illum aesti-  
mare, totumque scire, qualis sit, fasciam solye: multum  
mali sub illâ latet. Quid de aliis loquor? si perpendere  
te soles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: Intus  
te ipse considera: nec aliis, qualis sis, credas. Ita ille:  
& videtur id illi Plato dietasse, (H) quamvis  
in alio stylo, nempe philosophorum suorum  
figmentorum; de quibus unum est in Gorgia; ubi  
multum, sed justissimè Pluto & Insula-  
rum Elysiarum Provisores querebantur, eas  
jam pridem plena esse: quod tam modico me-  
rito, & facile, ac tam multis in momenta eò  
accessus permitteretur. id inde provenire,  
quod de hominibus non ex flagitiosa medul-  
la, quâ intus pleni sunt, censura fieret; sed ex  
bene olenti cortice, quo se foris contexere.

Ubi

Ubi Juppiter tantæ indignitatis causas, & ju-  
stissimam querimoniam accepit, tres incor-  
rupti motis Judices nominavit, Rhadaman-  
tum pro Asia, Æacum pro Europa, Minoëm  
verò dubiorum, si quæ incident, discepta-  
torem. Hi deinceps de hominibus judicia ex-  
ercent, omni priùs vestium, & nobilium  
insignium fulgore, & majestatis ac honorum  
fastu, & titulorum dignitatùmque magnitu-  
dine exutis, quæ externus quidam cortex sunt,  
mendax & impostor, quoties sub boni specie  
malam substantiam abscondit. Ita constitutis  
judicijs circa id, quod quisque intus est, &  
non quod foris duntaxat præfert, haud du-  
biè minorem eorum numerum futurum, qui  
ad beatorum sedes admitterentur: neque de-  
inceps ita de angustia habitatoribus quere-  
lam fore, ut non potius timendum sit, ne tam  
grande vacuum habitatores requirat. Ita il-  
le, & post eum Lucianus, ipso etiam venustior  
eiusdem veritatis inculcator, quando Cha-  
rontem in pontone suo idipsum quirantem  
inducit.

Quem in finem permultum juverit, recor-  
dati, quām insolitum quidem nationibus alijs,  
& quē tamen prudentissimum motem (I) Per-  
ſæ habuerint; publici carnificis manu flagel-  
landi magnorum hominum non corpora, sed  
vestimenta: velut ista plurimorum scelerum,  
quæ illi commiserint, rea & in causa fuerint.  
dum enim tantâ opulentia eos adornabant,

revo-

reverentiam eis conciliabant, & admiratio-  
nem : quosque digito populus monstrabat,  
eosdem in superbiam sustulerant: & tanquam  
plus aliquid hominibus essent, hominum con-  
temptores efficerant ; & subjectionis obedi-  
entiæque, legibus debitæ, osores. A page hinc,  
(K) suclamavit Metropaustes , indignatus  
Democratis Lacedemonij superbæ , qui po-  
stulare ausus erat, ut sibi liceret solenni poin-  
pa Sardos urbem intrare cum regali purpura  
in dorso , & coronâ in vertice , & sceptro Per-  
fidis Regum in manu. Etenim non propte-  
rea , quod sceptrum gestares , Persarum Rex  
fores ; non magis quam Jupiter , tametsi ful-  
men in manu haberet. Grandem videri,  
grandem haud facit : sed ubi magnus fueris,  
sponte sua eveniet , ut pro magno habeare :  
sicut bonus faciei color ab internâ sanitate ef-  
florescit , quæ illius radix & causa est : & il-  
lum equum utique fatuam bestiam appella-  
remus, qui, quod aureo instratus sit tapetio ,  
se cæteris posse cursu antecellere , aut in præ-  
lio generosiorum fore putaret. Stultior etiam,  
qui, ut Stoicus addit, (L) ad præliare vel Troi-  
cum certamen iturus, inspecto fræni phalera-  
rûmque fulgore , & sellæ artificiosâ opulen-  
tiâ, eum emeret, tamque charum sibi habe-  
ret, quam si Bucephalum esset nactus.

Illud quoque hic advertendum venit , re-  
periri homines , quorum licet tota substantia  
in cortice persistat, ita tamen ad fallendum a-  
stuti

stuti sunt , & tam bellè nōrunt superficiem suam mirā profunditatis specie colorare , ut etiam illis imponant , qui metiendorum inge- niorum aliàs artifices putant se circinum aut bolidem in oculis habere . Et sanè si Zeuxis , tantus ille inter pictores Apollo , ut etiam a- ves ad decerpendas , quas ipse pinxerat , uvas alliceret , tamen ab æmulofamæ suæ Parrhasio deceptus fuit , ut velum , coloribus efforma- tum , verum esse arbitratus , (M) tandem remoto velo ostendi picturam flagitaret ; mirandum non est , quod in omni arte contingat , ut nonnun- quam fictum pro vero habeatur ; credatúrq; grande aliquid latére debere , ubi mera pu- ráque apparentia oculis illudit . Ita fortè vi- debitis , ad munia maximis in negotijs conti- nenter versantia , eos homines assumi , quibus consilium , sapientia , judicij perspicacia , cogi- tationum copia & varietas , inveniendi cele- ritas , prudentia & providentia , tam brevia tenuiáque sunt , quam pictura artificioso ædi- fiorum regionumque in longissima spatia recendentium prospectu fallens : quæ oculum introrsum quasi in immensum asportat , mon- tes , flumina , urbes silvásque velut in longin- quo continens , quanquam ne digitum qui- dem profunda sit . Quare si accidat (id quod nimis frequenter fit ) ut Principum aliquis improvidè credulus , se suāque consilia in ho- rum manus committat , ubi dein cum tempo- re & reipsa deprehenderit illa prudentia &

N

cogita

cognitionum brevia , ( quæ ne quidem sufficiunt, quando magnis negotijs pares sunt; sed ita longè multūmque ijs superioribus esse debent, ut ea velut pro potestate ac libitu trahare & conficere soleant ) tum respectu quodam: vel tuendæ in publicum existimationis suæ, quam in ijs eligendis oppignerâsse sibi videntur; vel etiam eo metu, ne arcana, quæ ijs credidere, emanare ad aliorum notitiam possint; coguntur eos tolerare & defendere: atque utinam suo tantūm malo, & non etiam Reip. detimento ! atenim hac de re postea in vertice Caucasi amplior differendi locus suppetet.

Nunc verò, quod diximus, istos tantūm posse, ut eorum cortex credatur medulla esse; primūm quidem nescio, an id artificio cuiuspiam tribuam, an naturali gratiæ, quā aliqui ita instructi sunt, ut primo sui conspectu aliorum animos occupent: ita ad omnem elegantiā idoneè nōrunt vel pauculas quasdam voces proferre, eaque gestuum morūmque concinnitate exornare, rēisque omnes mellitissima quadam venustate condire, ut nos placeant modò, sed planè in amorem sui rapiant; quanquam vel amantibus saepe incertum sit, cur id fiat. Itaque ego quoque cum Seneca ( N ) confiteor, quando is super stilo Fabiani disputans affirmat; *multum est, PRIMO ASPECTU OCULOS OCCUPARE,* etiam si contemplatio diligens inveniat, quod argua: *interim*

terim neutquam id laudi tribuo, illis, qui tam ardenter properârunt huiusmodi homines repente approbare, recepisse, & ad rerum maximarum clavum admovere; eo ferè modo, quo de Plutonis erga Proserpinam amore Poëta scripsit, (O)

*Pene simul visa est, dilectaque, raptaque Diti:  
aut quo legatus Regis Alyattæ à Biante dece-  
ptus fuit, quando periclitante Priene patriâ  
eius, ab rege arctissimè circumfessâ, & ad ex-  
tremâ famem redactâ, Philosophus caducea-  
tor cumulos arenæ, desuper levissimè frumen-  
to, quidquid in urbe supererat, congesto mon-  
stravit. quippe homo simplicissimus, cùm fa-  
cile potuisset, rem manu imniissa experiri, o-  
culis credens, eos ex toto id esse, quod foris  
apparebant, oculorum suorum fidem Regi  
obligavit, optimè de anno na prospectum ur-  
bi esse; quæ tamen ultra biduum tolerare fa-  
mem nequijset, quin se Regis arbitrio debuis-  
set permittere: qui proin desperans, eam fa-  
mem expugnari posse, refixis castris abduxit  
exercitum. Tantum refert seu in bonum, si  
quis nôrit totam apothecam bene excutere  
& subiçere oculis; sive in malum, cùm modi-  
câ veri vestigatione, imò, præcipiti facilitate  
persuaderi nobis permittimus, rem intus to-  
tam esse eiusmodi, qualis esse foris videtur.*

Cæterùm ad id, quod dixi, aliquos primo  
statim suo accessu, velut magnete, omnium  
ad se voluntates attrahere, istud quoque ali-

quorum singulare artificium ad jungamus, qui farraginem quandam politicarum observationum, hinc inde collectarum; apophegmatum, argutarum sententiarum, historicorum eventuum paratam semper secum de memoria penum habent, id modò elaborantes, ut quam appositissimè quidvis depromant. hinc est, ut quacunque de re sermo inferatur, sciant dicere aliquid; & ubi necessum fuerit, de negotijs etiam intricatissimis difficillimisque perorare, ad quæ dissolvenda potius quam rumpenda, majore quam Alexandri ingenio opus sit, talem adhibent eloquentia formam, ut planè credantur tantundem manu valere ad efficiendum, quantum linguâ ad dicendum. Et videor mihi in istis simile quid illius artis recognoscere, quæ fustem inaurati æris fortè ulnâ longum, crassum digito, per foramen chalybeæ incudis inadigens, & ab laxiore semper ad spissiora transmissum, denique ad subtilis fili tenuitatem reducit, simul ad eam longitudinem, quam aliquot centenos passus adæquet: ita tamen, ut semper æs intus, foris aurum prostet. huius artis ubi tam bellum opus inspexi, ita mecum reputare coepi; ecquis jam fidat eiusmodi hominibus, qui sermocinationum fila trahunt; & oculis exhibent modicum illud externi boni, quo sibi cerebrum non sine multo labore inauravere; quodque memoria cum mira subtilitate foras educit, quamdiu volunt & possunt: id tamen denique non

non est aliud , quām aurum in pelle, quæ au-  
rum esse non potest, putari tantūm potest ?  
Miserum profectō , qui ab his in fraudem in-  
ducitur ! tantūm periculi subest , ne forte  
ex tubicine ducem faciat, uti Græcus ille in-  
gemuit ; hoc est in proposito argumento , ne  
qui venustē dicunt, ad maximas res gerendas  
adhibeat: unde postea, cum in re ipsā depre-  
hendetur totum aliud esse , quām quod priùs  
fallacis speciei argumento credebantur, de ijs  
pronunciare oporteat , ( sicut de Claudio ( P )  
ferebatur; *capax Imperii , nisi imperasset*) viros eos  
esse, qui ad res maximas apti putabantur, quā-  
diū nullum illis grave negotium imponeba-  
tur. Nimiopere inter se differunt ingenium ,  
judicium , & istorum, quā tenent, publicas res  
tractandi ratio, atq; ut ea singulatim sumam,  
similia mihi videntur primum quidem apibus,  
alterum autem vespis: utræque enim nōrunt  
casulas suas, cancellatim distinctas extruere;  
apes quidem non tantūm cum arte, sed etiam  
utilitate favos, quos de cerā elaborant, melle  
implendo: vespæ autem , quamvis itidem in  
sex angulos domuncularum suarū statio-  
nem metentur, major tamen earum pars, quæ  
magis crassæ sunt, ex luto instruunt; quæ no-  
biliores , nescio ex qua arida , & stuppam refe-  
rente materia ; neque eo fine , ut alimenti  
quidpiam intus reponant; & istud quomodo-  
cunque demum favo simile cellularium, ple-  
rumque ad latus ruinolæ cuiuspiam parieti-

næ affigunt. Quod de istis quidem dixisse sufficiat.

Veniant denique (& sint ultima ex mille corticibus, sub quorum involucro fæpe id comparere solet, quod non est) veniant, inquam, libri: & ipsi quidem meritò ante omnia alia, cum ob rationes alias complures, tum quia vox libri in propria significatione subtilèm arboris corticem notat, quo ficcato & complanato veteres ad scribendum utebantur; quemadmodum etiamnum populi quidam Orientales faciunt: & ego eiusmodi volumen vidi, multâ curiositatis materiâ repletum. Cæterum si quis in orbe pretiosus, & aestimatione dignus cortex est: iste est quandoquidem & exquisiti odoris plurimum habet, & eximiæ virtutis ad res magnas conficiendas, tantâque provenit abundantiâ, ut tota Europa (ubi eius maximè nativum solum est) planè quædam Ternate sit aut Zeilanum. Quod si jam scriptores reperire est, qui in publicum prodeunt, audiri que postulant ceu magistri ac professores earum virtutum, quas ad rectè vivendum necessarias esse docent (atque de his auctoribus solis sermocinabimur, quod nos expedire hinc celerius possimus) ij tamen ipsi tam diversum ab eo, quod alijs commonstrant, vitæ genus ingrediuntur, ut vel maximè rei sint eorum vitiorum, contra quæ acerimè disputant; utrum non arbitramini, bene à me dici, corticem quidem istum cynamomi

mi esse, arborem verò nullâ silvestri meliorē? remque plenam deceptionis esse, de auctore velle ex ipsius opere judicare. Ut verò rei huius originem aperiamus, paulo altius ducamus initium.

Finis, quem sibi propositum habebant, qui vel sibi, vel alijs olim statuas erexere ( uti R. Attalaricus ad senatum Rom. scripsit ) ( Q ) is erat, ut post fata novam in marmore aut ære vitam haberent, tam immortalem, quām illa robusta sunt ad tolerandam aëris quamcunque inclemētiam; & sustinendum, alijs insuperabilem, temporis impetum; cuius sive ingratij, quantumvis ad lustra sæculorum provivant, neutquam tamen consene scunt: unde haud dubiè singularem merentur æstimationem. Pluris tamen utique fit, posse in continuâ filiorum nepotūmque posteritate sibi ipsi supervivere: quandoquidem, ut ille inquit, *quanto verior est qui vivit in posteris, per quos plerumque & forma corporis redditur, & vigor animi protegatur?* Optimè omnino, nisi æque verum esset, ( quod heu nimio sæpe accidit ) ut pravissimæ indolis ramī in omnia scelera flagitiāq; degenerent, tanto totius arboris familiae q; opprobrio, ut illa se mallet aridam & eradicatam, quām adeò infeliciter facundam videre. Idque eò evenit, quod, qui filijs dare possunt, ut sint, haud similiter dare possint; ut boni sint: & sicut terrena reperimus tam malis qualitatibus temperata, ut nullo cul-

turæ studio mansuefieri & corrigi se patiantur, ita hominum ingenia tam maligna & ad malum obstinacia visuntur, quæ frustra spes res ullâ industriâ laboréque meliora efficere. Igitur hasce tam raras felicitates inter se maritare posse, ut & filios habeas, & in ijs immortalitatem degas; & eos non modò tibi similes feceris, sed etiam longè te ipso meliores, id enimvero privilegium est, quod fortè toto in mundo nulli, nisi bonorum librorum scriptoribus obtingit; quorum illi legitimus partus sunt, digniore ipsorum parte editus, nempe mente, quæ illos ex seipsa conceptos formatosque, in capite postea ad maturitatem & perfectionem adductos, in lucem & sub mundi aspectum in chârta exponit; quam rectè Plinius senior non sine solido arguento materiam appellat, (R) quâ bonum immortalitas constat.

Quod autem huic filiorum generi, hoc est, libris possit vita communicari, (si virtutem attendas) non solum æquè bona, sed etiam eâ, quam ipsorum parentes & auctores ducunt, melior; ut adeò de illis possit id ipsum Poëta repetere, quod olim de Honorio ad eius patrem cecinerat,

(S) iam Natus adequat

Te meritis; & quod magis est optabile, vincit: hoc factu tam est facile, quam in promptu est dicere aliter quam agere: dicendi quidem stilum habere aureum, sed agendi plumbeum: in

in libro idæas præstanissimarum virtutum accuratâ calamigraphide efformare, non obscurè ( quanquam sine voce ) indicando , eam perfecti hominis animi formam sui figuram esse; & tamen revera vix primam eius normæ speciem , qualem pictores rudi solum carbone delineant, in se expressam habere. Sic itidem non est difficile , cum maxima sententiarum gravitate , & laudis exaggeratione commendare eam animi puritatem , quâ supra communem Stoam levatus animus , non dignatur , ne eminus quidem, respicere ad ea bona , quæ mentem non meliorem efficiunt ; ideoque pro nihilo aspernatur , quidquid Fortuna vel dare nobis potest , vel auferre : sed totam beatitudinem docet ab sese petendam , si sola virtute atque eius magistrâ philosophiâ , contentus sit. atque ideo audent illi non sine fastu totum pæne hominum genus objugare , quas immensus honorum ambitus , opum inexsaturabilis cupiditas , stulta popularis plausûs affectatio , otium , & sensuum voluptates , gulæ intemperantia , adulatio , impudicitia , plenis velis certoque naufragij periculo in tot scopulos coniiciunt , quotquot illa mala sunt , aliisque innumera humana- rum perturbationum vitia : cùm interim ipsi , si quidem à singulis in easdem rupes incursum suspensam de collo tabulam ferrent , cum depicta inibi casuum suorum historiâ ( sicut antiquitus naufragi solebant ) fortè non tam

numerosas olim in templo Neptuni Diagorascum rīsu circumspexisset, quām istorum mīserijs deberentur. Proin si bonus cortex, & nequam medulla Xilocynamomum componunt, an non putatis, hosce ipsos eiusce generis nequam arbores esse? Profectò tales sunt; tamque amplæ uberésque, ut ex earum ramis integra conseri ac depangi nemora possent. Atque ut hic tantùm de istis loquamur; tota quasi veterum magistrorum universitas, quicunque de virtute & bonis moribus præcepta ponebant, poterant ex vero dicere, quod Diogenes (*T*) cuiquam respondit, qui ex eo rogārat, ecclur ipse pro philosopho se venditaret, cùm ne quidem prima philosophiæ fundamenta nōset? nempe, inquietabat, quia etiā istud quoddam philosophiæ genus est, philosophum se monstrare, & non esse.

Romæ sub eodem Imp. Nerone duo advenar, summi nominis, & Stoicæ sectæ magistri vixerunt, Seneca, & Epictetus. Horum prioris scripta, de sententia doctissimorum viorum, haud dubiè maximus quidam thesaurus sunt, quem in hoc philosophiæ moralis genere hodiéque mundus habet. Neque quisquam tam litteratus est aut elimati judicij, qui erubescat manum extendere, & ex eius libris, quantum sibi opus habebit, emendicare: & res prope miraculum est, quād quantumcunque unus, seu mille inde desumpserint,

rint, sicut mare hauriendo nunquam minuitur, ita hic thesaurus semper integer persistat, quod se alij quoque exinde opulentent: ita spissæ densæque, imo etiam ita uberes ac mille novarum cogitationum fæcundæ sunt cogitationes singulæ copiosissimi illus ingenij: quod, in quamcunque demum materiam ingrediatur, semper sibi simile est; quamvis per diversas, easque omnes eximias & insolentes formas, variatum. Quæcunque illius periodus (& prope dixerim, linea) perfectam morum doctrinam continet. Non jam dicam cum quibusdam, omnia eius verba margaritas esse: fortè enim ille muliebre hoc ornamentum, & soli capiti decorando aptum, audiens indignaretur. Imo decet eas adaman tes nuncupare purissimos lectissimosque, qui fulgore suo oculos feriunt, & per istos propriam sibi virtuem ad cor usque propagant, ut inde adversus iniquæ fortunæ ictus, paupertatis incommoda, dedecora iniuriarum, patræ, amicorum & charorum jacturas, tormentorum & dolorum sensum, ipsam denique mortis terribilitatem, saxe i fiant ac indomabiles. Non ibi est aliud audire, quam tubas prælium animantes, volantia in hostem signa, micantia arma, collisas galeas galeas, & scuta scutis, confictus strages, atque fugas, suprema pericula, & commistos vincen tium victorumque horribiles clamores, ac id omne, quod antiqui dicebant, in Homeris

poë-

poëmatis ad accendenda in legentium animis heroica desideria , occursare. Senecam qui audiunt, discunt seipsis maiores fieri: docet námque eos , nidum & quietem supra id omne ponere , quod inquietare , turbare , & in noxiā libertatem pellicere mortales solet. Eóque vigore explicare ille magnanimos suos sensus novit , ut quis putet , se non mortuam scripturam legere , sed in illa ipsum eius vivum spiritum audire.

Et quamvis ille totum virtutum chorū usque ad solis sphæram eveheret , clarissimo suo stilo singularum merita illustrans ; universam è contra vitiorum haram auctissimorum sententiarum jaculis configeret, eousque ea persequens , ut extra mundum penitus ejecta , & tenebris abyssi consepulta vellet ; apparet tamen , eum in singulari pretio rerum terrenarum contemptum habuisse : & qui vel modicè eius libros gustavit , sciet sàne , quām prodigiosa ille in eam rem proferrat, ut probet , non debere famem ventre majorem ali ; hoc est , facultatum , deliciarum , commoditatum modum , quas in fundis , palatijs , pecuniâ ultra necessitatis modum plerique requirunt , non primum à philosophia , sed ab ipsâ naturâ nobis solâ vitæ ducendæ regulâ fuisse dimensum ; lege utique tam arctâ , quām justâ ; ut mundus me hercle beatus foret , si eâ sciremus contenti esse : tunc enim neque de inopia sciret aliquid , nec de opu-

opulentia: & clausis semel his duabus vitiorum portis, continuò vītia omnia de mundo exterminata, foris in Vacuo exularent. Qui dein eundem audit, duas suas emaciatas mulas describentem, quæ eò tantum, quod adhuc incederent, monstrabant se veras ac vi-vas esse; adhæc coenas illius, quas falconis instar stans, & cibum de manu sumens deproperabat; talem omnino, qui minimo sumine digitos inquinaret, undâ ob id & lin-teo distringendas; quomodo non crederet, eum plus quam Stoico rigore seipsum ad illam amissim exegisse, parum habendi & nihil appetendi?

Verum quid dicemus, quando nobis Tacitus & Dion Senecam adductis etiam rationibus convincunt, non opulentum modò fuisse, sed prædivitem, cui fortè nullus in Rom. aula par fuerit? septem & dimidium milliones præsentariæ pecuniaæ possedisse, non amplius quam quadriennio corrasos? vineas & prædia prope Neapolim, Albanum, Romam? hortos & deliciosa viridaria, quæ Imperatorem decerent; imò quibus Imperator, qualis Nero erat, certare non posset? Habeatur sanè calumniatoris in loco Suillus, (V) neque fidem meritus, cùm dixit, eum pupillos ad usque sanguinem emungere; & per iniquissimas vias nescio qualium testamentorum, immensas hæreditates suam in domum abstrahere consueuisse. quid verò ad illud dicemus, quod Insu-

Insulæ Britanniæ integrum millionem prægrandi fænore locavit: unde cùm totum debitum simul una vice repetijset, tantus ibi tumultus extitit, ut res propè à seditione abefset? quid quòd similes usuras per totam Italiam passim gravissimas exercuit? quid de quingentis mensis cedrinis, quas undulati venarum fluxus, aut in nodos orbésque crispi, velut pavoninæ caudæ imitamēto quopiam, pretiosas faciebant, eburneis pedibus impositas, miro thesselarum opere distinctis? ad quid homini sine liberis tantæ opes? philosopho tantum fænus? Stoico tales deliciæ? in spontaneæ paupertatis, & opum contemptionis magistro, tanta auri famæ ac sitis? Permittite, ut alterius philosophi responso id, utique nobis Seneca responderet, intelligatis. Aristippus pudicitia laudator singularis, (x) & moderandarum affectionum rigidissimus præceptor, sædo Laidis meritricis amore interceptus, en, ut bellè facti sui objurgatorem ab se repulit, cùm diceret *habere se Laidom; non haberi à Laide:* obversoque fastidiosè tergo, cum amasiâ suâ discessit; purusne idcirco, an turpis, credo non multà opus esse philosophia, quæ id discernat. Pari verborum modo Séneca, cùm ei objectum esset se-  
ctæ genus, quam profiteretur, & doctrinæ splendorem neutiquam cum ijs divitijs, quas tam operosè ac infinitè colligeret, concordare; pro responso librum *De vita beata* publicavit,

cavit, in quo intrepidè sic ipse met de seipso pronunciat: *Sapiens non amat divitias, sed maruit: (r) non in animum illas, sed in domum inducit: nec refficit possessas, sed continet: & maiorem virtuti sua materiam subministrari vult.* Si hoc non est habere Laidem, & non haberi ab illâ, sine dubio idcirco non erit, quod hisce philosophis idiomâ diversum esset; Senecæ quidem latinum, græcum Aristippo; atque unus amore pecuniae, alter desiderio faminæ obstringeretur.

Dum autem ista confabulamur, ecce philosophum Epicetetum de suo (ita quidem honoris causâ appellemus) conclavi, quod aliter melius speluncam aut tuguriolum vocarremus, prodeuntem. Accedite ad eum cominus spectandum; & audite, quid vobis oculi vestri, externarum specierum judices, de eo enuncient. Istud haud dubiè, eum esse vivam & naturalem non sanè imaginem, sed ipsam substantiam miseriae humanæ. Totus eius habitus, tunicula male corpori adjacens; mille centonibus tam interpolis, ut mihi sacrae illius navis in Delo memoriam refricet, toties sartæ & resartæ, ut eadem planè in toto esset, & nullâ sui parte eadem. Pedes inferiùs nudi; caput contra quamcunque cæli tempestatem apertum. Crure uno claudus, in altero catenam gerens; utpote servus Epaphroditi, intimi familiarium Neronis. atenim cur domicilium suum exiens non occludit? quia ostio caret, & cur clauderet, ubi nihil est, quod furto

furto pateat? Inopia, eius thesaurus est: quæ sola est, quam nullus fur auferre cupit; quia furis non est dare; inopia autem, nisi dando, non tollitur. Et eccere librum omnium eius rerum mobilium indicem: culcitra una stramentitia pro lecto; & testaceæ ollæ fragmentum pro lucernâ. Et hæc quidem externa Epicteti frons est; iste Silenus, quem qui non aperit, non æstimat; quia lucem & phaleras suas tantum intus habet. Quantæ autem hæ fuerint, & quām opulentam ille mentem habuerit, pretiosissimis earum rerum, quas emendatior Stoa possidet, non possum aut brevius indicare, aut fusiùs describere, quām dicendo, quemadmodum in Seneca merus cortex fuit, ita in Epicteto merissimam medullam extitisse: quod ille quām speciosissimè dixerit, hunc in opus redegisse: Senecam ingeniosissimis suis scriptis depinxisse quidem sublimissimam idæam, animi omnibus huius vitæ seu bonis, seu malis superioris; Epictetum autem vivendo eam longè uberioris, magisque ad vivum expinxisse; & quæ ibi præcepta sunt, isthic historiam esse.

A. *Nat. quest. l. 1. c. 11.* B. *l. 12. c. 19.* C. *ep. 97. sub fin.* D. *l. 2. epigr. 16.* E. *Plin. l. 16. c. 8.* F. *Plut. in Agesil.* G. *Ep. 80.* H. *de Rhetorica.* I. *Plut. de iis qui serò an. p.* K. *Idem in Themist.* L. *ep. 47.* M. *Plin. l. 35. c. 10.* N. *ep. 100.* O. *Metam. l. 5.* P. *Tacit. hist. l. 1.* Q. *Cassiod. l. 8. ep. 1.* R. *l. 13. c. 11.* S. *Claud. de 4. Cons. Hon.* T. *Laërt. in Diog.* V. *Tacit. l. 13. annal.* X. *Laërt. in Aristip.* Y. *cap. 21.*

TORRENTES  
IN MEDIO OCEANO DECUR.  
RENTES.  
SINERE SE A VIA ABSTRAHI,  
ET STULTIS VULGI OPINIO-  
NIBVS SE PERMITTERE.

**M**ortuo Zeusi, qui immortales fecerat, quoscumque in suis tabulis vitâ donârat, fuit, qui ad eius sepulchrum uno in fasce temere congestos depiles jam penicillos, convoluta linteal, laceras designationes, formellarum fragmina, & quidquid instrumentorum eius officina habebat, comminutum in frusta suspenderet, cum hac subscriptione: mortuo Zeuside (imò deposito tantum eo, quod in se mortale habebat, ut contemplatus puras idæas, perfectiores earum imagines exprimeret) nemo speret, non solum vincendi illius arrogantiam, sed ne æquandi gloriam. sicut enim vivens ille Artem constituit, ita moriens secum abstulit artificij Principatum. Quod encomium defuncti Zeusidis imitatio quædam fuit illius, quam de illo adhuc viante Apollodorus panægirin cecinerat, simili omnino sensu eius excellentiam executus.

Nunc ego hac ipsa eius cogitatione utar ad quampiam meam tanto aptius exponendam, dum hoc loco necesse labeo, brevi ser-

O

mone

mone impenetrabile naturæ miraculum vobis proponere, quod existimo eos fluvios esse, in quorum ostia nunc vos adversis remis importo. Auctrix illa & inventrix huius tam stupendi operis, Universi Sapientia, in formandis eius partibus, & assignando juxta æterni exemplaris designationem cuivis earum suo loco, qualitatibus, & propria functione, ubi ad in anime undarum elementum pervenit, quandam illis (& quis dixerit, quam? ) spiritum infudit, unde jam aliâ animâ opus non habent, quò vivere videantur. ita nimirum sine impulsu externo, planè de se stabili moventur decursu. Primo enim fluxus & refluxus (de quo alibi differendi locus erit) adminiculo, abeunt redeuntque non aliter, quam si quis ab uno terrarum margine ad alterum, vel à medio mari ad circumjecta eius litora proficeret. Et id quidem communis est totius Elementi huius, atque maximæ undarum molis, quas sive mediterraneus gurses, sive uterque Oceanus comprehendit. Verum hoc nihil est in comparatione illius prodigijs, quod passim occurrit, ubi eas jam per media maria, jam secundum litorales oras sinuumque flexus, nunc per canalium mæandros insulis infusos, nunc circum promotoriorum ambitus, ubi ingens aliquis scopulus atriū attollens caput, per subjectas terrarum culpides longè in mare saxeum protendit pedem; videmus præter omnem expectationem ita

ita rapidè procurrere , ut insanire possint putari. Neque tamen quidquam ita faciunt, nam certa habent currendi atq; ständi tempora, aut refugiendi; quæ sanè ad mensuram exactissimè observant. Viam quoque suam semel , hoc est , in exordio mundi illis præscriptam , ita fixam in mente habent, ut eam non modò nunquam perdaunt ; aut vel latum inde passum exerrent , sed tritum semper tallem fidelissimè teneant , quamvis nullo vestigio aut termino consuetum alveum signante. Ita scilicet fluvij incedunt ; imò ut brevi videbimus , in maxima confusione quam maximè ordinatè. Interim quod nos plurimum facit attonitos , illud est , quod in hunc usque diem nemo tam curioso felicique ingenio fuit , qui eorum principium inveniret , unde oriuntur , aut utilitatis finem , quam natura inde sortitur : Et tamen utraque causa certissimò subest. Verum Auctoris sapientia , qui totum hoc excogitavit , ubi opus perfecteit , artent subduxit : & reclusis in sūnum libris , ubi tota Originalis Idæa huius Universi descripta est , perutile arroganti ingeniorum nostrorum temeritati documentum reliquit; quæ non-nunquam cum insupportabili fastu . etiam non vocata , audet se velle in invisibilium rerum arcana penetrare , quæ tamen verticibus nostris sublimiora , infinitis parafangis humanæ intelligentiæ fines excedunt : dum interim materiales istæ res , atque sensibus .

imò pedibus ad eō ipsis subjectæ , ita nobis cerebrum ac mentem elidunt , ut major earum pars , quantò magis vestigando pensandóque collaboramus , earum occupatā notitiā , ceu vellere aureo sublato , victoriam reportare , tantò magis nos implicitos obstrictosque retineat . unde , si bene rem expendamus , tunc ad culmen scientiæ nostræ conscendimus , cùm probè dubitare didicimus ; & sapientissime ille philosophatur , qui saltem ignorantias suæ causas deprehendit .

Cæterūm seu verum sit , seu non , ( uti ego quoque existimo ) quod communis ille meliorum scholarum magister Aristoteles , cùm nec quicquam in reperienda causa defudasset , cuius vi duo illa maria , quæ per angustias Euboicas colliduntur , modò septies , modò duodecies in die , reciproco impetu intrent excantq; , tantum apud se vesanum pudorem valere permiserit , ut minus asperum arbitratus mori , quām insanos Euripi fluctus perpetuò audire , velut ignorantiam sibi suam impropertantes , scipsum , ubi rapidissimus freti raptus est , intrò præceps dejecerit , cum joco dico , *Tu me cape , quia te non capio :* omnino tamen verum esse experietur , quicunque contra rapidos fluminum gurgites se intromittit , vestigaturus , quare ita faciant ; necessum esse , se ipsum in talern abyssum præcipitare , ubi desperet , unquam se causam illius motus reperturum . Intuemini , quæso , mecum

mecum aliqua illorum prodigia; Ibi in me-  
dio Oceano, planè quieto soporatōque occur-  
rere flumina, immensæ latitudinis ac profun-  
ditatis: quæ haud secus, quām si proprium al-  
veum, & circumpositos ex terra margines ri-  
pásque haberent, per medias aquas decur-  
runt, juxtā prorsum immobiles & tranquil-  
las. & quid dico decurrere? eum in modum  
præcipitant, ut ne torrentes quidem, ex præ-  
alto abscissōque montis dorso, multo imbrī-  
um diluvio effusi, non majore impetu & vio-  
lentia deruant, quām istæ inter quietas inqui-  
etissimæ undæ; quanquam utræque in eodem  
plano fundo jacentes. Neque putatote, istas  
de abyssō maris scaturiginēs egurgitari, aut  
aliunde velut peregrinas advenire. neuti-  
quam: sed sunt ipsum isthōc mare, quod u-  
nam sui partem in morem fluvij ita ab se pro-  
ijcit, ac in seipso flumen gignit.

Grandes illæ Indicæ Corbitæ, quæ decem,  
& quandoque duodecim ventivolis velis in-  
structæ, per quinos senosque menses non con-  
spectâ unquam tellure, perpetuo navigatio-  
nis cursu quindecim, & quod amplius, leu-  
carum millia emetiuntur; cùm prosperis fla-  
tibus, omnibūsque linteis propelluntur, non  
tam ire, quām volare videntur: tantâ vi at-  
que impetu undarum æquor persulcant. Ni-  
hilominus quantulcumque esse possit, confe-  
stim ille enervatur & cadit, ubi fortè impro-  
visò navis in eiusmodi torrentis alveum irru-

O;

pit:

pit: acciditque haud raro, ut ex multo un-  
darum murmure, navis succussu, & spuma-  
rum circa proram aggestu, imperitus navicu-  
lator, veri similitudine deceptus credat, se  
magnis duplicatisque passibus provolare; exi-  
stans, navis impetum esse, quo mare tam  
violenter à prora findatur & subsultet; cùm  
revera navigium, velut incantatum, aut pa-  
rum procedat, aut fixum hæreat, aut quasi à  
fronte subjectis calcaribus incitatum, inad-  
vertenter retro agatur: tam mirabilis quan-  
doque ventorum & torrentium inter se con-  
fligentium contemperatione, ut cùm neutri  
vincant aut vincentur, navis quanquam sem-  
per moveatur, semper tamen in eodem vesi-  
gio subsistat. Atque ut nihil de mille alijs di-  
cam, velut in re, quæ quotannis solet acci-  
dere, Columbus ille immensi Oceani ( quan-  
tus nempe hinc usque ad novi mundi termi-  
nos interiicitur ) & usque ad sua tempora in-  
cogniti domitor, cùm semel totum diem ple-  
nis velis & insigni ventorum afflatu exegisset,  
denique se reperit vix integrum leucam pro-  
movisse. Jam mihi recordetur, si quis est, qui  
illud unquam viderit, tam verum, quam pas-  
sim non creditum miraculum Remoræ; vel  
alterum illud Indicarum, quamvis nunquam  
in India repertarum ostrearum, (1) quarum  
quietus tactus ( scripsit Rex Gothorum Thodo-  
ricus calamo Cassiodori, qui ei à secretis epi-  
stolis fuit ) plus dicitur retinere, quam exagitata pos-  
sint

fint elementa compellere. Stat pigraratis, tumentibus  
alata velis; & cursum non habet, cui ventus arridet:  
sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur, & tam  
parva animalia plus resistunt, quam tot auxilia pro-  
speritatis impellunt. Ita cum subiecta unda præcipitet  
cursum, supra maris tergum navigium constat infixum.

Interim non parum processisse eam navim  
credendum est, quæ velut in arenas impacta,  
medijs in torrentibus immota stetit; cum uti-  
que pro maximo lucro reputare debeat, quod  
non quadringenta aut sexcenta passuum mil-  
lia perdiderit, quemadmodum constat ali-  
quas in itinere Indico, ne animadverso qui-  
dem discrimine, occursantium horum torren-  
tium impetu, ad tantum spatium retro fuisse  
ahreptas: idque ea propter, quod vento de-  
stitutæ, pariter viribus carebant, ad resisten-  
dum insano victricum aquarum furori ne-  
cessarijs. Invenio etiam, minimè securum es-  
se, duabus vel tribus anchoris ejectis navem  
firmare velle. namque rapidissimus undarum  
vortex, nec quicquam alligatas, fundo exitit.  
aliæ ipsos rudentes, quanquam prævalidos  
crassusque vicenūm septenūm digitorum am-  
bitu, filorum instar diruptos, immani cœssi-  
se violentiæ: quæ tanta est, ut memorent,  
bolidem id locorum ad scrutandam gurgitis  
profunditatem demitti non posse, præcipiti  
fluctu plumbum, suberis instar secum aufe-  
rente.

Ad extremum, quis potest saltē quasi ad

aliquam regulam reducere irregulatissimum, & hetroclitum proruendi, aut in transversum erumpendi morem istorum torrentium? Acutissima industria anatomistarum ultimis hisce temporibus deprehendit, sanguinem in animalium corporibus circulariter convolvi: & passim varijs locis intra venarum canaliculos, dispositas ostendunt catarractas, & ostiola fluorem inhibentia, per quæ ex uno venarum truncò in adgenitos alios, quasi saltu quodam vitalis humor irrumpit; atque hinc illam sanguinis circuitionem existere: secus enim perpetua illa progressio sine regurgitatione, non foret motus perpetuus. Verum de hoc tam insano, ac insimul (ita enim necesse est etiam vocemus) prudentissimo ordine sine ordine horum torrentium, qui undas maris ab uno loco in alium egurgitant, quis potest modum aut finem excogitare? tametsi Senecæ consentiamus (B) motum auræ in ventis, & undæ in fluminibus, actum animæ esse, in eximio hocce elemento imperantis. Quidam fluviorum toto anno non consistunt: alij certos temporum, quin adeò dierum & horarum terminos habent, quibus aut existant, aut denuo concidant & arescant: Aliqui semper versus eandem plagam proruunt, nunquam retro converso cursu: alijs eunt redeuntque. Nonnulli ceu peregrinaturi, longè in altum mare expatiantur; alijs semper littus radere volupe. Sunt qui

recte

recto semper itinere longos æquoris tractus  
permeant, alijs in mille spiras & mæandros  
serpentinum denique evolventibus lapsum.  
Et quod prodigo simillimum, duos ipse vidi,  
sibi diversum rapidissimo fluxu occurrentes,  
licet inter le tam vicinos, ut vix quatuor  
terræ passibus dirimerentur; quorum ille  
Orientem, iste occasum petit.

Et ecce, seu culpa ipitorum, seu natura est,  
(nunc enim primùm error me meus adver-  
tit) quæ me aliquanto longius quam necesse  
erat abstulit, ad deprehendendum in ipsis si-  
milēm quendam effectum, hoc est, violentum  
illum raptum, quem popularis ille(ut vocant)  
fluctus permultis infert; sive terrore suo-  
rum judicorum, sive vivendi exemplo etiam  
eos secum in abruptum asportans, qui alias  
plenis velis sublimium cogitationum, & no-  
bilium desideriorum, per huius vitæ æquor  
felici cursu ad virtutem, & quæ inde conse-  
quitur, Veræ gloriæ portum contendebant.

Audite (sic enim bonorum morum præ-  
ceptor obedientissimum suum Lucilium in-  
elamat; sed ita, ut in isto totus eum mundus  
exaudire possit) audite, ò grandes animæ,  
quæ instar animosarum navium, quas bene  
unctas, fortiter compaginas, omnique in-  
strumento nautico instructas avidus merca-  
tor Oceano immittit, oculo semper ad sidera  
intento, & dextrâ ad temonem applicatâ, per  
procellosum humanae vitæ pelagus, ubi innu-  
meri

meri mortales vela faciunt, sed quorsum, ne-  
scij; tot in arenas & syrtes impingunt, at quo  
id modo, ignari; fortunatâ de portu in por-  
tum navigatione ditatæ, illinc modestiam &  
honestatem, istinc justitiam & integritatem,  
hinc generosum superfluarum opum, pompæ,  
luxus, & odibilis superbiæ contemptum, atq;  
una omnium virtutum, non dico opulentiam,  
sed thesauros eiusmodi comportastis, qui soli  
hominibus necessarij sunt, & ad bene beatéq;  
vivendum sufficientes. Incurretis ventorum  
obstacula, undarum præcipitia, & voracissi-  
mas Charybdes, violenta tempestatum præ-  
lia: neque tamen idcirco abijcite animum, vi-  
lium leborum ritu, qui ad omnis periculi  
metum desperantes, cuiuscunque venti arbi-  
trio se permittunt auferendos: sed constate  
vobis, ite audacter contrâ, & perrumpite,  
quidquid se vobis adversum interponat. aliter,  
ubi laborem remiseritis, ibi vos reperietis, ubi  
vos esse ipsimet erubescetis; & qua ratione il-  
luc veneritis, expedire non poteritis. ita sanè  
est: (C.) *Turpe est NON IRE, SED FERRI;* & subito  
*in medio turbine rerum stupentem, querere, huc ego*  
*quemadmodum veni?*

*Quemadmodum?* Non est profecta (subinfert  
philosophicâ plenus indignatione Stoicus) nō  
est illa interrogatio, cui facilius satisfrat. Cau-  
sa est, quod inter oves & magnam hominum  
partem nihil differt, quamquod illæ quatuor  
pedibus incedant, isti duobus erigantur. Illæ  
igitur

igitur eunt, (D) non quā cūndum est, sed quā itur.

(E) Et quod prima facit, faciet mox altera turba,

Stant cum stante simul : sic omnibus una quietem

Imperat. Econtra mox improvisa lubido  
Arripiet cunctas, si currere fortean una  
Prima volet, frustra pastor fugientibus  
obstet,

Et stabuli hirsutus custos, latrānsque Ly-  
cifca.

Prævalet exemplum metui : & mirantibus  
arvis,

Saltu grex stolidus prærupta per avia fer-  
tur :

Nec, si velle putas, possint tibi reddere  
tantæ

Causam stultitiae.

Vita nostra neque modum attendit, à mo-  
rali sapientia præfuitum; neque causas, qua-  
rum regulâ se recta Ratio gubernat. (F) ad  
morem componimur, optimarati ea, que magno assensu  
recepta sunt. Ita agimus, non quia ita faciendum  
sit, sed quia sic fieri videmus, hoc scilicet est  
ponere, sed ferri. Num vos aliquando in id pe-  
riculi fortuna conjecit, ubi numerosa populi  
multitudo in theatrum confederat; ut vide-  
retis, quando repentinus stridor, velut anhe-  
lantis sub onere tabulati, aut cuneorum rui-  
nam molientium, aures acutiūs verbēravit.  
quanto surore omnes percūlū, pleno fluctu  
ad

ad portam erumpant? imò non erumpant, sed inextricabili nodo alteri alteris innexi, ferrantur, & raptentur? ita quisque à sequentibus pressus impulsusque, premit ac impellit priores; truditur atque trudit, urgetur atque urget: & dum labitur, se in alijs, ne labatur, sustentans, unā secum vicinum avertit, atque iste alios; unde à pluribus superincidentibus demum prosternitur & conculcatur. Ita omnino eis evenit, qui se in furiosum populi torrentem intromittunt, ideo solum vivendo sicut multi, quia ita vivunt multi; (G) versatque nos, & precipitat traditus per manus error; alienisque perimus exemplis.

Dum autem nominari populum auditis, nolite existimare, me istius vocis significacionem juxta Dictionarium Fortunæ accipere; ubi idem sonat, quod turbam opificum & ignobilium, retrimenta inopiae & miseræ mortalitatis, magalia & tuguriola in cumulum congesta, contemptum &c. non palatinas domos, Principum aulas & Equestrem Ordinem, non aurum, sericum, purpuram, non titulos & Nobilitatem: ista enim sub vocibus *Gloriosus, Felix, Magnus, Beatus* reperiuntur. Ego autem in legitimo sensu, hoc est naturali Veritatis, ex probatissimis autoribus desumpta, (H) *Vulgum tam chlamydatos quam coronatos voco.* & cum Bione philosopho, (I) cùm bursam omnino, intelligo non pellem, sed quod intus est. Igitur si apud Regulatæ Eloquentiæ magistrum

gistrum, Orator div.s, sed ineloquens, fac-  
tissimè fuit ab Afro definitus (K) *Homo in agen-  
dis causis optimè vestitus*; facile est ab simili divi-  
nare, quomodo iij describendi sint, quibus  
omne decus & bonitas sua extra ipsos est. Ubi  
vitam eiùsque actus oportet ex amissi diri-  
gere, num putatis capropter bene adhiberi  
regulam tortuosam, quia auro constet? Ut  
talis est, ibi æstimetur, ubi auro suum pre-  
tium est: ubi regulâ opus est, etiam lignum  
rectum auro est potius.

Prodeant nunc, qui nequitiae suæ patroci-  
nium ex eo petunt, quodd cum pluribus mali  
sint. Quod mihi videtur tantundem esse di-  
cere, quàm si homo, qui pro prudente haberi  
vult, fæculento ovium grege occurrente cir-  
cumdatus, non sibi vellet per eas exitum ape-  
rire, sed eo solùm, quodd istæ numero plures  
sint, ipse quoque cum ijs retro gradum con-  
verteret ad ovile, ad pascua, ad natatile, &c  
quocunq;demum aliò agi se cum vilissimo pe-  
core passurus. Ecquis jam non verissimum pu-  
tabit, inter hominem & hominem, si vitam  
eum vita, & prope dixerim cogitationes cum  
cogitationibus conferamus, tantum discrimi-  
nis intercedere, quantum ferè inter homi-  
nem & pecudem occurrit? nisi quod istam  
necessitas ipsa naturæ innocentem præstat.  
illum libera in vitium consensio damnabilem  
facit. quæ igitur recordia est, ab armento ta-  
lium hominum, quorum quò major est nu-  
merus

merus, eo peiores esse mores solent, ideo solum quod multi sint, se in transversum & retro agi, vel in viam, regiae prorsus contrariam seduci sinere? quid enim istud aliud est, quam in fluctum irruentium ovoidarum se inferre, atque illis se, quocunque irent, asportandum permittere?

Quod si vobis non molestum est, excutiamus hoc argumentum paulo minutiis, idque per manum sapientissimi Socratis: cui Orationem quondam id laudis dederat, ut diceret, mundum neque in moralis prudentiae magisterio, neque ipsa morum probitate parrem ei ullum habuisse. sic ergo ille querit: (L) Ecquid est, cur me non omni jure putem in grandi stultorum elencho conscribendum, si in recuperando mutuo nummum unum, quod fallarius & adulterini metalli esset, recipere detrectarem; deinde autem integrum eiusmodi cumulum libens pro numerato acceptarem, eam ductus ratione, quod hic numeri mali essent quamplurimi? Erenim ubi damnum impendio majus est, major utique stultitia sit necesse est. Et ecce, ut mutatio nomine de te fabula narretur. Verum ne id vobis tedium sit ex me audire, edisseram linguam, utique omnium, quas Roma audivit, suavissimam M. T. Ciceronis; quem non minus philosophie laus, quam eloquentiae gloria decoravit. (M) An quidquam stultius est, quam quos singulos tanquam operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare efa-

universos? quemvis illorum separatim vel adspicere erubesceres; nunc quia putas à multis te adspici, erubescis, nisi eorum approbes iudicia, sequare errores, imitare exempla?

Heu (ita vos respondere audio) nimis terribilem bestiam, Populum! Temeritatis videtur esse, non fortitudinis, nisi à vertice ad plantam (uti Achilles in Stygiam demersus paludem) vulneri sis impervius, faciem illi & pectus audere velle obijcere: tam penetrabiles, ac intoxicatae sunt sagittæ, quas ille vel ab ore solum atque linguâ ejaculatur: tam acuti & prælongi dentes, quibus eorum famam præmordet ac dilaniat, qui in eius vestigia non intrant; quid igitur ijs erit, qui adversari sustinebunt? qui irritare? contrâ irrumperem ac perrumpere velle; hoc est, bene agendo vitiosa eius acta castigare audebunt? Ipse adeò Ulysses, tam decantatus humanæ prudentiæ magister, rationabili timore eosque cedendum putavit, ut etiam ovem induerit, quando ovem videri inter cæteras, quarum in stabulo hospitabatur, ad id ei profuit, ut lævissimi Cyclopis manum evaderet, & scà dentibus redimeret irati Polyphemi.

Quid? itane verò, sagittæ intoxicatae, rūmores illi & fabellæ populi? dilaniatio sanuæ, quibus ille per ludibrium probos impetit, & contra honestam bonorum vitam insanit? Hoc sanè insigniter hallucinari est, hoc monstrare inter umbras cernere, & gigantes in nubibus conspi-

conspicari. At enim si hæc tela unquam per-  
timeſcere ( ajebat Fabius Maximus ) aut ſal-  
tem attendere voluifem , neque mundus  
hodie Romam in pedibus , neque Roma ſibi  
mundum ſub pedibus videret ; neque ego  
Maximus , niſi tantum nomine , forem ; ubi  
nunc post contemptam mei contemplationem ,  
ludibria , & male ſana populi judicia , ille ipſe  
populus ultro conſitetur , patriæ liberatio-  
nem , & armorum ſimul artiumque Punica-  
rum Annibalis debellationem mihi tribui o-  
portere . Nam qua tempeſtate ille exercitum  
per montium vertices , & ſupra Annibalis ca-  
put , tantis victorijs barbarum in morem in-  
flati , circumduxit , Pænos continentē ſub  
fræno & quāſi obfertos tenens , ( quod non ali-  
ud erat , quām hostem nullo ſuorum periculo  
frangere , & demum ſine confliſtu ſuperare )  
quæ interim ludibria , quæ dipteria , quos in  
cum ſales populi dicacitas domi jactabat ?  
Nunquam aliàs tam evidenter argutissimi  
illius dicti veritas apparuit , ( N ) argumenum  
pessimi turba eſt . Revocatus Romam , quò illi  
potestas dimidiaretur , vix paulo minus quām  
publicis vulgi convitijs exceptus fuit , pleris-  
que illum tanquam Annibalis paedagogum  
ſugillantibus , ut qui novâ bellandi formâ ho-  
sti ſemper in tergo & vestigijs hæſiſſet : quod  
tamen revera aliud non fuerat , quām ſemper  
hastam dorſo eius intentare ; & potiūs ante  
ſe illum propellere , quām lequi . Quod per-  
 quam

quam bene advertit astutissimus Pænus ; evitare tamen non potuit : unde dicere solebat, quantumvis Marcellus esset in prælio ferocissimus, haud tamen se perinde Marcelli corpus, quam Fabij solam umbram pertimescere : magisque se ab restitante, pugnâmq[ue] declinante Fabio, quâm victorioso Marcello debellari. Quid tunc animi Fabio fuit, illas circum se turbidas facies aspectanti ; illa opprobria & communem populi contemptum auribus percipienti ? Id, quod vir fortis non linguâ, sed factis asseverat ; (O) ad honesta vadenti, contemnedus est iste contemptus ; immo postea etiam verbis pronunciavit, illum longe imbelliorem viliisque animi censendum, qui ad populi dicta expavescit, quâm qui hostilium armorum fulgore consternatur. ille enim, præterquam (P) quod tantum cordis non habeat, ut hastæ etiam simplici audeat contraire; insuper tergum virtuti vertit, quæ est fuga, uti homine omnium indignissima, ita omni vituperio longè dignissima.

Hunc in modum miles breviter perorabat, eloquentiâ scilicet militari. Quod si etiam audiare Philosophum allubescit, animo Stoicum, linguâ Cynicum (utramque enim sectam contra vitia profitebatur Demetrius) quo in numero habenda sint populi judicia & sermonculi, & an vir sapiens eorum causâ debeat à bene honesteque vivendo desistere, tali similitudine declaravit, ut, si materia indecorum

P

demas,

demas, nihil possit ad veritatem rei dici convenientius. Non sunt, inquit, popularium rumorum sibili, non sunt ictus iratarum nubium, super cervices vestras impendentium; non sunt tonitus, quorum fragore vobis terra sub pedibus centremiscat, & fulgere pectus confodiatur: flatus est tam intolerandæ graveolentia, ut, qui sic auram vitiat, à vobis neutiquam pro formidabili timeri, sed pro vil fungo haberi mereatur. (Q) *Quid ergo stultius homine verba metuente?* Eleganter Demetrius noster solet dicere, eodem loco fibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. quid enim, inquit, merefert, sursum isti an deorsum sonent?

Indò ut verum dicamus, inter potissima magnæ virtutis ac meritorum testimonia certius haberi non potest, quam multitudini non placere, *pessimæ veritatis interpreti*: (R) utpote cuius iniquum judicium tam infideli lance collibatur, ut suum centrum nequaquam in medio habeat, sed quocunque extra justæ mensuræ limitem, eius linguam aut passionum, quarum irregularissimâ regulâ vivunt, effrænis abripit impetus; aut utilitatis asportat respectus, quæ itidem de honesto non aliter, quam quatenus commodum est, judicat; aut insana illa temeritas, quâ vilissimi pauperrimique in sceptrâ & coronas involant, ubi aliter regnare non possunt; in eo saltem quandam regni speciem exercentes, in quo possunt, dum nempe condemnant vel absolvunt, elevant aut depriment.

munt, gloriosum faciunt aut infamem, beatum aut miserum, quem illis placuerit; veruntamen solum intrâ sua tuguria, apud centones suos, in senatu cogitationum, hoc est, in casa & cerebro fatui hominis & delirantis: quippe apud quos maximum scelus est, in alijs scelera non reperire: idque tantopere eorum oculos vulnerat, ut ad condemnandum eum, qui innocentiam pollet, æquissimi juris sententiam publicare se putent, si (quod Plinius junior, in alio tamen argumento dixit) iterare possint; (*S*) nihil peccat, nisi quod nihil peccat. Fortè autem eius rei exempla vobis defunt? an Aristidi, cui sua integritas pulcherri-  
mum cognomen Justi meruerat, ad hoc ut Athenis in exilium judicio ostracismi relega-  
retur, aliud delictum, quam hoc ipsum, vul-  
go tam odiosum, *Iusti* cognomen opus fuit?  
(*T*) Accipite in unius sensu omnium cætero-  
rum stultitiam. *Quidam litterarum rudis ac rusti-  
cus, testam tenens adiit Aristidem petens, ut nomen in-  
scriberet Aristidis.* Ad quem ille: nempe tu probè nosisti  
*Aristidem?* negavit; sed offendisse dixit eo nomine *Iusti*.  
*Conticuit Aristides,* & inscripto nomine suo, reddidit ei  
testam. Proinde insolens non debet videri re-  
sponsio, quam Antisthenes ei dedit, qui præ-  
longo sermone ipsius laudes extollebat, me-  
morans quantâ in æstimatione & amore apud  
universos esset. quippe Philosophus rubore  
perfusus, cum attento oculo totum se à pedi-  
bus ad caput collustrâisset, veluti vitâ suâ sub

examen revocatâ, profundum denique suspic-  
rans; (V) ecquid ego, inquit, quid mali feci?

Obloquatur ergo & rumorigeret populus,  
&, si vult, etiam jaculetur dictoria; nos au-  
tem pro constantia in virtutis studio id facia-  
mus, quod Demosthenes ad intrepidè pero-  
randum factitabat. Stans enim in scopuli ver-  
tice, ad cuius latus concitatum mare furorem  
suum debacchabatur, in mediâ frangentium  
undarum aspergine, sub insano elementorum  
fremitu, non aliter reeitabat Orationes suas,  
quam si in foro ad populum declamitaret: ita  
oculos ad fluctum turbæ, aures ad tumultum,  
vocem ad strepitum, animum ad horro-  
rem assuefaciens, (X) ut ad fremitus concitatum  
cencionum, patientiam duratis auribus, in Actionibus uti-  
retur. Agamus, quod de se refert famosissimus  
laudis & vituperij, favoris & odij popularis  
contemptor, Seneca: Solus, ac mecum consi-  
stebam, nisi quod mecum sermocinantem ha-  
beo divinam illam honestatis magistram, &  
qua sola veros homines gignit, Philosophiam.  
Isthoc tam suavi consortio dum inter mutuas  
quaestionum & responsonum vices jucundif-  
simè oblector, ecce improvisus confusarum  
vocum horror aures percussit, qui etiam stel-  
las verberabat, & aërem tonitrali enugiri-  
cum in modum quatiebat, ut putari posset,  
Romam subverti. Id nempe populus facie-  
bat, qui in theatro otiosus duellantium spe-  
ctator, ad crudeles furiosorum illorum victo-  
rias

riás ipse pariter infuriatur & insanit ; sed præ voluptatis magnitudine , quā ebrius suique impos , merita vincentium tantā vociferatione concelebrat : vel in hÿppodromo aurigantibus assidet , volubili curriculorum flexu circum metas decertantibus . In hoc tam vesano tumultu persisto , tanquam jam obſurduerim : neque is mihi amplius quietem turbat , quā in venti mare , cūm congelatum est . ( T Subit aliquā & universā voce feriantur aures meā : nec cogitationem meam excludunt , nec interrumpunt quidem . Breuitatem patientissime fero . Multe voces , & in unum confusae , pro fluctu mihi sunt , aut vento fitvam verberante , & cytharis sine intellectu sonantibus .

A. Variar. l. 1. ep. 35. B. Nat. quæft. l. 3. c. 5. & 6.  
 C. Sen. ep. 37. in fine. D. Sen. de vita beata c. 1.  
 E. Dantes in Purg. F. Senibid. G. ibid. H. ibid.c.  
 2. I. Stob. serm. 238. K. Quintil. l. 6. c. 3. L. Laërt.  
 in Socrat. M. Quæft. Tuscul. 5. N. Sen. de vita beata  
 c. 2. O. Sen. ep. 76. P. Plut. apoph. Q. Sen. ep. 91.  
 R. Idem de vita beata c. 2. S. l. 9. ep. 26. T. Plut. in  
 Aristid. V. Laërt. in Amisth. X. Val. Max. l. 8. c. 7.  
 Y. Ep. 83.

## XI.

ULTIMA THULE.  
 MALA MALÆ SOLITUDINIS,  
 BONA BONÆ CONUERSATIONIS,

Euge , immortali lauro coronemus pup-  
 pim' navigij nostri ; ecce enim sum ad ipsos  
 mundi

mundi fines pertigimus. legite modò ibi in  
 rupis latere, quæ portus aditum dorso prote-  
 git, prægrandibus incisum litteris, U L T I M A  
 T H U L E. Hic igitur est ipsissimus naturæ ter-  
 minus, ista mundi ad septentrionem confi-  
 nia; scilicet mundi illius, quem antiqui cog-  
 nitum habuere, tam brevem & angustum,  
 ut fortè non decimam partem adæquet illius,  
 quem hodie nobis solers æquè ac audax na-  
 vigantium curiositas detexit. Verùm prius  
 quam longius descendamus, liberum Insulæ  
 conspectum, quantus hinc patere potest,  
 subiçite oculis. An non illa chaos quoddam  
 esse horridarum rupium videtur, quarum  
 aliæ separatim huc illuc sparsæ, superbū  
 attollunt verticem, turris in morem, aut ma-  
 marinorum scopulorum, undis circumfusæ?  
 major autem pars sibi ipsis, aut una alteris  
 impositæ, tanquam non in Thessalia, sed isti-  
 hic Gigantes cælum institissent descendere,  
 scalâ sibi de montium jugis constratâ? Au-  
 gent etiam altitudinem illæ, quæ perpetuis  
 nivibus obsitæ, saxearum capitibus insistunt,  
 & singulis annis sub hyemis principium inci-  
 piunt majores fieri: quippe cum id locorum  
 sol modicè elevetur, radij eius infirmiores  
 sunt, quām ut tantam brumam possint lique-  
 facere. Ignis, quem ab altissimis apicibus re-  
 fulgentem aspicitis, isthic ab ipsis usque terræ  
 visceribus erumpit, per omnem utique tra-  
 Etum cavernosæ, ac inextinctis incendijs con-  
 flagran-

flagrantis: quorum ardorem necesse habet per illa spiracula efflare, tam multa numero, quam multos Insula montes habet; qui omnes possunt Vesuvij atque Aetnæ putari. Dum haec confabulamur, ecce solem prorsus ita in alto positum, ut circulum meridianum contingat; simul tamen ita humilem, & arcu, quem supra horizontem obœundo efformat, tam angusto & curto, ut hic iste dies, quo sol in Capricorno subsistit, ab lucis ortu ad occatum usque, non plures duabus horis computet; nox autem vicinas binas. Igitur nunc in summam colligitе omnes huius Insulæ malignitates; frigus insupportabile, ignes inextinctos, tenebras propemodum perpetuas; & dicite mihi, per Deos, quidnam adhuc desiderari possit ad efformandum Infernum, qui creditur insula esset; vel insulam, quæ videatur Infernus esse?

Id tamen non obstat, quominus ibi habitatores sint, in hoc Orbis exilio tam jucundè viventes, ut, si aliorum deberent coloniam transferre, non mitius dolerent, quam qui in exilium deportantur. Natales cunæ & paterni soli amor eos illuc, velut ostreas, devinctos tenet: & quamvis nusquam alibi miseriùs vivatur, ipsis tamen hanc qualemcunque insulam etiam cum Fortunatis non commutarent. Ceterum vos admonitos volo, ne cui lubido veniat in terram exscendendi, neq; invitantiibus Barbaris, ad eorum convivia adeundi.

Primus enim duntaxat gustatus stomachum vobis evertet: maletisque centies potius vestram famem, quam illorum fercula tolerare. Omitto reliqua: sufficerit scire, Insulam pane non velci: namque terra squallida, geluque exhausta ac præmortua, non tantum vitalis caloris habet, quo possit ullum frumenti genus producere. Igitur panis ex mari petitur, piscium omne genus fumo, aut Boreæ flatu, qui id locorum vehementissimus spirat, siccatis, ac postea in farinam pistis, quam aquâ subactam, in massulas formant, sub cinere coquendas. tam misero pane hic vivitur. De reliqua ipsorum penuria tametsi complura vobis folia recitarem, non plus vobis dixero, quam ex duobus Senecæ versibus intelligetis, de ultima Thule acceptis, quos ille de Insula Corsica scripserat eo tempore, quo ibi in exilio fuit.

*Non panis, non haustrus aquæ, non ultimus ignis.*

*Hic sola hæc duo sunt, Exul, & Exilium.*

An verò non putatis, in hisce hominibus, qui & à mundo exulant, & sui exilijs tam amantes sunt, ut respectu huius totum facile mundum aspernentur; bene eos repræsentari, qui in medijs etiam urbibus ex suo conclavi sibi Thulen faciunt? & velut ab humana natione relegati, non alibi quam secum soli habitant? vel quia genio sunt ferarum instar silvestrium & solivagarum ad solitudinem contempdato; vel quia otij desiderio, omittunt ijs sece virtutibus excolere, quæ ad honestè decen-

tér.

terque cum hominibus nobilitate , doctrina , prudentiae & rerum gestarum laude inclytis, conversandum perquam necessariae habentur. Igitur hoc de argumento breviter , & quoad fieri poterit, cum aliquo etiam emolumento differamus.

Non inscito joco Tiberius quoddam asparagorum genus , quod in Germania reperebat , descripsit , silvestre ac maligni saporis ; cæterum folijs & caule reliquo nihil ab Italicis distans : (A) hæc, ajebat , herba est , quam qui videt & non gustat , jurabit esse asparagum. Idipsum de quibusdam hominibus est , qui tantum habent , quantum opus est , ut esse videantur homines ; ita ut qui eos intuebitur , esse jurare possit : ubi verò periclitari eos volueris , alterius omnino diversæ speciei mortales esse deprehendes : adeò neq; sciunt , neque curant aut cupiunt agere , & multo minus familiaritatem inire cum alijs ; homines aucteri , umbratici , fugitantes , silvani , & medio in populo solitarij. Optimè de ijs dicere liceret , quod de quibusdam abietibus Plinius dixit ; (B) *Situs in excelsø montium , ceu maria fugebit* : Tanquam ea arbos haud ignara , se ad malos & antennas navium creatam esse , simul tempestatum metuens , idcirco ad summa montium juga commigrasset. Ita planè isti , cùm sciant , humanum genus naturæ ductu sociale esse & consortij appetens , tanquam convivere alijs & amicitiam colere non aliud esset,

esset, quām in tempestatem excurrere, sese oculis & alloquio subtrahunt, quām possunt longissimè: & quod poëta noster contrario prorsus sensu, suā ex mente scripsérat, id ipsi pessimo naturæ vitio factitant:

Horrida per nemorum, per celsa atque aspera montium {tem.

Me mea mens agitat dulcem captare quiete.  
Quidquid ab humano cultum vult umque labore

Accipit, est oculis inimicum & lugubre nostris.

Jam si Heraclitus, & post ipsum Aristoteles bene pronunciavit, hominem, qui sibi tantum vivat, aut plus aliquid homine esse, aut quid eodem deterius, (C) Deum scilicet, aut bestiam; quod ille re nulla extra se quaestū indigeat; ista suum duntaxat bonum diligat & inquirat; quodnam putatis istarum generum in hujusmodi homines convenire?

Neque his ad suæ excusationis tutelam illa Stoici ad Lucilium suum servire commonitio potest; (D) *fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum.* Iste enim ad eos evitandos cohortatur, qui flagitosi sunt; quorum etiam vicinitas potest vitiorum suorum scabiem affricare. Cùm enim interiùs tam corrupti sint, ut malitiosus scelerum humor, quo plenissimè scatent, illis usque in summam cutem ebulliat, non modo in dedecores pustulas efflorecit, sed in propinquos etiam pestiferum quid-

quidpiam , contagij in morem aspirat. Insuper illi cum philosophiae Stoicæ discipulo negotium erat , qui assuetus aut secum ipso prudenter ratiocinari speculando , aut super libris cum famosissimis scriptoribus communicare, audiendo illos & interrogando , rationes & dubia conferendo , nunquam minus , ut dicitur , solus erat , quam cum solus . Ubi hoc non fit , legatur reliquus illius epistolæ contextus ; in qua solitudinem ita traducit , ut eam non vereatur scholam appellare , in qua tibi non alio doctore , quam te ipso opus sit , quod omnes abominandorum scelerum formas condicas. unde qui illâ non novit quam optimè uti , huic illam posse majoris periculi causam esse , quam insanienti aut desperato , qui nunquam ad inferendam sibi necem magis sunt dispositi , quam cum soli.

Interim non negavero , conversationi , prout hoc nomen in amplissima significatione accipiunt , aptari cum veritate non posse , quod de concursu Seneca dixit , qui per eos annos ex omni terrarum parte ab hominibus usu , linguâ , moribus , consilio diversissimis Romanam fiebat , (E)Leva te , scribit è Corsica ad mæstissimam matrem , leva te cogitationibus paulo supra hæc infima altius , & intuere innumerabilem illam convenarum multitudinem , cui recipienda , & arctis modò contubernijs hospitaturæ , angustus est tam vastus murorum circuitus , & immensæ illius urbis tecta

recta ad paucitatem rediguntur. Nunc etiam sermones quoque ausculta. Ex tantâ lingua- rum diversitate advertes, eos majorem partem externos esse, Romam ab suis civitati- bus, provincijs, regnis, undique ex toto orbe & extremis eius finibus excitos. sed hem! quâm diversis finibus & causis? Alios sublimi per æthera volatu honorum ambitio, & di- gnitatum cupiditas adduxit: alios illuc ad publicum tribunal necessitas, quasi per ter- ram raptavit. Videbis, quos magni Reges, Senatus, Republicæ cum egregio famulitu comitatu super gravissimis negotijs suo Ro- manum nomine alegarunt. Videbis, quos sua illuc luxuria pellexit; quibus nihil in voto erat, nisi loci opportunitas, ubi vacare genio, & velut in amplio vitierum omnium mercatu prodigere opes simul ac bonam mentem pos- sent. fortè etiam aliquos numerabis, quos ra- trissimum illud scientiæ desiderium, eaque spes adduxit, fore, ut hic liberè possint homi- num doctissimorum confuetudine uti, audire clarissimos Oratores, Jurisperitos & Philoso- phos, quorum institutione ad disciplinarent istarum apicem ac magisteria conniterentur. Alius omhino illorum sensus est, qui theatra- lium spectaculorum voluptate accurrit, ut depugnantium truculentos spectent agones, luctantium robur, peregrinarum belluarum horribiles venatus aut certamina, effedorum cursus, & (quid denique luxus non invenit?)

nava-

navales etiam in continente conflictus. Quidam contrarijs prorsus studijs adveniunt, sui quoddam specimen daturi: cum nullibi Virtus vel apertius, vel dignius sui monstrandas theatrum inveniat? Vah! quid porro de ijs dicemus, qui eodem velut ad publicas nudinas concurrunt, hi quidem formam, alteri scientiam vendituri? Vulnus namque & lingua, cum placent, de earum mereium sunt genere, quæ liberum ubique transitum, & certum emptorem habent. Ad sumnam, quodnam dicemus artis aut conditionis genus esse, cuius homines Romam non petant. (F) *virtutibus & virtutis magna pretia ponentem?* Ita ille de suorum temporum cursu.

Id ipsum dici de amicis congressibus potest; scilicet haud minus diversas, quam frequenter oppositas causas esse, ob quas diversi in eandem coëcant societatem. Primo enim haud pauci non alterius agenda rei conveniunt, quam ut nihil agant: id inde emolumenti querentes, ut eis velut pro incantamento quopiam serviat; ad eum ferè modum, quo frequenter Equestrium fabularum narratores memorant, quodam magicâ arte ab uno loco ad alterum è longinquò fuisse deportatos, quia uspiam in regionibus medijs constitissent; ita isti voluptate novorum rumusculationum abrepti, volunt à primo mane usque ad cœnam ita tempus exigere, ut nūquam inter-

cur-

currentium horarum sensum percep̄tint.  
 Alij exadversum accedunt, non audiendi animo, sed ut audiantur: utpote tam acri labiorum pr̄irigine stimulante, ut nisi continenter eadem inter se confricent, tolerando dolori se potent esse pares non posse. sive sic quod loquantur, sive non, loqui tamen perinde volunt: ●

Ceu cùm vix teneram movere linguam  
 Infans incipit, & ligata velle in  
 Vocem solvere blasphemam labella:  
 Quanquam dicere, quid velit, labore  
 Vano nititur, atque se fatigat  
 Incassum, tamen hoc labore frangi  
 Mavult, quam tacitam pati quietem;  
 Et conando nihil, nihil videri  
 Adhuc dicere posse velle. nempe  
 Tam nobis gravis est labor tacendi.

Putes, eorum linguam de ventorum genere  
 esse; qui dum non moventur, emoriuntur:  
 unde quantopere eam sibi debent conservare  
 vivam, tantudem laborant habere irrequietam: cuius rei causas & effectus supra ad  
 Nili casum adduximus. Sunt etiam qui colloquendi copiam medicinæ loco usurpant: aliter enim laboribus suis sive mentis, sive manuum perpetuo affixi, verentur, ne aquarum instar, quæ ubi paludis in morem consistunt, putere incipiunt, forte putrefiant, nisi identem cogitationes suas exhalare; & pectus ab nigerrimâ crux, quâ id melancholicus fanguis

guis obvolvit, confabulando expedire queant. Ita planè de canibus scripsit Venator Xenophon, (G) eos hac ratione sanos vegetosque haberi, si quot diebus à catena in libertatem missi, sinantur se cursu, jocis, saltibus exercere. Per pauci sunt eorum, & vix unum reprias, qui alloquij usum non aliter, quam, uti laudatissimus ille Græcus solebat, venationis laborem appetant, in quā possint novum sibi anicum capere: & beatus erit, qui cum illo Juvene apud Menandrum poëtam poterit ex vero dicere, (H) se saltem umbram boni amici indeptum esse.

Igitur omissio illo inhonesto, rustico, turbido, & nauseabili conversandi genere, ad alterum urbanum orationem accingo, quod solum eos decet, qui se ab animi nobilitate, & morum elegantia jactant. Neque tamen eos propterea quæro in senatu septem Sapientum concludere, qui subtilitate inventionum, & motis de rebus altissimis ac difficillimis questionibus, allegandis testibus, atque omnem periodum gravissimis sententijs terminantes, potius in scholasticum certamen, quam sermocinationem conveniebant. sed tales volo, quales plerique sunt, neque noctuas, neque aquilas, sed medij generis homines; cuiusmodi Peripateticus (I) jubebat rationes populares esse, neque nimis sublimes, ut frustra sit velle concordare, sive spe perveniendi sublatâ, sive labore vires superaturo; neque e. contra

contra tam humiles, ut plano pede obtenerantur: sed tali altitudinis mediocritate, ut nec auditus ab intelligentia, nec intelligentia ab doctrinâ, nec doctrina à voluptate sciuncta sint, sed se mutuo facilè consequantur; quod alijs verbis explicando idipsum est, ac ita navigare, ut remo uno terram, altero mare sulcemos. Ad tale sermocinationis genus ab Thule solitarios evoco; imò prolio; & ecce, qualium bonorum ostentatione!

Primò quidem, ut ea ipsa solitudo illis tantò postea evadat sapidior, quantò magis fuerit post aliquam abjunctionem desiderata; & jam quasi novior, dum ab contrario ad illam postliminio reditur. (K) *Miscenda ista*, prudenterissimè Stoicus manet, & alternanda sunt, *Solitudo & Frequentia*: illa nobis faciat hominum desiderium, hæc nostri: & erit altera alterius remedium. Ita de Plinio seniore, ( qui fortè ultra omnes, quotquot unquam mundus litteratos habuit, studiorum amantissimus fuit ) nepos ipsius Plinius junior refert, hunc ei invariabilem morem fuisse, ut sumpto moderatissimo prandio, modicam etiam somni sorbitiunculam adjungeret. quem ubi brevi excusserat, velut ei in meridie nova lux esset suborta, vividum animo vegetumque ad libros atque stilum se contulisse: & sicut labor, sub quo matutini temporis horas complures durârat, modicam illam pausat ipsi suaviorem faciebat, ita ista ipsi appetentiam & gustum laborandi acutabat;

bat; (L) & quasi altero die, studebat ad cenæ tempus. Igitur nemo vobis eam legē jubebit, ut, cum facie ecclypsatâ prodeatis; vel ut poëta cecinat,

(M) *Fronte obductâ, ceu Marsya victus:*

Neque ut cum antiquis Ægyptijs, mortualem calvam super convivali mensa repositam habeatis, velut condimentum, aut potius antidotum supervacuæ hilaritatis. An pauci illius recordamini, in quod Aristides Philosophus, cognomento Justus, & Themistocles Imp. convenere? duo utique omnium, quos Athenarum urbs & Græcia tota, in utroque litterarum & armorum studio unquam habuit, præcellentium facile principes. Et hi quidem in causa Reip. inter se professi hostes, nihilominus, cum ab Senatu Atheniensi, necio quorsum, pro bono communis simul in legatione ire iussi essent, ubi ad loci confinia pervenire; (N) hic quidem, Aristides ait, onus mutuarum offendionum, æmulationis, atque odij, quibus haetenus onerati venimus, deponamus licet; quin una & memoriam abijciamus: posteaquam omnia, quorum causâ missi sumus, ex sententiâ expedita habuerimus, atque hac reversi transiverimus, recipiemus, si voles, priores discordias; & uti ante, pergemus inter nos adversarij esse. Ita omnino vos, si quando de finibus vestræ solidinis ad honestos conventus prodibitis, vobis cum ipsis pacisci debebitis, & dicere: heus vos, o cogitationes tristes, genius exoticus,

Q

mores

mores austeri, oculi truces, acerbus sermo,  
importuna taciturnitas, & quidquid asperum  
& agreste intus est; hic vos in limine subsistere  
jubeo, atque præstolari, donec vos denuo in  
domum mecum intrò admisero.

Post hoc advertite, quantam vobis utilita-  
tem afferat illa tam pulchra, in quam vos con-  
iicitis, necessitas adsciscendæ vobis comitatis,  
elegantiæ, affabilitatis, & quæ cæterarum  
compendium est, humanitatis: hæc enim do-  
cet, quomodo, & ubi loqui conveniat; & non  
inter homines Crocodoli instar versari, qui  
in rictu, duos palmos amplo, ne unius digiti  
magnitudine linguam habet: ne ubi in circu-  
lum litteratorum, vel sapientum incideritis,  
obstupefacti, ac propemodum animo confusi,  
ita adsistatis, ut ex vestri conspectu Dantes  
Poëta comparationis suæ recordetur, cùmque  
vobis in faciem occinat;

Riphæis veluti scandens è montibus hirtus  
Incola silvarum, duro de robore natus,  
Urbis ubi aspectum cœpit, plateásque ni-  
tentes,

Atque Palatinos oculis lustrare penates,  
Tecta superba Ducum, & pompam, & cir-  
cumflua magnis

Agmina servorum Dominis; urbanaque  
quantum  
Officia antistent crudis mapalibus; & quod  
Distet capripedum generi Mens culta; quid  
inter

Sit

Sit mores hominum, pecudumque: quid illa figuret

Majestas humani oris, sublimè videntis :

Cur alij sensus homini: quid lingua, sonusq;

Flexilis in varias tanto discriminè voces:

Denique quid sit amor, socialia fædera jun-  
gens ;

( Conjugij species, quo inter se nubere  
mentes,

Alloquiisque solent dulces transfundere  
sensus )

Tum stupet; & rigidâ, quâ prodijt, ilice  
primum

Se capit ipse minùs: nec ubi, nec quomodo,  
nec quid,

Dicere jam possit. tulit admiratio mentem,  
Et vocem pariter.

Meritis sanè laudibus antiquitas inter pi-  
cturæ parentes Polignotum extulit, (O) quod  
primus figuris os adaperire instituisset, quas  
ante eam ætatem pressis labijs pingere erant  
soliti, tanquam fætenti ore essent, aut animâ  
etiam pestiferum aliquid afflaturâ. Hic eis la-  
bia, cum tali gratiâ reclusit, velut si colloque-  
rentur: ut prope non minorem laudem retu-  
lerit, quam si eas penitus etiam animâ dona-  
set: quoniam picturam, quæ prius tantummo-  
do argumentum oculorum erat, etiam auri-  
bus aptaverat, tam ameno penicilli menda-  
cio, ut putaretur intelligi posse, quid consilio-  
rum illæ statuæ in silentio conferrent. Idipsum

yobis conversatio præstabit; dum os aperiendo efficiet, ut, qui priùs tacentes videri mortua hominis imago poteratis, ( nam functionum maximè proprium est silentium ) nunc videamini non modò vivere, sed inter ipsos viventes ita vivere, ut si bene laudabiliterque sermocinari condicieritis, alij omnes attenti silentesque, tanquam si ipsi essent mortui, mirâ cum voluptate vos audiant, & fortè præquam optimam musicam, uberiore.

Itaque res ista tanti momenti est, ut, qui suo loco ac tempore prudenter conferre sermonem novit, quantumvis eum cætera decora destituant, quibus alij præclarum sui pretium obtinuerunt, hoc tamen solo omnibus charus sit, neque uspiam honoratorum hominum conventus, qui illum non perlibenter recipiat, imò ut plus dicam, de eius conforrio sibi non magnopere gratuletur. Respicite Piccam, admonebat Plinius auditores suos, ex avibus ferme pauperrimam, pessimèque vestitam. Lacernulâ nigrâ vix dorsum atque humeros tecta, miserum pectus albulo centonе præcingit, neque unquam per inopiae magnitudinem mutabili: hic totus eius vestitus est. Aliæ volucrum quam multæ versicoloribus percomptæ plumis, ultra Babyloniorum luxuriam superbiunt, velut equites ad Trojanas decuriones expoliti? tantus ibi plumarum nitor, caudarum cristarumque fastus, & tot aliarum phalerarum thesaurus, tam rara

râ elegantia & vivacitate expictarum, ut contritis in pulverem unionibus tinctæ possint videri, nisi tum copia, tum colorum festivissima amænitas cum varietate, naturam defecisset: quin adeò neque Phrygum aut Serum officinæ aliquid tam floridum splendidumque donare telis suis potuerunt, ut vel una aviculæ permuteare cum illis nitorem suum vellet. Hoc tamen non obstante, ait Plinius, frontalium & inaurium luxu, triumphat, mehercules, Pica. Egeat sanè prædiviti illo vestimentorum ornatu; venustissimo ludentis, & arti illudentis naturæ ingenio; totam hanc inopiam linguae habilitate compensat, paucula aliqua verba nostri sermonis recantans; (*P*) *Satis illi decoris in specie humani sermonis est.* Ita prorsus illi contingit, qui in honestorum virorum societatem delatus, ubi in sermonem nobile quoddam argumentum venit, ad quod bene tractandum aut prompto ingenio sit opus, aut expolito judicio, aut felici memoria, hisce animi opibus demonstrat se egregiè abundare; & tantum potest dicere, quantum forte nemō illorum, qui ab eleganti vestitu, & plumarum pompâ sibi plausum querunt. Idolum monendus mihi est, ut, si quæ illum sinistra fors in quempiam neque studiosum, neque civilem cætum detulerit, sive aliorum famæ, sive honestatis legibus inimicum, non vegetatur, ubi opus sit, Spartanorum morem renovare, apud quos in solennibus convivijs is,

Q;

qui

qui ætate inter cæteros maximè erat provectâ, ab ipso triclinij limine altâ voce accubituros admonebat, ne qua vox, per eam convivij hilaritatem liberiùs missa, ostio illo elabi sineretur: sed ibi nata, ibidem commortua, intra eosdem parietes sepeliretur: in tali, inquam, loco, egregius ille & facundus homo, quem modò vobis descripsi, velut si in turram luporum incidisset, momento vocem amittat: aut si quid ei adhuc restabit, illud non plus esse velit, quam ut dicat, quod olim fortè in simili casu Isocrates: (*Q*) id, de quo h̄i sermocinantur, ego ignoro; & quod ego scio, de eo hic nullus sermo est.

Quia verò materia colloquiorum, quæ inter viros ad honestatem excultos intercedunt, infinitam varietatem habet, & prout casus feret, nunc de longinquis regionibus, nunc de occasu & successione Regnorum sermo erit, jām de famosioribus bellis & victorijs, de diversis ac peregrinis nationum moribus cùm veteris mundi, tum novi; & de multiformi gubernandi ratione ac regula; aut quandoque necesse erit, de aliorum scriptis ferre judicium, & quæ cuiusque historiorum, Oratorum, ac Poëtarum virtutes sint aut vitia, argutè notare posse; ecce (siquidem vobis tanta honoris vestri, quanta decet, est ratio) novam & desiderabilem necessitatem, quâ vos iste conversationis usus obstringit, vosmetipos convenienti scientiæ ubertate instru-

influendi : id enim profectò neque à solo ingenio, neque ab incano capite, sed à diligentí studio subministratur. Uti autem animum non perdatis , dabo vobis ex acutissimâ Plutarchi mente talem eius rei mensuram , ut ea non possit vobis ( quantum ego quidem mihi de vobis promitto) non videri quàm maximè rationabilis futura.

Peregrinatur qui piam , ait ille , ( R ) cum tempore in patriam reditus : interim ubi navigat vicinus alicui litori , aspirantibus secundùm Favonijs , summam voluptatem haurit , dum ad latus navigij inclinatus prospexit , simul pedibus in mari stans , & volitantes oculis terræ viciniam percursans ; quæ ipsi novam semper succendentium ex ordine locorum scenam aperit , sifus , & promontoria , portus & fretorum recessus , fluminum ostia , & collum theatra , eminentibus desuper arcibus , & palatiorum delicijs amæna ; nec non urbes , oppida , & castella , pulcherrimo aspectu circumscita. Si quà verò oculis non appellit , auribus pertingit ; exquirens de ijs , quæ videt ; & etiam non visa intelligens , geminam sibi cumulat oblectationem : poteritque deinceps , ubi fors tulerit , de his rebus cùm ex oculorum propriâ fide , tum ex auditu loqui , non modico utique existimationis suæ incremento. Non descendit ille quidem idcirco in terram ; multò minus ad loca singula vel domos ; sed aspicit , & transit :

cogitationem, quoisque expedit, occurrentibus rebus accommodat; animo autem jam in patria & domi est, ubi bona omnia sua sita habet: ibi ut primùm navis portum tenuit, exscendit ipse, & optatā parat statione frui. Non aliud in modum, ait ille, cum tot liberalibus disciplinis, quarum infinita copia est, agendum esse: uni ex professo operam dandam: eamque vult esse naturalem, moralem, & civilem sapientiam. in hâc putet repositam sibi patriam, vitam, omniāque bona esse: per reliquas cursim modò expacietur oculus, prout quævis digna erit, cui longius breviūs ve immoremini: in summâ, neutquam illas eatenus ignorare decet, ut obmutescere cogamini, cùm de ijs sermo inciderit: aut, quod extremæ rusticitatis foret, ignorantiam vestram doctorum contemptu & probris audeatis velle defendere: & non solum illam supra omnes scientias liberales alias, sed eam solam dilaudare, in qua aliquod eruditiois nomen consecuti estis: renovantes in hoc facto decorum illum jocum Gelonis, Syracusarum tyranni. (s) cum enim in solenni epulo pro more per accumbentium manus cythara circumiret, quod omnes communem promovere hilaritatem amæno aliquo cantu studerent, barbarus, ubi ad ipsum cythara pervenit, eam humo allisit, suūmque adduci equum jussit: in eum insiluit, ac velut in prælio versaretur, omnem bellantis formam convi-

convivatoribus exhibuit. quod quid erat aliud , quām significare , se solum virum esse ; ceteros omnes ad colum atque cytharam pertinere ? neque animadvertebat , quid in tali loco atque tempore conveniret : & non minus ineptum esse , militarem equum in convivium introducere , quām cytharam vel le in acie pulsare .

Sinite nūnc , ut ostendam , qua ratione tantum scientiæ comparare vobis possitis , ut in quoconque honestissimo cætu comparere , quoad necesse fuerit , laudabiliter possitis. ecce igitur , novum & ingens emolumentum , quod ab conversando accipitis. Nempe ut vos non minus ad dicendum exerceatis , quām ad contradicendum : eâ tamen gratiâ & dexteritate , ut illa oppositio non generet animorum disjunctionem ; & ab calore ingenij non accendatur scintilla aliqua indignationis. Ita præcipiunt leges amœnæ moratæque conversationis : quarum prior permittit discripan-  
tiam illam , quæ in auditoribus non minus ob-  
lectionem auget , quām cùm facultas datur ,  
in arena dexteritatem & robur duorum lu-  
ctatorum spectare , fixè in gradu consistenti-  
um , & pari promptitudine adversarj nexus  
eludentium. altera verò inurbanitatem pun-  
gendi feriendiq; repudiat , quâ vel erubescere  
cogas adversarium , vel irasci ; quod sanè gla-  
diatoriam sapit ; artem utique propugnansam.  
Neque exigua laus est in contradicendo ita



scire

scire orationis acrimoniam attemperare , ut dulcedini nihil officias : quin imò ita scitè utramque inter se commiscere , ut mixtum illud evadat sapidius , quàm meracum. Verùm de hac re fusior erit nobis differendi locus , ubi sub angustias freti Magellanici intraverimus. Hic illud solum volo meminisse , quo rūndam ingenia tam immodi fervoris esse , ut ubi tangunt , pungant; juniperi instar , cui (*T*) *spina pro folio est.* eos proinde longè tenendos videri , & in suis solitudinibus relinquendos : quoniam etiam de hominibus accipi oportet , quod de animalibus Aristoteles definivit ; (*V*) *NVLLVM ANIMAL, CVI VNGVES ADVNCI, GREGALE ESSE.*

Jam verò ubi unquam Symphonia , ex altis , & profundis , mediisque vocibus tam aptè contemperata fuit , fidium omnium sonis , in maximâ licet varietate , maximam tamen proportionum , quibus omnis harmonia unicè gignitur & constat , unionem conservantibus , ut eiusmodi voluptatem redderet , quæ vel eminus comparari possit cum illâ , quæ in multorum congregatiōne existit , proprijs quidem affectionibus , virtutibus , scientijs inter se differentium , communibus tamen studijs in unum quid compaginatis , non aliter , quàm pulcherrimus Universi huius ordo ex diversissimarum naturarum varietate coaluit ? (*X*) *Tota enim huius mundi CONCORDIA ex DISCORDANTIBVS constat , aiebat Stoicus : & ego alibi fusè*

fusè de hoc argumento differui. Vide, inquit Rom. Orator, (1) inclytos illos sculptoriæ & fusoriæ artis magistros, Mironem, Polycleum. Lysippum, Phidiam, & sexcentos alios; *omnes inter se dissimiles fuerunt; sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem.* Id ipsum videre erit in eiusmodi selectissimorum hominum conventu: diversæ animorum propensiones, nec ingenia unius modi; sed singuli ex se undique tam elaborati, ut pessimè consuleret, qui, quæ similiores inter se faceret, omnes cuperet ad unius normam effectos. *Quod quām gratio-*  
*sē expresserit Maximus Tyrius, cūm de anti-*  
*quis philosophis, ipse quoque eorum unus*  
*sermonem haberet, quælo advertite.* (2) Po-  
 teratne fingi aut magis esse diversus fortunæ tenor, vitæ stilus, morum ratio, sapientiæ in-  
 stitutio, quām in Heraclito, Democrito, Py-  
 thagora, Socrate, divino illo Platone, Aristotele,  
 Chrysippo, Aristippo, Diogene, Xenophonte, cæterisque eorum similibus licuit de-  
 prehendere? Intueri in ipsorum vitas, & ex  
 libris suis eos loquentes audire, aliud non est,  
 quām gravissimæ laudatissimæque comædiæ assidere; varijs quidem personis distinctæ, sed  
 omnibus in repræsentandâ sua parte tam ex-  
 cellentibus, ut non majori oblationi fuerit  
 audire regem aliquem Agamemnonem, quām  
 caprarium aut bubulcum; armatum quem-  
 piam Achillem, quām mansuetum Telephum  
 pastoritio habitu incedentem. quibus dictis  
 exclam.

*exclamat; O beatos Histriones! & beatos auditio-  
num eorum spectatores!*

Verum aut nulla oblectationis, aut certè non major, quām levis additamenti ratio habetur, quando mihi de sola utilitate constitutum erat pauca aliqua sermocinari; utique tandem ad propositum abunde. Unum ex malis, aut certè periculis, quæ solitarios nunquam non comitantur, est; neque judicem habere, neque spectatorem humanum oculum, cuius præsentia ipsis pro fræno sit contumacium suarum passionum: quæ plerunq; pluris faciunt tormentum verecundia, quām imperium rationis. Unde laudatissimum fuit consilium Senecæ, quod Lucilio suo misit, ne unquam solus esset, etiam cùm solus; sed animo sibi coram, imò intra se intimè, ac in ipso mentis & affectuum meditullio statueret virum aliquem, insignem gravitate, ante quem neque animus, neque corpus audeat extra decori leges excedere. (Aa) Prodest fine dubio, inquit ille, *custodem sibi imposuisse, & habere, quens respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices: & ad hoc ipsi Catonem, aut Lælium, aut Scipionem, similēm ve alium assignat, cuius intervenitu perditi quoque homines vicia supprimerent.* Nam si ij, quorum domesticā consuetudine uteris, cā quā par est, Integritate sunt & innocentia (neque unquam facile continget, ut quem inter multos amplior virtus commendat, non pariter major respectus consequatur) cedò, an non

non toties te refingis, & cùm in animo, tum  
in ijs, quæ foris apparent, in sermone, incessu,  
gestu melius componis, quoties in eius con-  
spectum procedis?

Accedit, quòd, sicut hominum corpora  
quantumvis examissim formata sint, singuli  
tamen partem sui aliquam habent præ alte-  
ris magis exactam, & ab naturæ singulari stu-  
dio elaboratam, hic quidem capit is orbem,  
ille aspectus amænitatem, aut frontem, aut  
oculos, aut os vel manus, aut totam habitu-  
dinem personæ: ita similiter in animis (sive id  
naturæ beneficium sit, sive virtutis meritum  
& profectus) una quæpiam singularis dos e-  
micare solet, quæ spectantium in se oculos  
advertisat. ubi id prudenter adverteris, in quo  
quisque præcipuam commendationem ferat,  
non sine laudabili æmulationis, quin & victo-  
riæ studio, quoties ad talem conventum te  
conferes, toties velut in pictoriam Academi-  
am intrabis, ex unoquoque eorum id effor-  
matus, quod in se optimum ille habet; &  
totum id tibi velut proprium facturus, ex illo  
quidem gravitatem, minimè odiosam aut mo-  
lestam; ex alio talem modestiam, quæ solo  
sui aspectu pro epistolâ commendatitia valet  
ad promerendum omnium amorem illi, qui  
eam constanter nōrit præseferre; ab hisce per-  
petuum quendam affectuum suorum, etiam  
in improvisis casibus, dominatum; ab alijs  
benignitatem, quæ omnium sibi corda devia-  
cire,

cire, & in servitutem mancipare solet; uti etiā oris tam severam custodiam, ut ne verbum tibi de quopiam, quantumcunque remoto, elabi patiāre, quod ille posset prælens molestè accipere: & sic de alijs magis conspicuis virtutibus, quas in conversatione semper ad manum, & sub oculos venire necesse est. Et ut idipsum sub aliâ forma, neque minus verâ efferamus, hoc est laudatissimum illum veterum Romanorum morem postliminio restaurare, quibus inter solennes epulas celebratissima Majorum suorum gesta, & glorioſas in omni virtutis genere memorias, ad tibiam recantare consuetum fuerat, destinatis ad hoc factitandum Seniorum gravissimis; ut ea res non tam oblectationis, quam institutionis speciem haberet, unde ipsorum juvenes frequenter meliores redirent, quam si pomposam ab Xenocrate orationem ex cathedra audivissent. quare habuit sanè Historicus, (Bb) cur diceret, quas Athenas, quam scholam, que alienigena studia huic domesticæ discipline pretulerim? In de oriebantur Camilli, Scipiones, Fabritii, Marcelli, Fabii. Tant undem & voluptatis haurire licet ex conversatione, quam jure queas cum Musica æquiparare; & utilitatis, quatenus non res longè & locis, & temporibus isthinc sitas, audire necesse est, sed vivas, & ante oculos positas cernere licet; & quod in quovis præsentium maximè videbitur laude & imitatione dignum, feligere.

Quod

Quod si acciderit in aliquorum errores incurere , ut linguae lapsus , aut gestum in bene morato minus condecentem ; docebit vos Plato , quâ ratione , quod in alijs malum fuerit , confessim possitis in vestrum bonum convertere . (Cc) Solebat prudentissimus ille vir , quoties in eorum , quibuscum seu de industria , seu fortuitâ ageret , moribus fædum aliquid notasset , in seipsum animo se recolligere , & judicis instar ab seipso exquirere ; ecquid non & te eadem abominabilis vitij labes conspurcat ? Quod si ita erat , deinceps omni studio in id incumbebat , ut ab eo se custodiret . Et , si modò verum fateri lubet , quoties continget , ut , si inquirere volumus , id quod Stoicus dixit , deprehendamus ? (Dd) fortasse vi- tium , de quo quereris , si te diligenter excusseris , in situ invenies .

A. Plin. l. 19. c. 8. B. l. 10. c. 16. C. Stob. serm. 28.

D. Sen. ep. 10. E. Consolat. ad Helvid c. 6. F. ibid.

G. Cyneget. c. 12. H. Plut. de pluralit. amic. I. Rhet.

I. 3. c. 13. K. Sen. de transq. an. c. 1. L. l. 3 ep. 5. Macro.

M. Iuven. Sat. 9. N. Plut. in apopht. O. Plin. l. 35. c. 9.

P. lib. 10. c. 42. Q. Plut. quæst. conviv. l. 1. q. 1. R.

de instit. filior. S. Plut. in apopht. T. Plin. l. 16. c. 24.

V. Hist. anim. l. 1. c. 1. X. Sen. nat. quæst. l. 4. c. 27.

Y. lib. 3. de Orat. Z. Serm. 7. Aa. Ep. 15. Bb. Val.

Max. l. 2. c. 1. Cc. Plut. de utilit. ex inim. cap.

Dd. Sen. l. 7. de benef. c. 28.

## XII.

P R O M O N T O R I U M  
B O N Æ S P E I.

M A L U M Q U I P R A E V I D I T , E X D I-  
M I D I O S V P E R A V I T ; Q V I N O N P R A E-  
V I D I T , E X D I M I D I O S V P E-  
R A T V S E S T .

Auditisne horribiles illos mugitus, illos fremitus, illos cœi mille fulminum è nubibus excusorum continuatos fragores, & in unum confusos, non minore tumultu, quam si mundus corruere, & in frusta dissilire occiperet? Scitote, si hoc nondum ruentis cœli simulacrum est, certè confligentis secum ipsâ naturæ duellum esse, cum tribus elementorum suorum in aciem progressæ; quorum quodvis contra duo depræliatur; aër, aqua & terra; venti, mare, scopuli. dimicatio est hæc ipsâ tempestas, quam conspiciunt: & si vobis eam contueri oculis placet, huc adeste mecum; & manibus pedibusque (quod solum hic nobis licet) residuum viæ perreptando, in apicem huius rupis evadite; unde, ecce, feroçissimæ tempestatis universam faciem sub oculis defurentem. Et non putatis, æs illud triplex, quod Poëta illi circa pectus fuisse dixit, qui primus super fragili ligno ausus fuit ventorum furijs vitam suam concredere, etiam hic adhiberi oportere, ne quis animo considerat, ubi vel eminus & ex seculo despicerit?

Cate-

Caterūm quid hīc gentium mare adē ultra,  
quām alibi aut solet, aut potest insaniat, loci  
conditio facit, in quo sumus. Amplissima  
peninsula, quae est ipsa tota Africa, ab nostro  
Mediterraneo protensa, dum transversim pēr  
ardentem Zonam non minus trigintā qua-  
tuor gradibus & semisse, versus Polum An-  
tarcticum excurrit; ingens terrarum spatiū  
ad bis mille ducentas leucas emensas in istum  
denique apicem, pyramidis specie effunditur.

Antē tamen quām eius verum nomen vo-  
bis aperiam, recordari vos volo, veteres Ro-  
manos frequenter rebus nomina imponere  
solitāsse, prorsus ab eo, quod illæ merebantur,  
aliena; haud sanè improbabili exemplo, ita  
*Satyricus:* (A)

*Nanum cuiusdam, Atlanta vocamus;*  
*Aethiopem, Cygnum; parvam extortāmque puellam,*  
*Europen; canibus pigris, scabieque vetustā*  
*Læbus, & sicce lambentibus ora lucernæ,*  
*Nomen erit Pardus, Tigris, Leo, si quid adbuc est,*  
*Quod fremat in terris violentius.*

Ita & hic accidit; rē ac nomine sibi pugnan-  
tibus. Primus, qui his ultimis saculis ad no-  
vas Indias vestigandas usque huc progressus  
fuerat, Bartholomaeus Diaz fuit. Hic anno  
1478. loci mores periclitatus, yetissimo no-  
mine Promontorium Temapeituum dixit:  
cumque reditu in Lusitaniam iterato, Ioan-  
ni II. Regi, cuius auspicijs ea navigatio ador-  
nata fuerat, rationem itineris expoluisset; ne-

R

qua-

quaquam , ajebat Rex ; sed in oppositum pe-  
trus, *Caput Bonæ Spei* appelletur. ex eo tempore  
hæc nomenclatio in omnibus Africæ mappis,  
loco constitit : in secreto tamen Naviculari-  
rum Vocabulario, quibus ferè non sine capitis  
impedio contingit Capitis istius indolem ex-  
periri , nomen formidabilis Leonis obvenit :  
nec immeritò ; quòd & facillimè , & implie-  
bilter exardefcat. Et si Græcus ille Lycophron  
Bæotios jocando Cancros marinos vocavit ,  
quòd perpetuo navigandi usu ad solem, plu-  
vias , & omne cæli tormentum expositi, toto  
corpore pæne ad testaceum rigorem indura-  
rentur; nescio quā insensibili rhaterie ijs nau-  
tis incrustata pectora constent , qui non ve-  
rentur, se intra vastissimum os, & validissima  
brachia huius formidabilis Leonis immittere ,  
qui tot classes intercepit , coñinuit, abliguit.

Duo interminabiles Oceani, qui per utrum-  
que Africæ latus huc descendunt, in Capitis  
huius vertice in se mutuò incurruunt, eo  
petu ac furore, quem nunc oculis usurpati.  
Alpes pelagias dixeris, & Appenninos aquæ  
inter se hinc inde collidi : unde tempestas  
ista , ita extra omnem formam modumque  
fieva , ut nulla ars nec regula vel timoni mo-  
derando , vel obliquandis lateribus, ad fran-  
gendum aut eludendum impetum fer-  
mat procellæ possit sufficere. Adhuc  
altitudo omnem menfuram superans, &  
pe fundo carens, vix aliud præter terribilium

non-

monstrorum formas alit, vicinæ utique tempestatis nuntias, quando sublatis capitibus per ingentes siphones, torrentes quosdam undarum in auras egurgitant; tanto subinde etiam numero formidandæ, ut scribant, qui videre, quām longè oculi pertingere acies valeat, nihil eo toto ambitu, nisi immania tam deformium belluarum spectra conspici potuisse. Terra quidem præter scopulos & inaccessæ altitudinis rupes nihil habet; haud aliter, quām si humana ars & plumbi regula accessisset, in mare præruptas: unde insanus hic undarum fragor existit, quo obsurdescimus, continuo fluctu ad illarum latera se collidentium. Juxta has cautes rapidissimus torrens rectâ in Africum erumpit: cui si quando mare ex adverso incumbit, tum ille ceu in furiæ actus, & contrâ eluctatus, geminat tempestatis tumultum: tantumque æstum ciet, & in rapidissimos vortices mare convolvit, ut singuli eorum pro charybdi sint, ac pares quantæcumque maximarum navium, deorsum trahendæ. Denique infinitus iste Oceanus, hinc nescio quousque versus Antarcticum effusus, quid aliud nisi campus est, ventorum prælijs apertus? quibus quò major libertas est, totas hic vires explicandi, nullo obstaculo aut arctante impetum, aut frangente; eò perniciosior vis est ad totum æquor susque deque vertendum.

Putatis nunc, satis ab me dictum esse in

R. 2

con-

confirmationem eius , quod proposuerat , quām meritò isthoc Africæ Caput nomen tempestuosi , & formabilis Leonis sortitum fuerit ? Igitur id nunc accipite , quām bene illi alterum quoque Bonæ Spes conveniat . Et sanè bonam spem ijs præbet , qui se rite præparant ad illud superandum . ij autem se ad hoc rite præparant , qui mature périculi providentes , tempus captant ac flexum , quo id circumire oportet . Et quod ad primum , de eo etiam in Europa cogitatur , dñm adhuc navis ad Indicum iter destinata , in portu stat , & sub anchoris ; dum reficitur , instauratur , omnique nautico instrumento ad quamcunque sustinendam terribilissimi huius Promontorij tempestatem obarmatur . Neque illa malacitæ spes , quæ nonnunquam contingit , mariquato , & in amænissimi lacus similitudinem complanato , gubernatoribus curam minuit ; ad omnes possibiles occurfus se quām optimè emuniendi : neque unquam eiusmodi navis vectori committitur , qui non bis atque sæpius ab extremo Oriente reversus , faciem rerum pernoverit , iras , virésque furiosi illius Oceani periclitatus .

Ubi ergo jam omni Africæ orâ occidentali prosperè enavigatâ , ad hoc Caput acceſſerint propiùs , (quantum quidem instrumentorum artisque usu licet coniçere ) tum verò armari navis , & quidquid uspiam præsidij potest , sive contra ventorum immanitatem , sive contra maris

maris agitati furias, ad defensionem deponi.  
Et primò quidem largus in flexum ambitus  
capitur, quippe ubi præcipiti salo, in arctum  
se compelli versus terram permiserint, exitio  
se nōrint inevitabili devotos. Tum balistas  
militares catenis exemptas, ad carinæ cen-  
trum demittunt; idcirco etiam, quod faburræ  
in modum, fundandæ navi, & in æquilibrio  
sustinendæ serviant, ne procellarum vi ven-  
torumque impetu evertatur. At vix prima  
auræ turbamenta se produnt, cum vectores,  
quorum numerus frequenter ad mille & am-  
plius excurrit, confestim ceu signo dato, sub  
tabulatum intra navigij alvum se abscondunt,  
solâ nautarum turbâ ad necessaria eius  
temporis officia aut imperia in aperto foro re-  
manentibus. Resarciri interim rudentes; &  
tum mali, tum antennæ duplicatis funibus  
obfirmari: jam & alter temo, ubi primus exci-  
dat, vel rumpatur; & altera vela cum anchora-  
rijs funibus; & optimæ secures expediri,  
subitaria navis fragmenta, aut ipsas etiam ar-  
bores, ubi opus foret, celeriter amputaturæ.  
Ipsas adeo balistarum fenestræ mira sedulita-  
te oppicare metus suadet: neque segnius alia  
tabulati spiracula stuprâ offerciunt; ne qua-  
undis transitus pateat, mox ab omni parte ceu  
diluvio se superfusuris; tam quidem furen-  
ter, ut haud dubiè nautas, nisi solidis funibus  
ad suum quisque ministerium forent alligati,  
eodem, quo leipsas impetu, in altum aufer-  
R ; rent.

rent. Tantum' necesse est operæ adhibere, quò Caput istud tempestuosum incipiat Bonam Spem illis afferre, qui id superâre voluerint. Sectus, qui id periculi aut non providet, aut non curat, nec ad illud evadendum de necessarijs rebus prospicit, ubi tempesta supervenerit, frustra sibi vel à serâ pænitentiâ, vel desperato clamore, & inutili ploratu auxilium promittat. Nunc autem in pelago vitæ humanæ, quam fatui mortales putant totam in arbitrio fortunæ esse, eiùsque nutu fursum deorsum ferri; putabimus fortè, nulla nobis unquā adversa occursura? aut posse sibi quempiam Deos tam faventes promittere, ut ventos jugiter, velut ad imperium à puppi spirantes, cælum desuper blandè arridens, & infra pedes malaciam, nullo repentinae periculi fluctu alterabilem, sit habiturus? Nequaquam, mehercle, quamdiu mundus, & rerum terrena- rum ordo non alio ire gradu incipiet, quam quo jam per Octo & sexaginta sæcula incessit. Egitur non agit, ut humanæ conditionis memorem oportet; qui earum rerum, quæ repente evenire possunt, bellè securus, in mala- ciâ non se præparat, illæque salutaribus instruit doctrinis, quas nisi in tempestate insperata casuum promptè ad instantum habeat, misere sibi noverit percundum esse; & tunc pænitendum, quando pænitentia nihil prodeat.

Et hæc est illa moralis lectio, quam fortè nullibi æquè, uti hic, in conspectu turbulen- tissi-

tissimi huius Promontorij apprehendetis; quod vobis totam propositi meirationem una simul ante oculos proponit: scilicet maximum in transiendo periculum; necessitatem ad id, ut pare est, se comparandi; cum tantâ spe, quæ sufficiat ad feliciter evadendum.

Vita humana, si eius mutationes, & status ac fortunæ diversitates considero, non minus quam ipsum mare, sinus suos habet ac recessus, fortuitos torrentes, deserta litorum, cæcos scopulos & arenarum insidias, malacias ac tempestates, ventosque modò secundos, modò adversos. Ite sanè cum animo vestro à potentium supremo ad miserorum usque ultimum, per omnes hominum conditiones ac status; & facile per vos ipsos opinacionis meæ veritatem perspicietis. Hic quidem breviculâ alno sollicitè vicinum legit litus, contentus de die in diem vivere. Ille ingenti onerariâ profectus in altum, decem vela omnibus spei & cupiditatum ventis expandit, magnum se in remotis oris facturus: cum interim aliqui modò ex nauticâ charta, modò ex pyxide captent auguria; alij undeunde aspiret fatus aliquis, eò puppim vertant ac vela. Quidam id solum viæ promovet, quod manibus conficit, omni virium contentione remo incumbens: quando aliis etiam dormiendo procedit, fortitud secundissimam indeptus profluentem, quæ illum gratis transportat. Ille vela legit, & portum invehitur; iste hinc solvit

& egreditur, prædatoriam facturus bonæ sortis, quâ prior jam inventâ nunc frui consti-tuit. Quidam unâ jacturâ, quidquid habe-bant, amittunt, brevi horâ multorum anno-rum acerbos sudores auferente: & sunt, qui dum alibi quatunt certa, quæ concupierant, bona, duplum eorum malorum inveniunt, quorum impatientiâ aliunde discesserant. Vi-detisne illos pæne innumerabiles, qui à vento favorabilis auxilij destituti, ne latum quidem passum longius possunt procedere, acerbissi-mæ cuiusdam malaciæ velut unco affixi? ali-os autem rapidissimo flatu auferri, fortuna-tum id sibi iter arbitrantes, quod præcipitium erit? Ibi quoisdam pleno cursu in brevia dela-tos, carinâ in latentium arenarum dorso im-pactâ hærere immobiles, donec increcentis ponti affluxu relevati solvantur? illos autem cum laceris velis, & arbore ruinam minante, auras clamore, cælum votis compleentes, in tempestate cum morte luctari? Et ne longius eamus, maximam infelicium illorum turbam, qui ad scopulos illisi, super fragmentis navi-um pro libidine maris circùm acti, eversique identidem, longam mortem paulatim com-bibunt? Quàm multos verò eorum esse puta-tis, qui quamdiu cælum favet, & mare tran-quillum est, nullâ tempestatum ne quidem cogitatione tanguntur? quàm multos naufra-gorum, aut jam periclitantium, quibus antè, cùm vela ventis, & alto proram darent, nul-lus

lus discriminis metus inciderat? (B) *Magna pars hominum est*, inquit Stoicus, *(melius dixisset, maxima) quæ navigatura de tempestate non cogitat.* Hinc succedit secundum illud è malis, repente animo concidere; & prius terrore, quam incursu ipso adversitatis everti. Etenim naturale est, ut répentina mirificè perterreant; neque sicut, ut quis ad se facile redeat, aut senatum mentis colligat, timore in fugam dispersum. (C) *Stultis, & fortunæ credentibus, omnis videtur nova rerum & inopinata facies.* *Magna pars est, apud imperitos mali, Novitas.*

Quid de illius Imperatoris prvidentiâ, aut rei bellicæ notitiâ judicaretis, qui cum exercitu suo collis planicie occupatâ, superiora loca hosti relinquenteret, unde facile infestari pellique statione posset? (D) *Aperta vis si preparetur in montibus*, ait Vegetius, *altiora loca præmissis sunt præsidis occupanda, ut hostis cum advenerit, resperiatur inferior.* An non hæc prorsus est illa cœcitas eorum, qui cum se in throno prosperitatis (cuiuscunque demum modi illa sit) elevaros cernunt, stultissimè mox item & securos se credunt? nec advertentes, se amittere posse quod possident, student se animo superiores facere fortunæ ictibus, id est, rerum humarum instabilitate, quæ nunquam cum securitate teneri possunt? sed solum cum quiete: quod fit, quando animus certarum Maximarum robore confirmatus, paratus est illas denuo perdere, quin suam perdat quietem.

R. 5

Quod

Quodsi nihilominus eveniat , ipsum eo casu turbari , (E) præcogniti mali mollescit venit. Que alii dum patiendo levia faciunt , hic dum cogitando. Unde adversum proditorias artes Adversitatis prudenter adhibebitur, quod cum mala conscientia , tum periculi jam instantis metus Domitiano Imp. persuaserunt. (F) Induxerat ille porticum parietes, ubi deambulare assueverat , grandibus crustis è marmore , ita tersè fabréque expolito, ut speculi instar, etiam quæ eminus erant, subijceret oculis. igitur quaqua obiret , à tergo securus erat : cum nemo ei retro posset accedere , quin eundem in facie haberet. Id ipsum sapientibus Prudentiae speculum præstat ; in quo , ut jam mox dicimus , imaginem præsentis habet , quidquid etiam longè abest , si probabile sit , eventurum.

Hæud equidem diffiteor , esse quæpiam malis , quæ priusquam veniant , adventus sui nuntios præmittant; uti Ætnæ incendia , quæ prius tonant , quæm fulminent : (G) non autè flammæ globos attollit , quæm interni strepitus antecedat. Ita mors senibus. Heu me , ait Xenocrates jam seniculus; (H) quantos illa nuntios præmittit , propediem ad futuram se illis significans ! Quidquid natura infirmitatum habet , doloris , pænæ , id omne senibus in comitatum , & velut in humeros venit : quantoque illis major debilitas , tanto pondus gravius est ; quasi ad evertendum ruinosæ parietinæ silecernum tot ac tam validis arietibus opus sit.

*Quod*

Quod si seniculus ille (pergit philosophus) nihilominus adhuc perstat, neque cessat particulatim naturæ debitum solvere, & reddere quam ab eâ mutuò acceperat, vitam; tum enim vero illa, ceu rabidus exactor eum invadit; & mutuum in usuram detorquens, de modicâ sorte, quæ adhuc misero supereft, fructum exprimit immoderatum. Igitur hodie unum dentem, mox alterum cras excutit, donec omnes ei ab ore evulserit. tum non multo post auditum ei ab auribus tollit: deinde ab oculis lucem: denique & spiritus, & calorem vitalem de penetralibus cordis; certo utique indicio, eum qui per partes moritur, non diu moraturum, quin totus moriatur. Ita quædam infortunia suis velut augurijs ceu nuntijs prænotantur, quid expectari debeat; sape tam ex vero certoque admonentibus, quæ navigantibus vicinæ tempestatis irrefragabili indicio sunt lucide illæ maculæ, solis occidui faciem pererrantes: quæ si illum ipso in occasu inficiunt,

(1) *Non illâ quisquam me nocte per altum*

*Ire, nec à terra moneat convellere funem.*

Unde qui id mali ex suis præfigijs non augratur, aut (quæ propria est longæ felicitatis infelicitas) non modò non vicinum, sed ne possibile quidem esse, imaginari sibi potest, totum postea damnum suum uni imputet sibi, sibi uni irascatur, de se solo doleat, usque ad animi deliquium, & meliorum desperationem,

onem; ut ijs accidit, qui repeatino malo op. primuntur.

Hic in mentem nobis veniat infelicitis exi-  
tij, quo Imp. Nero interiit, viliis instar mu-  
lierculae plorans; & ad eisdem sc̄rum fletus  
ac lamenta spurcissimum illum fecit puel-  
lam Sporum invitans. (K) Recordamini quo-  
que, eum haudquaquam improvisu subla-  
tum fuisse ab Galba copijs: quippe ex longin-  
quo venerant, eum ex Imperio deturbatur.  
Igitur mature acceperat eos à castris exisse,  
appropinquare, advenisse; & propemodum  
ipsum jam tubarum sonitum exaudierat, ac  
fulgorem ensium capiti suo imminentium vi-  
derat, quando denique Senatum convocavit.  
Credidere omnes. (& quid credi aliud poter-  
rat?) eo fine controcatum, ut expediente alii  
quo consilio instantis ruinæ periculo occurre-  
retur: cum ille vultu lætitiam præferente, ubi  
confederat, Patres Conscripti, ait, (L) nolite  
in malam partem aecipere, quod vos tempore  
parum fortassis opportuno in consilium advo-  
cavi. Ubi enim tam novæ rei ex me notitiam  
acceperitis, contemnetis, spero, mihi que con-  
donabitis; quidquid est modicum istud in-  
commodi vestri. Proin nosse vos cupio. inven-  
nisse me tandem, quod tam diuturno studio  
inquisieram, quâ ratione tibiarum contem-  
perari santis posset, uti idem & fortior esset.  
& suavior. Neq; aliud prætorea estatus, Sena-  
tum dimisit. Nolim h̄c ego vos putare, stoli-  
dum

dum illum, aut amentem fuisse. ebrius erat felicitatis suæ; neque in animum sibi vel suspicando poterat inducere. Fortunam, quæ paulo minus quatuordecim annis in Imperio Mundum ei sub pedibus tenuerat, nunc omnia repente in contrariam versuram, & caput eius ad pedes unius suorum rebellium abjecturam, non sine publico Orbis ludibrio & execratione proterendum. Igitur quanquam periculum ante oculos haberet, conspicere non valuit, quia non credidit: eique evenit, quod post ipsum hodieque accidit non paucis, ut cum vix latum pedem à præcipito distent, id non pervideant radeò & obcæcatam mentem habent, & eversum judicium; qui sanè ultimus ad ruinam gradus est.

At enim de infinitis calamitatibus, quibus nos conditio nostra, velut oppida muris nudata, hostium injurijs exposuit, fortè perpauclæ sunt, quæ nobis adventus sui quedam præmittant indicia, quibus adnitioni comparemus animos ad earum impetum fortissime sustinendum. majorem partem improvisæ superveniunt. Itane verò improvisæ? excepit Rom. philosophus: (M) nequaquam, nisi forte amentiam & phrenesij stupefactis; & ijs, qui oblitis sunt, homines se esse; aut in communi hominum sorte non sunt comprehensi. Cedo, num dies exit, quo aliquem ægritudine, aut casu alio perijisse auditis? illum calicem exticuisse gratiâ principis; illum divitem ad inopiam;

opiam relapsum ; hominem innocentem oppressum calumnia ; virum nobilem gravi ignominia notatum ; totas familias re ac nomine excidisse ; idque non raro in eadem, quam habitatis ipsi, viciniâ ? Et ubi hæc defunt, ad ædium nostrarum januam consistamus ; & ex ijs, qui non integræ horæ spatio illac prætergredientur, numeremus, quām multi eorum non pridem fortunati , jam oppidò miseri sint ; modò robusti , aunc vix pedibus constant ; quot repente ab omnibus deserti, quot claudi, mendici , cum egestate conflictantes, aut mille alijs ærumnarum gravati generibus : atque ita nos ipsos denique compellemus ; Mirer , aliquando ad me pericula accessisse , que circa me semper erraverunt : illud mihi inopinatum sit, quod jam tot alijs evenit ? nam & ego eorum unus sum quispiam. Quod si id tam facile etiam mihi potest accidere , ubi id mihi firmiter persuasero , profectò jam dimidium ei malo demptum putabo. (N) Quidquid enim fieri potest , quasi futurum prospiciendo , malorum omnium ictus molliet , qui ad preparatos expectantésque nibil afferens novi : securis , & beata tantum spectantibus graves sunt.

Singularis prudentiæ laudem illud Iphicratæ Græci Imp. dictum promeruit : qui cùm per amicorum terras exercitum duceret, haud fecus jubebat servari ordines, & castra singulis noctibus vallo communiri, quām si in suspectâ regione versaretur. quod cùm ducum aliquis

aliquis admiratus , ceu irrationabilem metum reprehenderet ; id ienime vero longè pro-  
brosius verbum esse, Iphicrates respondit, po-  
stequam damnum acceptum sit , dicere ; non  
expectabam . Seneca de alio id refert : *Turpissimam*  
*aiebat Fabius Imperatori excusationem esse . N O N*  
*P V T A V I :* (O) & subdit philosophus ; *ego tur-*  
*pissimam homini paro . Unde prosecuitur dicens*  
de se , quod prudenter ab omnibus factandum est ; tametsi in amicâ terrâ sim , & Fortu-  
na se mirificè ostendat sollicitam tuendi ho-  
noris mei , dignitatis , potentiaz , gratiaz apud  
principem , aestimationis apud populum , for-  
tunatum , & quidquid demum posseideo ; non  
idcirco omitto animum ad defensionem com-  
parare contra omnem , quæcunque mihi ac-  
cidere potest , adversitatem . Fortuna quidem  
amica esse potest ; fidelis esse non potest : &  
dum quis minimè expectat , pénitet illam be-  
nefacti : támque austerè sua repetit , ut ipsum  
petere sit tollere . Quare id omne , quod illa  
concedit , separatim loco & ruceor , tanquam  
depositum ; ut celeriter possim reddere , velut  
alienum : quippe nihil verè meum esse reputo ,  
extra animi pacem , & virtutis bona ; infortu-  
nio utique non exposita , quia non subjecta  
Jurisdictioni Fortunæ . (P) Ita me bene recte-  
que philosophandi magistri docuerunt illuc  
diffarent stare affidue velut in prefidio positum , & omnes  
enatus Fortuna , & omnes impetus proficere multò ante-  
quām incurvant . Nunquam ego Fortunæ credidi , obo-

si videretur pacem agere. Omnia, quæ in me indulgentissime conferebant, pecuniam, honores, gloriam, eo loco posui, unde posset ea sine motu meo repetrere. Intervallum inter me & illa magnum habui: itaque *ABSTVLIT FILLA, NON AVVLSIT*. Imò cum vide-ret, quām mendaciter & fraudulenter promittat ijs, qui ei fidem habent, eius bona ap-elavit (*Q*) *FORTUNÆ MENDACIA*. Quā-vis enim omnia sīnt fugacia, uti ipsa ēst, quæ dedit; tamen vult ea credi stabilia, & immu-tabiliter beatum, qui hæc possidet: cūm tam-en oppositum ita verum sit, ut non raro, quemadmodum naves nimium onerando sub-mergimus; ita illa quem celeriter in profundo cupit, eundem novis semper largitionibus cu-mulare & obruere studeat: ita ut in ista pro-speritatis incrementa optimè Aphorismus quadret Hippocratis; (*R*) propinquæ ægritu-dinis præsigium esse, nimis bene valere: & Corn. Celli; (*S*) si plenior aliquis, si speciosior, colo-ratior factus est, suspecta habere bona sua dabit.

Itaque demonstratum est, & fortè proli-xius, quām protamp palpabili veritate necessa-rium posset videri; quanti intersit prospicere in futurum, sēque præparare, ne quod ma-jus improvidos evertat: restat nihilominus docere, quā ratione, & quando id debeamus. Atque ut ab hoc postremo ordinar. interrogavo cūm Plutarcho: (*T*) si in hac terribili tem-pestate deprehensi, audiretis gubernatores, aliosque prefectorum, ac uautas ipsos, cūm quan-

quantâ præcordiorum contentione possent , ab vicinis navibus , quæ ad vestrum auxilium hoc ipsum Promontorium eluctari unâ contenterent , postulare gubernaculum vestri in vicem , aut ab undis quassati , aut etiam de cardinibus abrepti ; nunquid nautas hosce alto mergendos censeretis , tametsi ad terram appulissent ? flagitosissimi nebulonum , & tot necibus digni , quot vectores eramus , quibus vestrâ culpa pereundum fuerat ; nesciebatis , alterum gubernaculum in promptu esse , & ad primos ferocientis pelagi assultus haberî præ manu oportere , cardinibus inferendum , sicubi primum aut confractum vi tempestatis , aut sublatum fuisset ? Ita sanè diceretis ; neque sine merito illorum . Cavete igitur , ne eiusdem temeritatis ( sive negligentiae placeat dicere ) ipsi quoque incusari possitis . Mala imminent , quæ prospicere debetis : frustra enim tunc primum , cum jam in medio furentium procellarum conflictamur , id inclamabimus , quod pridem in tranquillitatis tempore exquirendum erat , & comportandum .

Non id quidem diffiteor ; inutile navis pondus est mari pacato navigantibus , geminum illud gubernaculum , quod *Reverentie* appellant : ( V ) parem in modum forsitan grave vobis erit in complexu Faustitatis hærentibus , cum animo reputare , advenire diem posse , quo infelices fiatis , & vel omnibus vestris bonis , vel magnâ eorum parte excidatis , quæ

S

nunc

nunc tam pacificè & oblectanter possidetis; ac in eum casum vobis de eiusmodi considerationibus providere , quæ sat roboris sufficient ad venturam calamitatem forti animo excipendam. Demus igitur, Fortunam vobis tempestatem concire , insurgere cum mari ventos, & unam illarum formidabilium procellarum, quas solent, in caput vestrum excutere; enim vero in eâ necessitate alter ille Clavus abunde vobis ponderis sui molestiam persolvet. Nec mehercle tam præsumptuosus quisquam Navarchus fuit , qui præteritæ navigationis tranquillo & prosperitate deceptus , deditetur ceu inutilia impedimenta , alteras secum anchoras, funes, vela, rudentes, præter ea, quæ solūm ad iter quietum necessaria suat, accipere. Tale quidem iter sperare potest, si bique promittere : memor tamen , quām variabiles sint ventorum flatus ; quām sœvum, cùm irascitur, mare; contra id omne, quod sibi novit posse accidere, in terrâ , ubi potest, earum rerum paratu se communit, quas nec quicquam in mari requiret ; ubi egentia quidem erit , non tamen auxilium. ( X ) Ego inquit Stoicus, *quid futurum sit, nescio: quid fieri possit, scio. Ex hoc nihil desperabo: totum expecto. si quid remittitur, boni consulo.*

(r) Ut, quando hibernos Pontus sine remige menses

Exigit implacidus, séque ipso audacior,  
(ut qui

Aut.

**Aut videt, aut credit sua jura irāsq; timeri;**  
**Omnis in occulto Nautarum cura laborat,**  
**Exercētque viros: varius labor occupat**  
omnes:

**Non requié statio indulget, non otia portus.**  
**Hi fessas alto puppes, lacerāsque carinas,**  
**Seminēcēsque alnos intra navalia ducunt**  
**Dispositis ex arte rotis: it clamor in altum.**  
**Tum validis trabibus Costarum vulnera**  
firmant,

**Densāsq; intexunt crates, & læsa refingunt**  
**Illa: restaurāntque domos, & pinea tecta**  
**Undique, dum rapidos contra stet machina**  
fluctus

**Integra, & Æolios aspernatura furores.**  
**It circum per cuncta vigil, stuppāque tenaci**  
**Ora premit, rimāsq; picator munit apertas.**  
**Ergo passim operi infudat Neptunia pubes,**  
**Si quo fortè loco labē tulit unda, vel hostis,**  
**Ausus in æquoreo ( quid non dementia**  
tentat ? )

**Et ferro, & flamā vecors concurrere campo.**  
**His spartum torquere labor, validōsque**  
rudentes

**Ducere: vel gelidis devolvere montibus**  
ornos;

**Populeāsque manus remorum in brachia**  
formant.

**Fervet opus; multāque ardens Vulcanus**  
anhelat

**Sub fornace: gemunt duris incudibus æra**

Ad numerum ; seu tela viris , seu cudere  
navi

Armamenta placet : sudant Steropésque ,  
Tonánsque .

Plurimus ergo labor : poscit gemina omnia  
Tiphys ,

Et sævus maris irati furor . Anchora du-  
plex ,

Veláque , & aërij volitantia robora mali .

Inde quoque in partem Saturnia Diva la-  
borum

Advenit , & Siculas comportat in horrea  
mesSES

Bis coctas : fert Sacra Pales sua munera ; fumo

Saléque duratas carnes . sic victus in antra

Colligitur , dulcisque liquor , Bacchæaque  
dona ;

Dum jam vere novo pubes exosa quietis ,  
In nova sponte ruit discrimina : provocat  
Euros ,

Neptunūmque Patrem . Ipsa ultro descen-  
dere puppis

Gaudet , & horrilonis frontem conferre  
procellis .

Ac nova vela volant , radipisque occurre-  
re ventis (ricli.

Ardent , jāmque sui , veterisque oblitera pe-

Omnia futuri respectu & providentiâ , quæ  
non solum ea , quæ eventura sunt , sed etiam  
quæ evenire possunt . pericula sibi facit præsen-  
tia ; idque totum eo tempore & loco , quo ma-  
turare



turare adhuc auxilium potest. Ita Archimedes, Mathematicus ille Thavmaturgus, dum adhuc Syracusæ pacis otio fruebantur, prodigiosas suas machinas elaboravit, quibus urbem belli tempore tutaretur. (Z) Sceterunt illæ quidem aliquot annis otiosæ, donec Romana classis urbi obsidium admovit: tum verò prodierūt in lucem, constitēt in mānibus, easque miserorum oppugnantium strages edidērūt, quas nemo enarrabit melius, quam qui suo periculo probavit. Etiam ad urbana negotia pertinet axioma illud; (Aa) **Q**UÍ D E S I D E R A T P A C E M , P R A E P A R E T B E L L U M : secus, qui se ad resistendum non præparat, ipsemet hostem ad se oppugnandum, imd de prædandum invitac: quippe inermi nihil restat, nisi aut tradere se adversario, aut fugere.

Ut autem etiam de modo providendi aliquid breviter admoneam, in maximi herois facto totum id vobis commonstro mirificè expressum: quod si imitari volueritis, facile efficietis, ut in quocunque demum subito sinistrōque accidente, animo non cadatis. Philopæmen Achæorum prætor, in ducendis exercitibus locisque aptioribus eligendis, incomparabili fuit scientiâ: idque propterea, quod, uti Livius scribit, (Bb) pacis tempore secum consultabat, quidquid in occasione prælij facere expediret. Quoties iter faciebat, seu publico seu privato in negotio, si fortè locum difficulti & periculoso exitu attigisset, consistebat

bat paulisper, omnem circà viciniam oculis colluîtrans: & ubi solus esset, secum ipso exquirendo omnia, quidquid utilitatis aut danni hinc in ipsum redire possit, quâ ratione aliora capi loca, quâ in apertum denuo evadi posset, inveniebat. Quodsi comitatus iret, ab socijs quoque sententias reposcebat: demus, inquiens, nos hic locorum repente ab hoste invadi, seu apertè à fronte, seu retro ex insidijs, aut de ista planicie, vel ab isto montis latere defuper in nos decurrat, quid consilij putatis ad salutem capiendum? Quodsi agmine bene ordinato incederet, aut si econtra pro loci angustijs, non ferentibus æqui martis congressum, confusè impetu facto copias in nos præcipitaret, quem in modum excipi tum posse, ac sustineri? cum quot cohortibus, alis, turmis obviam erumpendum videri? & quod permagni interest, quo armorum genere ute-reptur? brevibüsne, & cominus pugnarent vir viro; an missilibus, & à longè? Tum verò quâ parte curribus & impedimentis, cæteræque inermi multitudini tutò receptum fore? aut quid munimenti istis posse circumdari? Quodsi hostem arcuissent, itérne cæptum prosequi, an relegere suaderent? Inde ubi hospitia, & quâm largo ambitu metari? unde aquam, ligna, pabulum petere? ac postridie quâ via securius, ordinèque discedendi copiam fore? his dictis historicus subjungit: his curis cogitationibüsque ita ab ineunte etate animum agi-tave-

*taverat, ut nulla ei nova in re tali cogitatio esset.*

Grande profectò exemplum, & fortasse unicūm, unde discamus animūm ita informare, ut ad subitaneos improvisosque casus, quibus vita humana perpetuò ac periculosè ex omni parte impeditur, velut sine motu ac impatibilem se gerat. *Quod si scientia militaris docet tam cautè exercitum collocare in acie, ut quācunque demum parte ingruant inimici, aut planè se per orbem circumfundant, nullâ licet stationum factâ mutatione, ubique frontem bene ijs obversam habeas; cùr non id ipsum animus bene instructus possit cum suis cogitationibus præstare?* Necesse est igitur ad eum modum, quo Philopæmen ille, mentem eruditatis, frequenter ob oculos proponendo cùm bonorum jacturam, tum eorum malorum incursionem, quæ si accideret, afflictura esset. Si filius, cuius spiritu magis ferè quām tuoipius vivis ac beatus es, in ipso ætatis flore tibi raperetur, heu miserum patrem! ubi solūm cogitando mortuum, non leviter sauciari, quid videndo futurum esset? Si amici fidem frangerent; expectatio preces, gratitudo meritum, remuneratio servitutem destitueret; si anni caritas premat: si negotium medio in cursu, nefcio quo impellente, retrorsum agatur: si æmulus te præcipitet, calumnia infamet: si scelerata invidia in honestissimam speciem personata, non sine apparente æquitatis suæ titulo, & culpæ tuæ convitio,

te eo solum, quod luci suae umbram facias, tollat de medio; & quae eiusmodi ærumnarum infinita Ilias orbem infundit; eas singulatim ante te statue, & condisce primò, intueri eas saltem sine animi deliquio: dehinc cum animo tuo senatum habe, quid tum agi ex virtute deberet, sicubi horum aliquid tibi aliquando accideret: Et plerumque quod alteri faciendum suaderes, tibi ipsi fuerit longè utilissimum.

Anchoras edentatas vel obtusas, aiebat Pythagoras, (Cc) esse omnia terrena bona. Reclassimè prorsus. non prehendunt fundum, neque animum firmant æumnosis adversitatum fluctibus agitatum. finge tibi filium fato sublatum: non tibi dolorem leniet possessiōnum copia, non pecunia aut nobilitas, non principis benevolentia. scilicet robustā acutāque anchorā est opus, quae in solido dentem figat; & in turbatione, quae intra te est, titubare non sinat. Eiusmodi autem sunt illæ Maxime, infallibilium veritatum compendia: Fortunam & Casus nihil esse; nihil stellarum violentiam aut Fati: sed Numinis Providentiam; occultam illam quidem, non tamen cæcam, rebus humanis interesse, quam rectissimè ad optimos fines ordinandis, neque unquam nisi nostro maximo bono. Ipsis rerum amissionibus, & malorum tolerantiâ doceri nos, felicitatem nostram in hisce inferioribus reperiri non posse. Et si totius mundi Imperium

rium in manu, & Coronam in capite haberes, unius oboli jacturam utique tibi dolori non futuram? At enim eas tibi nunc, si modò velis, opulentias in parato esse, quibus omnia terrena minus, quam obulus Midæ thesauris, æquari possint. Si attentiùs rationum inire calculos velis, reperturum centies milliēsque peiora esse comeritum: quod si cruentæ securis supplicium in diurni carceris pñnam commutaretur, ausurūmne de hac modica molestia conqueri, & non potiùs de incredibilis indulgentiæ beneficio immortales tibi agendas esse gratias existimares? Doloribus, quos patimur, qui impatientiam adjungit, eundem sibi ipsi mala sua auctiora facere: cùmque ea possit in animæ suæ bonum, haud sanè paulo majus convertere, nunquid manifesti furoris esse, spumanti ore catenam velte mandere, nullo utique alio fructu, quam dentium in chalybe eliforum? Et hem quam multos arbitrabimur, nobis minus nocentes, magis gravari? sed major animi virtus etiam maiores ægritudines illis tolerabiles facit. Hujusmodi robustarum veritatum, quibus spiritus confirmatur, mille reperias: quas si frequenter præcogitare, & earum momenta nobis ob oculos ponere voluerimus, haud paulo plus adjumenti nobis præstabunt, quam liber ille **Dominus** **Remediis** **Fortuitorum**: qui vulneribus quidem medetur, sed contra ferri aciem non defendit.

S,

Igitur

Igitur qui, ut dixi hactenus, maturè vigilabit ad ea mala, quæ supervenire possunt, prævidenda, sèque ijs rationibus, quæ virum constantem faciunt, non perfunctoriè obarmare insistet, in accidentibus maximi momenti id boni experietur, quod maximus Anaxagoras in levi quidem occasione ab hâc providentia cepit. (Dd) Intraverat ille theatrum, famosissimis Ludis Olympicis interfuturus, grandi endromide involutus; dum ob aëris serenitatem, & solis æstum alij quàm levissimè tecti confederant. Igitur mille risibus & jocis exceptus, novum ipse ac primum spectaculum plebi fuit: quando sub ipsum Ludorum initium obnubilari Æther; & post in medio eorum fervore, tanta imbrum procella effundi cœpit, quantam vix æstate vide-re erat. Reddita tandem cælo sua facies; & Philosophus pallium dorso rejecit; solus ipse tunc siccus, cum cæteri omnes gemino, & fudoris, & cæli humore commaduissent.

A. *Iuven. sat. 8.* B. *Sen. de tranq. an.c. II.* C. *Idem ep. 76.* D. *l. 3. c. 6.* E. *Sen. ibid.* F. *Sueton. in Domit. c. 14.* G. *Solin. c. 11.* H. *in Axiocho.* I. *l. Georg.* K. *Suet. in Ner. c. 49.* L. *Dio. l. 63.* M. *de tranq. an.c. II.* N. *ibid.* O. *de ira. l. 2. c. 31.* P. *Consol. ad Helvid. c. 5.* Q. *Ep. 76.* R. *Secl. l. Aphor. 3.* S. *l. 2. c. 2.* T. *de cohib. ira.* V. *Timone di Rispetto.* X. *Ep. 88.* Y. *Dantes de Infer. c. 21.* Z. *Plut. in Marcel.* Aa. *Veget. prol. l. 3.* Bb. *l. 35.* Cc. *Stob. serm. l.* Dd. *Lert. in Anax.*

XIII.

## XIII.

## STROPHADES INSULÆ.

JUSTITIA  
AVARITIÆ SERVIENS.

VÆ Ægyptijs canibus, si ad Nili ripam sitis ponendæ gratiâ, vel puncto temporis demorari voluerint! non plus requiritur, ut à Crocodilis sub aquâ conspecti, repente invadantur, suæ sitis, & illorum famis futuri viætima. quis enim eos de latronum istorum fortissimis dentibus, & immensis rictibus subducat? Igitur quantacunque ea sitis sit, quâ ardent, non tamen unquam dulcedine eius fluminis inescari eousque se sinunt, ut stando id hauriant; sed non aliter, quâm si furto, interruptis identidem sorbitonibus, & bibunt, & fugiunt. Eo modo nos oportet facere in hâc, quam navigamus, periculosa maris Jo-nij parte; demissâ voce loqui, & quantâ possumus, remorum contentione provolare: oculos in terrâ figere, sed proram in mare propellere. Istæ, quas præterlabimur, sunt Strophades Insulæ; eo solùm famosæ, quo infames: horridæ, ac simul amænæ: non quidem manu cultæ, naturali tamen rusticitate sua tam venustum præbentes aspectum, ut parem nec Apelles possit in tabula fingere. Mare ipsum solito tranquillus, aliquot angusti portus, brevésque sinus admittunt. Litoris ora mirè amæna: quam interiora excipiunt, alter-

ternis in planitem diffusa , aut collibus tumida. Eadem magnam partem prædensis obsitam silvis habent , non sine sacro umbrarum horrore , qualis præstigiosa fabulantum nemora infamat. digna profecto scelestarum Harpyarum sedes , inibi nidulantia: unde etiam turmatim evolant. Eas tamen videnti, quælo, ne vobis lubido veniat: quippe quas nemo sine damno suo viderit : tantâ alarum perniciitate in obvios rapacissima hæc pestis involat ;

*Et pede glutineo, quod tetigere, trahunt. (A)*

Quantumcunque autem rapuerint , non idcirco aviditatem explent ; nec ubi plurima devoraverint , unquam saturæ fiant : imò hercle , cùm extenuatis squalidisque sint corporibus, quod plus abliguriunt, eò videntur macilenteres esse ; & post commessionem famere , quam antè , ardentius.

*(B) Tristius band illus monstrum, nec senior ullus  
Pestis & ira Deum Stygiis se se extulit undis.  
Virgines volucram vultus ; sedissima ventris  
Proluvies, unceq; manus, & pallida semper  
Ora fame.*

Vah miseri ! quos seu tempestatum furor, seu piratarum metus in earum portus se recipere coegerit. quippe ubi vel minimum demorati fuerint , grande utique jactæ anchoræ portorum solvent , in terra id amissuri , cuius servandi pelago exceserant. Quâ in re, nescio, an id ipsum vobis, quod mihi, videatur  
repræ-

repræsentari. nam in horum portuum fallaciâ, in harum volucrum rapacitate, in horum miserorum imprudentiâ, salutis causâ huc convolantium, ego intelicitatem eorum intueror, qui rerum suarum necessitate adacti, ad Justitiæ præsidium ceu portum confugiunt: ubi fraudulentæ Harpyæ ex insidijs eos speculatæ, quantò plus benevolentiæ ad illicium sub speciolo Astreæ Virginis vultu eis exhibent, tanto avidius eos unguibus suis corripiunt, & dentibus involant, usque ad ossium nuditatem expulpandos: prout postea sibi lucrosius fore judicaverint, eos vel damnaturi innoxios, vel absoluturi reos: scilicet, uti Dantes Poëta cecinit, (C)

**Album pecunia nigrum, Iniquum Equum facit:**

**Affirmat, ubi negandum; ubi aiendum, negat:**

**Ex Non facit denarius, cum vult, Ita.**

Vivebant eodem tempore, & Athenis docebant Socrates & Aristippus; ambo uti summi nominis philosophi, ita moribus, quantum concipi dicendo potest, maximè differentes. Socrates ut in verbis, ita in moribus commendantor virtutis, sine mercede scholam habebat, ipsemet suæ doctrinæ viva synopsis; neque minus bene suos instituens factis, quam præceptis; inimicus arrogantiae & philosophici fastûs; ab omnis lucri cupiditate alienissimus, contemptor opum & commoditarum, eo usque,

que, ut non nisi unâ viliique tunicâ uteretur, nudis incederet pedibus, habitaret per incommodè, & tam parcè etiam ex tenuissimo vietaret, ut etiam cùm totum absumpsisset, famens à mensa surgeret. Omnia exadversum in Aristippo. Pro nundinis illi Philosophia, quam non nisi grandi pretio tradebat. Pro magno se gerebat per omnia: palatum incolebat, non communi tantùm more excultum ornatûmque: vestitus illi ex purpura & serico: mensa omnibus lautitijs abundans: famulitium nobilitati decens: in summâ, undique deliciæ, magnificentia, splendor. Accidit autem, ut nescio cuius rei causâ Socrates in eius domum intraret: cùmque regalia ornamenta, & totam suppellectilem longè vulgari splendidiorē vidisset, quæreret ex eo;

(D) unde tibi tam multa? Cui confessim Aristippus; unde tibi tam pauca? Quasi diceret, tantæ diversitatis unam in causâ Philosophiam esse, quam uterque profiterentur; modo tamen diverso: quippe Socratem, cùm eam donaret auditoribus, & operibus ipsemet exequetur, necessariò pauperem esse; Aristippum verò, qui eam pro mercimonio haberet, non pro animi culturâ, inde opulentum fieri.

Quid jam vobis videtur? an non id ipsum æquè de Justitia dixerim, ac de Philosophia? Id sanè unus de præcipuis, quos in Juris scientia famosos hæc ætas tulit, ingenuè attestatur: Menochius inquam, Magistrorum Alphæ,

phas & in dissolvendis intricatissimis Legum nodis Apollo ; uti in doctissimis suis libris , quos ad posteritatis eruditionem publicavit , plus quam abunde commonstrat . Iste nescio à quonam interrogatus , quantum utilitatis in annos singulos dignitas & Officium Præsidentis Regio Senatui Mediolani importaret , in hæc omnino verba respondit : cum iustitiâ aiebat , quam minimum ; ( ac simul , quantum id esset exposuit ) cum injustitiâ verò quamplurimum . quippe ubi incorruptâ fide atque integrâ id munus geratur , nihil præter tenue stipendiu• inde provenire ; ubi immensarum opum divitem materiam reperiat , qui sibi licitum putet , vendere gratias , & Justitiam pro merce habere . Et hem , quam multos omni loco & tempore Stratoclis & Dromoclidæ , duarum Harpyarum , ( imò Judicum volebam dicere ) nepotes videmus ; quos accepimus , inquit Plutarchus , ( E ) solitos sese mutuò ad MESSEM AVREAM invitare ; sic enim ioco tribunal & curiam appellabant : dignos profectò , ( F ) de quorum vivis corporibus carnificis culter id exempli statueret , quod circa Thebanorum Judicum statuas sculptorum scalpella exhibent , quos in testimonium integritatis effingunt sine manibus fuisse : ( G ) vel sicut Galba Imp. fraudulentio argentario palmas amputari & in eius subsellio affigi jussit ; ita his ipsis sub arcu tribunalis . Quanquam singulis duas tantum manus amputare , revera vix quinque-

quagesima pars foret illius integri supplicij, quod merentur: cum iij neutquam fabulosi sint Briarei, sed reapse centum ingeniorum, quibus alienam ad se harpagare substantiam laborant, centum manibus sint instructi: longe aliter, quam pauperculus servus, qui modicissimis furtulis herum vellicarat; & tamen apud jucundissimum Plautum avarus senex, cum forte Strophilum servum in suspicionem furti habuisset, manusque eius oppido diligenter inspexisset, ubi puras reperit, rogare caput; (*H*) age, ostende etiam tertiam. nam qui furandi exercitatores sunt, praeter Janus ( licet ita dicere) visibiles & publicas, tot alias habent invisibiles & secretas, quot modos inveniendi & patrandi furtum aliquod, ita quidem, ut non appareat; quales jam mox in Harpyis nostris denudabimus.

Vivente Sidonio Apollinare mare Gallicum classis prædatoria infestabat, tam scelestos homines vehens, ut eorum artes videtur cælum ipsum vix posse effugere; ut ille ad Numatium scribit: eique effigiem eorum exhibet, optimæ manus opus, & dignum videri: Quot omnino remiges sunt in singulis illis Saxonum myoparonibus, tot piratarum duces videbis: (*I*) ita simul omnes imperant, parent, decent, discunt latrocinari. Tam inopinato irrumpunt, corripiuntque improvidos viatores, ut falconibus perniciores putas: tam in refugiendo, sequi, ubi conspectos notant, subducendo cele-

celeres, ut plusquam fulmineos credas. Sed quod maximè admireris, cum aliorum casus ipsis pro incremento sint, jactus periclitantium pro piscatu, naufragorum interitus pro prædâ aut congiario, adeò non abhorrent à procellarum periculis, ut ea ultro provocent: ideòque in medijs tempestatibus exercent illos naufragia, non terrent. Est eis quædam cum discriminibus pelagi non notitia solum, sed familiaritas, pergit. que eorum depingere ingenia & artes, quibus maris sævitiam ad prædandi solertiam abutuntur. namq; ipsæ undæ, quæ circa humiles ipsorum cymbas se attollunt, eisdem pro latebra serviunt, ut intra aqueos illos montes, velut in profundâ valle latitantes, interim remigando ad infelices periclitantium, & ab Oceano jam pæne devictorum naves accedant, insificant, occupent, expilent.

Hisce Europæis jungamus alios, usu pares, modo duntaxat dispare; Afros illos, litora nostri Mediterranei, & Syrtium famosissimarum viciniam accolentes: in quas si quam navium vis tempestatis conjecterit, pro conclamatâ habebas: adeò, ubi primum in eas arenarum insidias carina impegerit, nulla ab incurrentibus perpetuò fluctibus quies est, donec ea penitus in fundum defederit, aut ruptis compagibus findatur. Jam aliud à cælo non supplicant illi Pelagij, quæm tempestates & turbines, quæ sunt solæ illæ aurifodinæ, unde deserta ipsorum litora ditescunt. mari sacra faciunt, ut

T

ipso-

ipsorum bono conturbetur & furat: Aquiloni, ut toto spiritu illac proflans, navem aliquam quantò graviorem, tantò cariorem, in Syrtes compellat. quod si quam confexerint, momento ex omni orā manuarijs navigiolis convolant, utique pietatis gratiā ad opem naufragantibus conferendam; imò verò impietatis ductu, ad repiscandas perditorum opes, & corpora in servitutem rapienda. ita sanè;

(K) *litoreis populator arenis  
Imminet, & nullā portus tangente carinā,  
Novit opes. sic cum toto commercia mundo  
Naufragiis Nasamones habent.*

Quod si jam arbitramini, ( id quod ego non suspicatus inveniri posse, etiam non inquiro ) reperiri eiusmodi homines, quorum omnis fortuna in aliorum sita infortunio sit; unde eorum bono accidit, res seu publicas, seu privatas sursum deorsum agi dissidijs, litibus, funestissimis inimicitijs; & ubi id perviderint, seu vocati suppetias, seu ducibus spei suæ augurijs, illò concurrant; & pro eo, ut res turbatas componant, ( quod ex arte sua profitentur ) naufragumque adjuvent, ( cui rei ex officio constituuntur;) eundem quoad possunt, rebus omnibus expolient; quas diximus duas injusti lucri faciendi vias esse; vos ipsi minutius accurati usque expendite; & ex me tertiam quoq; classem adjungitote, quæ in nulla piratarum specie reperitur; nempe eos, qui agitant,

tant, quod tranquillum; perturbant, quod clarum est; pericula ipsi securitati offundunt, & luci tenebras; tempestates mentiuntur, aut exsuscitant etiam, mediâ in malaciâ; eo scilicet fine, ut miser ille, quem ita circumveniunt, salutis studio, quidquid bonorum adhuc habet, ultro in manus projiciat perfidissimo auxiliatori.

Videamus nunc, meritóque abominemur etiam in seipsis atque in abstracto consideratas, pauculas aliquas ex mille artibus, quibus lucrum ratio, Cos illa ingeniorum, docere posset male uti justitiâ. Et primò quidem illam, quando seorsim tam huic, quam illi litigantium parti rationes & argumenta supeditantur; singulis favor & auxilium promittitur; quò utrumq; demum emungant: & ubi plus nō superest, fulminatoria sententia contra illam infelicem profertur, quæ minus poterat utilitatis adferre. Ars ista, tuam operam pluribus addicendi, more eorum, qui mercem in foro auctionibus vendunt, ei dandam, à quo plus acceperint; longè antiquissima est, & ipsi Cupiditati coæva; quæ illius & partus fuit, &c etiamnum magistra est. Ex innumeris, qui eam per omnia tempora exercuerunt, exempli duntaxat loco Pyrrhum illum Regum producam, pariter & fraudibus, & armorum gloriâ illustrem: qui potentia exercituum, quos semper alebat, cum se inter Civitates & Principes belligerantes, ubique arbitrum

pacis ficeret, utrisque pro sua parte etiam ingentibus pretijs eius gratiam sollicitantibus, consilia spēmque suggerebat: (L) & spoliare singulos cupiens, omnibus se partibus venditabat.

Quod deinde ad calami audaciam spectat, reos pro innocentibus absolventes, & causam indigno litiganti adjudicantis, non sine artis præstigijs, eatenus oculos decipientibus, ut etiam veræ putentur eæ rationes, quæ maximè falsæ sunt; magnūmque pondus habere, quæ duntaxat in manu coëmpti Judicis præponderant, ob aurum illis appensum; ecce exemplum, quod Lucanus nobis proponit, ubi Julium Cæsarem recitat eò in iustitiæ progressum, ut justo possessori Regnum Ægypti tolleret, addiceret improbissimæ petirici Cleopatrae. Habebat ille quidem pro se rationem; sed ista nimiopere plus habebat, dum nihil præter seipsum habebat: quo solo comitatu freta, foris quidem tristitiam metūmque simulans, intus tamen alacritatis speique plena, ad Cæsarem contendit: (M)

*Quem FORMÆ CONFISA SVÆ Cleopatra sine ullis  
Tristis adit lacrimis, simulatum comptæ dolorem:*

*Et sic orsa loqui.*

Sed quantumcunque peroraret, nihil profectu id valere poterat ad causam lucrandam; & tamen quamvis etiam minimum diceret, id jam vincendo Judici sufficiebat. Causam tam fædæ rei desideratis?

*VVLTVS ADEST PRECIBVS, faciesque incœta  
perorat.*

Ita

Ita quidem Cæsare actum est, ab lasciviâ corrupto : sed periculum est , ut cum multis alijs similiter agatur, ab avaritiâ depravatis: quando revera non minores ad placendum vincendūmque vires habet Helena dives , quamquam invenusta, Discipuli; quām pulchra illa, sed pauper, Magistrī.. Eant nunc Legislatores . conscribant Tabulas , compilent statuta & Canones: bona utique perpendicularia, quadratas, regulâsque aptissimas rebus humanis ad rectitudinem ac honesti normam redigendis. sed quo fructu, si is, qui eas regulas tractat, has ipsas in obliquum torquebit ; ab recto rationis filo ad curvaturam utilitatis ? si regula ad avaritiam deflectatur , nullo jam veri respectu , sed lucri ? Ita accidebat ijs temporibus, quibus Satyricus ille scripsit (N)

*Quid faciant leges, ubi sola peccunia regnat ?*

*Aut ubi paupertas vincere nulla potest ?*

*Ergo Iudicium nihil est, nisi publica merces:*

*Atque Eques, in causa qui sedet, empta probat.*

Adhæc Injustitia sententiæ, pro pretio latæ in favorem partis indignæ, aliam adhuc secum trahit haud paulo majorem ; quod contra riā partem innocentem in publicam criminis opinionem coniicit, infamiae probro etiam ad injuriam damni adjecto. Intra paucos annos Roma duos Cæsares habuit, crudelitate pares , sed in modo sæviendi planè dissimiles. Tiberius profundo illo suo silentio , & verborum perplexâ obscuritate, certissimum ijs

exitium portendebat, qui eius sensui aut imperijs non obsecundâssent: quod qui advertebant, moriebantur antè, quam morerentur. Nero planissimè exadversum, quos fataliter oderat, omnibus amicitiae blanditijs deliniebat: cùmque se maximè principis circumflueret gratiâ putabant, subitò mittebat, qui pugionem ijs in pectus, aut frameam intorquebat in caput, violentissimo necis genere, cùm ab uno extremo ad alterum, nullâ medij dispositione, transeundum est. Jam verò nolim vobis id laboris imponere, ut discernatis, uter horum sanguiniorum principum alteri crudelitate præstiterit: nam tertius postea secutus est Domitianus, qui utrumque superavit. Iste primò contrâ innocentes, quos morti destinârat, judicium exerceri volebat, enormissimis scelerum formis pro falsa accusatione objectis; famam antè erepturus, quam vitam: id quod erat bis illos occidere; & fortè inustius in nomine, quam crudelius in corpore; quando nomen quidem potest immortalitatem afterre, cùm corpus jam ab suis primordijs secum ferat fati sui sententiam: imo ipsum eius vivere sit quoddam sensim mori; dum quot diebus, quibus vivitur, aliquid perditur ex eo, quod vivere poteramus. Igitur Domitianus (O) cùm secundum leges ficeret nihil, asseverabat de illo Apollonius apud Philostratum, *iudicium fingens, secundum leges decernere se fingebat.*

Et quoniam de crudelitate mentio est illata,

ta, sive Imperatorum iniriorum, sive judicium iniquorum, his ad illos ceu exemplum collatis, prætermittendum non est, quin de lento carnificinæ genere, quæ Caij Imp. inventio fuit, aliquid dicamus. Vixit is inter Tiberium & Neronem medius; à quorum primo majorem partem malitiæ traxit, ab altero minimam bonitatis. Sub isto mortes non uno hausto glutiebantur, neque tota amarities unâ exhaurięebatur, sed sorbitionibus usque ad ultimam stillam. Unde quotidie novi carnifaces, nova tormenta super eundem hominem inducebantur; eā tamen cautelā, ut misero tantum relinquerent vitæ hodie, quod ipsi cras ad tormenta jam præparata sufficeret: itaque quivis dies sequentium rationem habebat, perimendi finem nullum faciendo; sed pietatem monstrando, tyrannorum omnium sævitiam crudeliorem. (P) *Videbam*, ait Seneca, horum spectator operum, apud Caium tormenta, *videbam ignes*. *Sciebam olim sub illo in eum statum res humanas recidisse*, ut inter misericordiæ opera habeatur, occidi. ita ille: vos autem illud vobiscum pensitate, nescio quid simile, quod iij perpetiuntur, quorum causæ ultra modum omnem in longum ducuntur, non sine sensu jam ferè intolerabili; ut sæpe inter misericordiæ opera habeatur, occidi; id est sententiam contra se decisoriā accepisse. Verūm id frustra exposcat, qui in monstrum tam impossibile incidet, nempe hominem, adeò omnis expertem hu-

manitatis, ut solo quæstus suirespectu, etiam artificio miserorum mortes prolonget. quod sanè quid existimem esse aliud, quam vivas depasci carnes, & sanguinem ex ipsis proximorum venis exsugere? ut proin de illis liceret cum proportione accipere, quod Valerius de Numantinis affirmavit, cum foris à Scipione arctissimè clauderentur, intus autem ab extremâ fame tam dirè haberentur, ut coacti sint occisorum corpora in alimento sibi convertere: (*Q*) nulla est in his necessitatibus excusatio. nam quibus mori licuit, vivere necesse non fuit.

Heu me! igitur ut vos opinetis (neque enim nunc de extremis vitæ necessitatibus loquimur, ut apud Numantium) usque ad nuditatem ossium expulpandi sunt infelices illi, qui periclitantem suam substantiam in manus vestras auxilij spe concredere voluerunt? Ægyptus, quando secundissimis Nili fluentis innundatur, eas quamdiu potest, solo suo superfusas detinet; inde se incrassat, & ut ita dicam, inebriat, dies noctesque per trimestre spatium combibendo, quo perpetuum sub aquis occultatur. Neque id mirandum est, cum constet, toto anni tempore, seu ver sit seu æstas, autumnus aut hyems, nunquam ibi cælum nubibus obtendi, nunquam stillam pluviae cadere: igitur ne tota regio in solitudinem & steriles arenas vertatur, exundante ubertim Nilo, etiam venturæ præbabit siti, & ad usque viscerum intima, quam potest, humoris tesc copiâ

copiâ implet; siccitatis præscia, quam toto de-  
inceps anni cursu tolerabit. (R) *Hunc nobilissi-  
mum amnem*, ait Stoicus, *Natura extulit ante hu-  
mani generis oculos; & ita disposuit, ut eo tempore inun-  
daret Aegyptum, quo maximè usta fervoribus terra, undam  
altius traheret, TANTVM HAVSTVRA, QVAN-  
TVM SICCITATI ANNVÆ SVFFICERE POS-  
SIT.* Parémne avaritiæ, ut ibi naturæ, provi-  
dentiam reperire est in multis: qui, ubi Causa  
ipsis discutienda aut judicanda obtigit, agge,  
res & valla erigunt ad eam sibi retinendam,  
haud secus, quām si ex eâ solâ, ut Aegyptus  
ex Nilo; aut melius loquendo, tanquam ex  
fundo in usum fructum concessso, vietum sibi  
in omnem vitam quærere deberent? Et ta-  
men quām multas similes in manu jam ha-  
bent, totum inde adipem pro se exprimentes?  
Verūm ut de Parthis, arcu & sagittâ longè  
nationes omnes prævalentibus, Justinus scri-  
psit, (S) *carne nonnisi venatibus quesitâ vescuntur;*  
*ita quibusdam nihil sapit, quod domi suæ na-*  
*tum est; quatenus proprio parcentes, in alie-*  
*no gulosi sunt: venatu placet vivere; quod sa-*  
*pidiora videntur, quæ rapta sunt: & hæc eo-*  
*rum ferina est, miserorum illorum viva caro,*  
*quos discerpunt & exenterant.*

Ita unus hanc artem condocet alterum:  
*me quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuo-*  
*sus.* Haud dubiè li quod unquam, illud certè  
sordidissimum ac fætens portorium fuit, quo Ro-  
mam Vespasianus oneravit, (idque Suetonius  
T 5 dicat)

dicat ) (T) vettigal ex urinā commentus. Et quidem Titus eius filius , ut erat animo magis generoso, urbano, & verecundo, exosus tantam sororium vilitatem , cæperat apud patrem de inauditi tributi indignitate conqueri ; ex quo nunquam possit tantum quæstūs existere , ut non millies plus vituperij sit redundaturum. Tacuit ibi Senex , & postea consequentibus aliquot diebus , aliorū sermone deducto , quoad allatâ primâ fædissimi mercimonij exactione , Tito pecuniam monstravit , nihil significans , unde ea venisset : sed manum ex ea implens , filij naribus admovit , odorari jubens , num quid fædi oleret ? num pectus tibi , aut stomachus obluctatur ? inquiens . neutinquam , respondit Titus . Tum , scias , subinfert Vespasianus , hoc aurum ex illâ , quam tu tam male olidam fætentemque vocitas , gabellâ esse . an ignoras , simum vitibus substerni ? at ubi eius succo istæ se repleverint , inde tu vinum trahis . quo dicto jussit pecuniam ad alios suos thesauros inferri ; neque destitit id tributi , quoad vixit , exigere . Sed nolim ego hoc responsum vel minimum subagitare : veritus , ne parum tolerabilis sit futurus , quem exhalareret , fætor . interim tam horrendas proditiones , calumniosas accusationes , tam saepe venditum pudicitiae florem , tot perfidias maritales , & manus tam in scribendo falsas , quam in jurando sacrilegas , illas innocentum oppressiones , fortunarum extorsiones

ones & rapinas, sub judicij & sententiæ latæ titulo palliatas, & quidquid aliud venaliūm flagitorum Cloaca isthæc Maxima aperit, non fætere illi, qui jam collo tenuis intravit, ne miremur: quando objecta naribus pecunia, quæ inde trahitur, non modò stomachum nullâ scelerum graveolentiâ oblædit, sed lucri etiam fragrantîa refocillat; uti quidem infelices illi putant: & Satyricus ex ore infamis sui sæculi affirmavit,

“(V) *Lucri bonus est odor ex re  
Quâlibet. Illa tuo sententia semper in ore  
Versetur, Dis atque ipso Iove digna Poëtâ:  
Vnde habeas, querit nemo; sed oportet habere.*

Sed longius ultra ea quæ haetenus diximus, antiqui procedunt, adjungentes, abusum Jüstitiæ non raro in manifestas rapinas transire. Quæ culpa quamvis fuerit sceleratissimorum illorum temporum, ab Augusto deinceps per multos annos, propria; (non quasi jam prius non incognita; certe tamen non ita, ut i post, continuo usu vulgata) nihilominus utile fuerit audire, quibus abominationibus & lamentis ea jam tunc exagitata fuerit: brevitatis tamen gratiâ non aliter, quam si ea omnia in unius Velleij Paternuli calamo rese dissident; quamvis iste jam sub Imp. Tiberio vixerit, neque infinitum illud miseriarum chaos viderit, quod posteriora tempora, & ipsas pæne Dionis, Suetonij, Taciti, plenas horum scelerum historias fædavit. (X) Postea, ait ille,

id

*id quoque accessit ut sevitiae causam avaritia præberet; & modus culpæ ex pecunia modo constitueretur: qui fuisset Locuples, fieret Nocens: sui quisque periculi merces foret: nec quidquam videretur turpe, quod esset quæstus.* Sicut fit de rebus omnem atrocitatis modum supergressis, nunc jam facilè fidem audientium inventuris, ut ex saepius, & varijs modis idipsum significantibus renarrantur; ita ille super eadem re complures loquendi formas unam in periodum accumulavit; pro catalogo ingentium accusationum, innocentii servire indicem magnarum, quas habeat, facultatum: quam dives sit, tam item convinci & nocentem esse; ob quod ad lentam calamitosi exilij mortem mereatur condennari, in aliquam Archipelagi rupium deportandus: quantas opes quis habuisset, tantas & causas habuisse, cur ad fiscum raperentur; quasi ipsæ pro jurato testimonio fuissent, hecum id omne commisisse, quod potest, qui pecunias habet. itaque sicut Arbiter ille de infamibus Neronis delicijs cecinit;

*Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum.  
Hostis erat:*

Ita, ut cui viscera de corpore traherentur, sat causæ erat, plenum auri fuisse: neque aliud opus erat, ut pro reo convicto confessuque haberetur, ubi (T) *Publicum crimen fuit, Divitem fuisse.*

Et miseram sanè eā tempestate innocentiam opulentorum, si ausi essent illam in Contradi-

tradictorio testimonij & rationibus probare.  
Veniat vobis in memoriam Brenni illius: qui  
allatis jam mille auri libris, quibus Romani  
patriam & Capitolium ab fulmineâ eius ar-  
morum violentiâ redimebant, idcirco solum,  
quod isti de nimio superpondio quererentur,  
quod Barbarus auctis ponderibus exigebat;  
cum terribili vultu ac gestu frameam de vagi-  
na produxit, novumque pondus prioribus  
adiecit, auro rependendum, non sine gravis-  
simarum duarum vocum auctario, *ve vici!*  
(Z) ita miseris innocentibus vel suspirasse ad  
conspelum fortunæ suæ, quæ tanquam reos  
subito ad extremam egestatem dejecerat, tali  
superpondio constabat, quod toto asse majus  
foret; hoc est, carnificis securi in collum ful-  
minatâ. Videamus hoc in illo (A) inculpabi-  
li Equite Q. Arbelio demonstratum: qui in  
illâ sanguinolenta proscriptione Syllana, cùm  
forte uno die in forum prodijisset innocentia  
suæ fiduciâ securus, ibique præter meritum se  
quoque grandibus litteris in numerâ proscri-  
ptorum notari conspexisset, inhorruit, conge-  
muit, neque manus à vultu abstinere præ do-  
lore potuit; heu me inquiens: & quid in me  
delicti est, nisi quod fundum in Albano habeo?  
Hæc una culpa est, quæ me tantopere reum  
facit. Et fuerunt hæc ultimæ eius voces: ita  
vix eas protulerat, cùm etiam cultrum in gu-  
â habuit, ob eam duntaxat novam causam  
refecandâ, quod pro tuenda suâ innocentia  
los aperuisset.

Nunc

Nunc ad exetremum restat mihi illam, ut antiqui vocabant, inter omnes Harpyiarum generationes pessimam producere; hoc est, illarum Viceconsules, Praetores, Syndicos, Judices delegatos, Thesaurarios, & Quæstores, & quæ alia dicam nomina? eorum officialium, qui ab senatu aut Principe mittebantur ad gubernandas Provincias, imponenda & excutienda tributa, revidendas fisci tabulas, habendas extraordinarias quæstiones & judicia: omnes ministros justitiae cum potestate, quæ ciuimodi hominibus dari solet; cum interim (pessimo temporum illorum fato) vix quisquam eorum esset, qui, ubi primum viam ad destinatum eius regiminis locum ingressus esset, non continuò verum esse probaret, quod Poëta de illâ, cum qua ipse profectus fuerat, non communi Harpyiarum aliquâ, sed pessimarum & majorum unâ, omnibus magis famelicâ & insatiabiliùs vorace, cecinit;

(Bb) curvis

*Vngibus ire parat, nummos raptura Celeno.*

Quapropter sicut Historicus memorat, (Cc) Scythes nominare id ipsum esse, atque turbines & terræ motus vocare; eo quod, quocunque terrarum venissent, vasta omnia & desolata relinquerent; haud aliter de istis. male augurata erat Provincia, civitas, quin immo oppidum & pagus, ubi hi comparuerant: cum aliud præsentiaz suæ signum post se non relinquerent, quam inopiam loco propriam fecisse,

&

& aliorum opes secum abstulisse: & ex quovis loco eandem Harpyiae famem adhuc totam & insatiatam asportare , nec tamen in ullo alio exsaturare posse. Itane autem laus sit, & gloria plus quam humanæ virtutis , quam Pyrrhus Magno Achilli patri suo tribuit , cum narrat , eum in Trojanæ expeditionis itinere , quacunque transisset furibunda tempestatis in morem , populorum strages , Regnorum & Provinciarum exterminia traxisse , quanta integer exercitus multorum annorum stativis non dedisset ? Talem ipsem catalogum recitat: cui per linguam Senecæ Tragædi subjunxit; (Dd)

*Hæc tantæ clades gentium, ac tantus pavor,  
Sparsæ tot urbes, turbinis vasti modo,  
Alterius esset gloria, & summum decus;  
Iter est Achillis.*

Unum solum iter? igitur necesse est , turbinis instar incesserit , quidquid occurserit , evertentis: instar terræ motûs , quoquo se extenderit , omnia cum horribili tremore succutientis , & in ruinâ dantis. Jam taliū & turbinum , & Tremorū , qui aliud non sunt quam Provinciarum exterminatores , quas vel obiter tantum , & sub visitationis titulo percurrunt ; facile esset sexcentos producere , solummodo Romanam historiam perlegenti : sed sufficiat nobis una illa Harpyia pro reliquis , Quintilius Varo : qui (Ee) *Syriam pauper diritem ingressus, dives pauperem reliquit.* Et quare , per vestram fidem , non de ava-

avaritia dicimus, malam debere eius virtutem esse, quæ tantum malorum efficiat? Ego certè non scio, quâ re aliâ id vobis explicare possim, quâm fructum rude magnetis, & ex fodinâ recens ante oculos ponendo. Ille, si modò mediocri bonitate sit, ferrum duplo aut triplo, quâm ipse sit, ponderosius ad se trahet. Quodsi illum ferro armaveritis (quod quemadmodum ex arte fieri debeat, frustra sit hîc velle describere) tantopere adstringer condensabit, & prope dixerim, multiplicabit se eius virtus, ut etiam tricies, & quadragies majus suoipsius pondere arrepturus sit, & per quam firmiter retenturus. Ita mihi videtur res se in istiusmodi hominibus habere. Armati eos potestate judicandi, auctoritate, jurisdictione, tantò fortiore, quantò magis absolutâ, cum verò videbitis, quomodo avaritia, quæ est illorum vis attractiva auri, multiplicet vires ad rapiendum alienum, centies ac millies amplius, quâm antè habebant, cùm nondum eos ferrum Justitiae robustos fecerat.

Dum ista dispergo, video non modicam istorum turbam prodire in medium, & audienciam postulare; haud quidem negandi animo, sed, quod magis novum & absolum videbitur, defendendi ac justificandi injusticias suas. Nos, inquiunt, nequaquam fas est in eodem cum alijs damnandorum cumulo numerari quando in illisquidem iusta haud dubiè, & inexcusabilis reperitur avaritiae crudelitas; in

in nobis autem meræ necessitatis effectus. Atque ut eius qualitatem causásque explice-  
mus, sinite, ut ad id verbis doctissimi Senecæ  
utamur: (F f) *Provincias spoliari, & numerarum tri-  
bunal, auditâ utrinque licitatione addici, non mirum:  
quando, quæ emeris, vendere gentium ius est.* ita ille.  
qui licet (ut verum fateamur) non ad nostram  
excusationem, sed reprehensionem potius  
scripserit; interim tamen res ita eunt: & si ju-  
stitia apud nos sub mercatu est, id èd solum fit,  
ut sumptus recuperemus, quos seu in mune-  
ra, seu pretiūn expendimus, cùm tale Offi-  
cium, dignitatem, magistratum nobis compa-  
ravimus. Quare sicut Lucianus in suis Dialo-  
gis (Gg) ostendit, quantopere Charon, ille Sty-  
gius navarchus, desideret, ut hīc suprà fre-  
quenter mundus hominibus vacuetur, sive  
per universales pestilentias orbem vastantes,  
sive cruentissima humerosorum exercituum  
prælia, annonæ difficultates, eluviones aqua-  
rum, & urbium excidia terræ tremoribus e-  
versarum; idque solum eo fine, ut ubi anima-  
rum latus depluerit, ipse ex náulo, quem pro-  
trjectu solvunt, habeat, unde Mercurio &  
censum pro lintre solvat, & pretium pro offi-  
cio portitoris: ita planè nos abunde crima-  
lium causarum esse, & civiliū cupimus, quò  
& à condemnatis, & ab absolutis id exprima-  
mus, sine quo impossibile est, ut ijs nos debitis  
exsolvamus, quibus nos infelicis Officij aqui-  
sitione oneravit. Adhæc plerumque accidit, ut

ijs in officio succedamus, qui talem in modum  
regionē vindemiarunt, ut nihil nisi succiduos  
quosdam acinos reperire sit residuum: ( Hb ) si-  
cū ad sui purgationē Rex Antigonus, co-  
ram unus. qui Alexandro M. successerunt,  
dicere solebat: illum quidem Asiam mesluisse;  
proinde sibi, cui solummodo spicas sublegere  
contigisset, incumbere, ne quam omitteret  
superstitem. Idcirco necessitate adacti, non  
inducti avaritiā, ( Ii ) efficiunt imperium, quod est  
*procuratio.*

Ita illi quidem interpretantur in eum sen-  
sum, qui ipsis sit propitius: & longius etiam  
perorarent, si vellemus audire indigna debla-  
terantes, & in alios culpam exonerantes, quæ  
tamen ipsis onerare non cessat. Quod si, nec  
sine veri colore, vellent inculpare illos, qui-  
bus suas imputant nequitias, fortè id replicare  
deberent, quod Batus Tiberio respondit, quan-  
do Imperator magno cum dolore tristem de-  
quarundam Provinciarum rebellione nun-  
tiū accepit: ( Kk ) *Vos, inquit Batus, in culpas  
estis, qui ad custodiendos greges vestros non canes aut  
pastores, sed lupos mittitis.*

A. Rutil. itin. B. Virg. l. 3. *Eneid.* C. de Infer. c.  
21. D. Laërt. in Aristip. E. in praecept. Polit. F. idem  
de Iside & Osir G. Suet. in Galb. c. 9. H. in Anul. l.  
l. 8. epist. 6. K. Lucan. l. 9. L. Iustin. l. 17. M. l.  
10. Pharsal N. Petron. O. l. 7. c. 7. & 9. vite Apoll. P.  
Nat. quæ?. præm. l. 4. Q. Val. Maxim. l. 7. c. 6. R. Nat.  
quest. l. 14. c. 2. S. Iustin. l. 41. T. in Vespas. c. 23. V.  
*Invenit.*

Iuven. Sat. 14. X. lib. 2. Y. Xiphilin. in Calig. Z. Flor.  
 L. 1. c. 13. Aa. Plut. in Sylla. Bb. Iuven. Sat. 8. Cc.  
 Niceph. Greg. l. 2. Dd. in Troade. Ee. Vellei. l. 2. Ff.  
 Lib. 1. de benef. c. 9. Gg. in Dialog. mortuor. Hh. Plut.  
 in apopht. Antig. II. Sen. l. 4. nat. quest. pref. Kk.  
 Dio. lib. 55.

## XIV.

MATERIA INS.  
 QUOMODO QUIS EX SE IPSO  
 RENASCI POSSIT MELL.  
 OR, QVAM SIT NATVS.

**S**i hæc Insula, quæ Oceanum Atlanticum navigantibus prima occurrit, adhuc eiusmodi esset, qualem se ante ducentos quadraginta tres annos primis suis inventoribus obtulit, qui violentiâ tempestatis ab suo itinere excusſi, non quæ sitam reperere, quando adhuc mundus nesciebat, num ea in mundo esset; nihil profectò videretis præter unam ingentem & densissimam silvam, facilè 80. leucas ambitu complexam; quantum nimirum totam Insulæ oram concludit. Ab infimo eius centro usque ad extremos margines, quæ mari alluitur, non erat ne pedem soli reperire, qui nemerosus non esset: Cūque tot retro fæculorum cursu (Deus scit, quot illorum) nunquam humano pede vel oculo contacta sit, nihil ibi nisi silva erat & feræ: silva tamen omni rusticarum arborum specie densa; tam grandium simul & annosarum, ut illi cæterarum

rarum abavi, circum se ex decimâ etiam generatione nepotes viderent; majores ab latere maximarum, minores ad pedes majorum: ita ut quanquam unica tantum silva esset, complurium tamen speciem præberet, secundum diversas singularum ætates, unam quasi supra capita aliarum: quippe ubi unâ quâpiam plantarum emortuâ, centum alia jam subnatæ, contendenter in eius locum succedere. Nulla tamen nisi extremo senio peribat: cùmque una vetustissimarum moriebatur, non cudebat in terram; sed fulcientibus undique alijs (tam spissi densique ordines erant) vivarum robustissimis brachijs portabatur erecta: donec sensim ramis uno post alterum putrefactis, quasi membratim procideret. Ferarum autem illic habitantium quis possit numerum inire, cùm tota silva unum modò cubile esset? quis species denarrare, cùm neque oculis intrò defigere obtutum, multò minus liberum inferre pedé liceret? Cæterum tam implicitis inter se nexibus frutetum omne coáluerat, minoribus plantarum erigere capita ob majorum vastitatem non valentibus, ut tota tellus impenetrabili quâdâ indagine sepiretur. Jam perinde ut ex procerissimis monticolis, quos grandia ossa & valentes nervi compingunt, maximi luctatores & athletæ prodibant; ita ex hac peius utique fæcundâ, quam sterili terra, & silvestri solo, si quis foret, qui cicurapdæ colendæque manum vellet adhibere, haud dubit.

dubiè māter prodiret frugum feracissima , & ad quidvis gignendum aptissima , cuius semi-ne maritaretur. Verùm aperire campos velle , & recidere tam spissa nemora , & posternere solidissimos trunco s , quos longissima ætas , & innumerabilem tempestatum injuriæ pæne ad ferri aspredinem edurârunt ; & extirpare , densissimas veprium sepes caudicésque , tam altis vagisque radicibus defixos , cui tantum animi fuerit , ut id tentare præsumat ?

Itaque non succurrebat alia ratio , quām flammis , etiam ferrum mollientibus , tantam barbariem domare . & tamen istæ propitiæ ventorum auxilio ad eruderandum immisæ , vix post emensum septennij spatium , potuere ad contrariam usque ripam pertingere : tan-tum materiæ erat , quod insatiabilem aliàs ignium voracitatem , tanto tempore & pasceret , & fatigaret . Ita quidquid vivi erat , extinctum est ; repurgata tellus , & emundata ; ipsique suis cineribus ad miraculum usque fæcunda : ita ut sexagesimum redderet eius generis , cuiuscunque semen accepisset : posseitque hodie tota Insula jure optimo maris Atlantici Hortus appellari , non minùs frugifer , quām delitosus . Octo limpidissimi amnes universam pererrant , velut ex constituto sibi rigandam sumissent ; præter inumeros minores , dulcis ac vivæ aquæ rivulos , quibus pa-sim tellus scatet . Visuntur variæ magnitudinis montes : quorum qui sublimiores sunt ,

circa pedes Cedrorum plantas alunt immensæ altitudinis; & Naxos pulcherrimi ligni, intus pæne ad rosarum usque rubedinem punicantis. Frugum venustas & sapor tantus, qui persuadeat, ex paradiſo fuisse transplatatas. Uvarum longitudini, quæ ad treſ & quater nos palmos accedunt, par vini suavitas respondet. In reliquum id repetere suffecerit, quod, qui vidit, ad memoriam ſcripto prodidit, omnia ibi eſſe; & quidquid ibi eſt, per excellentiam, aurum eſſe. Potiſſimum tamen Insulæ pretium in ſaccharo eſt, quod ab ea etiam nomen habet; & tantum omni extero cum dulcore, tum gusto præcellit, ut nescio quid melius eſſe, quām ſaccharum videatur: tantā etiam ubertate provenit, ut fama sit, quibus annis major proventus eſt, ad octo librarum millions colligi ſolitāſſe.

Nihilominus quamvis in totam aliam ab antiquâ, qualis per tot retrò ſecula fuerat, fortunatissimè transformata ſit, retinet ea tamen adhuc illud nomen, quod primò accepit, quando non aliud niſi ſilva eſſe apparuit; Madéra enim noſtrâ lingua lignum ſignificat. Neque ſanè aliter fieri oportebat. nam quoties veteris illius ſtatus, tamque horridæ & defertæ memoria, in præſentis tamque habitatæ ac opulentæ comparationem venit, incredibiliter eius gloriam adauget. Atque ea mihi quidem videtur, velut in morali ſymbolo oſtendere, quantum proſit ſui ipſius culturam ſucepi;

scipisse: quippe nullam tam asperam silvam esse, densam, & quādā naturā malignitate intractabilem, quam illa non in aliam habitudinem, morum amēnitatem, & omnis generis perfectissimarum virtutum fertilitatem posset perducere: ita ut illius pretio, omnem comparationem superanti, in videre incipient etiam ij, qui velut solo naturae ad bonum propensae beneficio, nihil rationis imperio obludantis, non restitantis, nec ad moralis disciplinæ dictata contumacis, honeste operantur; imò videntur natali quodam ac felici sidere terrenum naeti esse. quale Agriculturæ magister Columella docet optimum, esse si (*A*) *cum reddat plurimum, minimum postulet.*

Verum quod id usu ipso effecisse, parem & gloriam habeat, & voluptatem, id est utramq; incomparabilem; ( nam de modo practico id exercendi, famosæ illæ Græcorum Thermopylæ, non longè ab hinc peculiarem de eo disputandi locum suppeditabunt ) non est mihi antea demonstrandum, quām probavero, id non solum possibile, sed longè factu, quām creditu esse facilius; dummodo rem non timidè ac muliebriter, sed generosè, ardentèque aggrediāre. Et quamvis ad id probandum rationes sese offerant, & multæ, & variae, ad disputandum uberes, tamen unam solam mihi delegi magis simplicem, & ad intelligendum planam, atque ex alio prorsus generæ, quām morum: quæ tamen, nisi male  
T 4 video,

video, ad id quod intendo, probandum, non minus efficacitatis habet, quam incessus Dionis ad convincendum, possibilem esse motum progressivum, quem Zeno Eleates multis non minus ingeniosis, quam falsis rationibus contendebat ceu impossibilem demonstrare.

Natus erat Græcæ Eloquentiæ parens Demosthenes ita male ab natura instructus ijs partibus, (B) quæ ad formandum perfectū Oratorem requiruntur, (plures omnino, quam in sceptro famosissimi Jovis Elæi metallâ varia distinguebantur) (C) ut sicut olim V index solebat de Nerone dicere, eum quidem omnia alia potius, quam Musicum esse; meliorem tamen musicum esse, quam Imperatorem; ita de Demosthene liceret affirmare, eum sanè totum aliud, quam fabrum esse; magis tamen fabrum, quam Oratorem. Quo tempore primum exedram ad dicendum concedit, necessitate adactus bona sua, quæ Tutores ei perfidè involaverant, recuperandi; perinde quasi signo dato, omnium sibilis exceptus explosusque, pænè in proverbium abierat: neque aliud populo magis persuasit, quam se ad persuadendi artem minimè factum esse. Sed neque postea quoque, cum denuo in eandem arenam Eloquentiæ prodijisset, res illi melius successit: quin imò cum jam novitas hominem nihil excusaret, simulque antiqua appareret ad bene dicendum ineptitudo, populus id suum arbitratus contemptum esse, risum in indi-

indignationem vertit, passimq; digressus concionantem destituit. unde infelicem tanta vercundia obruit, ut conspectum hominum nō ferens, obvolutus caput, cursu accelerato domum profugerit; ita linguae suae iratus, quæ tam inficitè ipsi in ore stabat, ut si iterum verbulo peteret ad dicendum prodire, dentibus potestate fecerit, eius audaciam morsu præcidendi. Erat impediti oris, neque ulla contentione poterat litteram R. extundere, ut vocamus caninam; Rhetoribus maximè necessariam, & postea ipsi adē propriam. ut magno suo damno eius vim cūm alij multi, tum Alexandri M. pater expertus sit, contra quem hodiéque in famosis illis suis Philippicis latrat, ringitur, dentibus frendit, ac mordet. Ad hæc latera habebat debilia, vocem raucam, pronunciationem intercisam, perinde ut qui anhelando loqui vult, nec potest: itaque illum etiam nondum mediatâ periodo, jam spiritus & anima deficiebant, ut omnibus fastidio esset, meras sententiarum minutias preferrentem audire. Gestus deinde neutiquam laudabiles & concinni; cūm brachia fædè huc & illuc jactitando, nunc in altum ejacularetur, nunc absurdius deprimeret, perinde acsi adhuc ad paternam incudem laboraret. Alia quoque assuetudo hominem fædabat, altero humerorum in altum emicante; plane ut si excepto aliquod onus vellet: ita ut seu videtur, seu audiretur, perinde offenderet vel ocu-

los, vel aures, sensuum nostrorum maximè  
delicatos, & fastidij pronos.

Talem igitur natura Demosthenem cre-  
rat. Euge nunc qualem se ipse refecit? hercè  
tam sui diverlum, ut si secum ipso compona-  
tur, jam non plus in ipso de priore Demo-  
sthenē deprehendatur, quam de antiquā & syl-  
vestri Insulâ in modernâ Materiâ reperia-  
mus. Atenim quia ad pernoscendum Demo-  
sthenem satis est, illum nominâsse; ( ad eò ille  
notus est omnibus: & constat, Græciam, tot  
tantorūmque Oratorum matrem, non habu-  
isse illi in ullâ huius facultatis gloriâ aqua-  
lem, seu laterum firmitatem, seu vocis sonum  
& amænitatem, seu dicendi gratiam aut ma-  
jestatem, vigorēmque actionis; seu argumen-  
torum varietatem, ac rationum pondus, seu  
commovendorum peritiam affectum, & re-  
liquos veræ Eloquentiæ nervos considere-  
mus:) ostendatur potius, quemadmodum ille  
infelicia naturæ dona percoluerit: & ab uno  
tam desperato extremo, ad alterum non mi-  
nus desuperabile sit transgressus. (D) Monstra-  
batur, vivente adhuc Plutarcho (qui Traiani  
præceptor fuit) subterranea quædam specus,  
quam dicebant illam fornacem fuisse, in qua  
Demosthenes solus secum, in imo suæ domus  
se ipsum, qualis tunc erat, colliquatum, in  
eam quam postea induit, formam refuderat;  
aut verius loquendo exsculpserat: quando  
labor, quo se ille refinxit, non fuit fusorij ope-  
ris,

ris, repentinus, & unius diei ; sed diuturnus, & obstinatae prorsus patientiae, sensim per partes procedens : cum primò, quæ rudiora errant, ab se amputaret, ut in crudo marmore eminentiores assulas, non sine malleorum pondere, & validis dolabrarum ictibus : postea primum in minoribus elaboraret, ex omni parte propositæ imaginis, usque dum ad perfectum eam perduceret & expoliret. In quo studio tres integri menes transfere, quibus pedem nunquam extulit domo. & ne tam improbi laboris impatientia illum in publicum proijceret, aut relaxandi animi necessitas immemorem faceret decreti sui, monstruosum, visuque deformem se effecit, capilis per medium verticem derasis.

In hac igitur specu inclusus, velut in altero ventre, ubi reformari, & in alium omnino, quam intrarat, renasci volebat, dies totos cum majore noctis parte consumebat, ut corrigeret, quidquid in eo natura peccarat. Scabrosam illam litteram R. quam efferre antè non poterat, invenit, quomodo facilem sibi ac prorsus naturalem redderet, lapillorum ope, quos in ore tamdiu huc illuc commutabat, dum reperiret, quam parte sibilus ille crudior proveniret; quem vice illius litteræ emittebat: tum celeriter eandem, quoad posset, sine intermissione iterando, ita linguam assuefecit, ut ea per se denique litteræ illi competentem asperitatem adjiceret. Infirmitatem laterum &

& spiritū brevitatem, qui cum medijs in periodis deficiebat, eo modo corroboravit, ampliavitque, quod cum magna contentione ab imo doinūs ad tecti fastigium ascendens, interim quanta posset vocis elatione, uno hiatu longos sententias recitaret; nihil remittens, quoad absolvisset, quamvis anhelitu ob geminatum laborem intercepto, propemodum animam amitteret. Humeri exultantis assuetudinem, ut in alia materia dicam, metu puneturæ, quæ se læsurus erat, emendavit. Denique inconditas illas brachiorum jactationes, & reliquos corporis motus parum orationi respondentes, CORREXIT ANTE MAGISTRVM (E) stāndo; perinde, ut Platonicus ille Africanus ante speculum, in quod intuendo se exercebat.

Hunc in modum ex rudi saxo per suum laborem in statuam transfiguratus, dignam, quæ totas Athenas pro theatro, & mundum pro admiratore haberet; denuo de spelunca sua in publicam fori lucem prodivit. Quo in itinere, id sanè ei præferri grandibus litteris scriptum oportebat, quod de ipso postea, Tiberij Cæs. ætate, Romanus ille veterum memoriarum compilator adnotavit; (F) *Præliatus cum rerum naturâ, & quidem victor abiit, malignitatem eius pertinacissimo animi robore superando.* Itaque ALTERVM DEMOSTHENEM MATER, ALTERVM INDVSTRIA ENIXA EST. Neque hoc velim solummodo ad debitam summi viri gloriam

am dixisse; sed multò magis in eum finem, ut in tam grandi exemplo commonstrem, quid susceptæ industriae constantia valeat ad morum, suique ipsius in melius reformatio nem. Redeat vobis in memoriam ille antiquis tantopere celebratus Milo Crotoniates, homo immensarum virium, quæ illum per mille occasiones, in hoc fortitudinis genere, si ne pari gloriosum fecere. Ecce unum de multis exemplum. (G) Victor in Olympicis ludis extiterat: cùm repente cum sui ipsius statu comparens, in humeros sublatam per ingens spatiū usque è deportavit, ubi Orchestra visebatur eorum, qui tali honore digni fuerant judicati. Igitur duæ jam apparebant ejusdem corporis statuæ, una quidem de vivo marmore superbè prostans in pedes; altera ex aurichalco, adhuc Milonis ab humero pendens; utraque tamen altera alteram quam verissimam imagine repræsentans: illam membrorum molem propè giganteam; illam artuum prævalidam compagem, illos Musculorum colliculos, & humerorum robur, & heroicum pectus, & ardorem vultus, & spiritum ex toto corporis truncō promicantem. Itaque nuspian ille incessit vel sibi ipsi gravior, vel levior: quando se ad gloriæ culmen efferre, ut ille tunc fecit, res magni laboris est, & ponderis; & nihilominus verum est, nullum pondus levius esse, quam gloriæ: nam quantumcunque pati necesse sit, ubi quid

quid feliciter evenit, illa id omne leve, & propè dixerim dulce reddit, quidquid in præsentiarum mali adest. Verum quid laudis & gloriæ in hoc Milonis factò magnopere miremur, cui id ipsum fuit vel se portare, vel taurum? nam & aliás ad ostentationem virium suarum, taurum in humeros sustulit, per grande spatiū detulit, depositum ictu pugni in frontem excusī mactavit, & intra diem solus devorare potuit. Non igitur ea magni nominis virtus fuit; imò ne hominis quidem, sed bestiæ, & magnæ quidem; quanquam Elephanto necdum conferri posset.

Illa vero Deinosthenis, se ipsum, ut antè dixi, ex sua specu in forum proferentis, in alium modò hominem ex se ipso renatum; & ex rudi garritore, qualis prius fuerat, balbo, & peius quam muto, repente in perfectissimum Oratorem propriâ industriâ conformatum; non est istud demum pro majori gloriâ habendum, quam si multe labore sibi ipsi proprijs manibus laudatissimi Chalybis, optimæque temperaturæ gladium (qualis profecto egregij oratoris lingua est) procudisset? in eoque scienter tractando se tam mirificè eruditisset, ut jam nulli pugilum de palnâ concederet? Factumne aliquod gloriâ, an reprehensione dignum sit, inde judicandum, quo fine id sit patratum; num ut ab fideli Equite, an ut ab venali percussore; in tutelam, an injuriam æquitatis; ad aperiendam, an opprimen-

mendam veritatem & innocentiam? Igitur suos sibi mores ad recti normam reformare; & ubi naturae pravitatem, vitiosaque inclinationes animadvertis, citharae male concordantis similes, quibusdam passionum fidibus aut nimiò subtensis, aut praequam fas foret, remissis, adeoque plus minusve extra rectae rationis harmoniam errantibus; vosmet ipsos ad virtutis consonantiam attemperare, relaxando eas, quæ plus æquo contentæ sunt, & lentiores adducendo; eousque, ut reapse dici possit, alios vos per vestram solertiam renatos, quam à natura factos fuisse; hæc enim vero ultra quam credi possit, gloria est longè illâ sublimior, quæ ceu summa Ciceroni data est, quod humili ortu Arpis natus, suâ virtute ad summos quoisque honores Romæ conscendisset: (*H*) *omnia incrementa sua sibi debuit.*

Indignationem simul ac misericordiam meritus est bonus Seneca, quando sui ipsius oblitus, efferendo Philosophiae naturalis pretium, estimationem moralis Prudentiae, in moderandis pravis affectionibus occupatae, immisnuit. alterius contemplatione arbitratur hominem eousque sublevari, ut homine major fiat; de hâc (*I*) inquit; *quamdiu, cum affectibus collocutamur, quid magnifici facimus?* Etiam si superiores sumus, portenta vincimus. Itane vero monstradebellare, domare hydras & leones in nobis stabulantes, quia natos nobiscum, & ita coniunctos, sicut rabidi illi canes ipsis Scyllæ lateri,

teribus concreti ac inviscerati sunt ; ut p̄dīn.  
eos nec quicquam defugere laborārit, dum

(K) *Quos fugit, attrabit unā;*

Meritum non habeat , neque gloriā parem  
scientiæ, cuius, quæso, rei? unde ventorum a-  
nimi ac motus; cur mare fluctuet, & tellus  
tremat ; quæ fontium sint principia ; quomo-  
do arcus in roscidis nubibus pingatur , & gy-  
rum faciat ; qua ratione vapores in aëre con-  
densentur, & in grandinem lapidescant ; strin-  
gantur in nives , destillent in pluvias ? quod  
nimirum totum illud est , quod qui inquirat,  
in ipsa naturæ sacraria intrare censeatur ; qui  
inveniat , altissimæ ac divinæ cuiusdam sapi-  
entiæ mysteria deprehendisse videatur ? tum  
id igitur magnæ virtutis opus sit, quod deni-  
que nihil est , nisi acumen ingenij? quo fre-  
quenter præcellit animus vitijs quām maxi-  
mè inquinatus ? Et sanè ipse Seneca in septem  
illis libris , quos de hoc argumento conscrip-  
sit , vix aliud habet æstimabile extra eas mora-  
les doctrinas , quas subinde sparsim intermi-  
seet . Ut adeò melius ipse met locutus sit, cùm  
poëtabatur , quām cùm philosophabatur ; si  
quidem eum bene in sensu morali accipimus ,  
quando Herculem repræsentat monstrorum  
domitorem, ipsi etiam Junoni fornidabilem :

(L) *Quæ ferat yanni iussa violento queant*

*Nocere Inveni ? Nempe protelis gerit,*

*Quæ timuit & quæ fudit. armatus venit*

*Leone & Hydrâ.*

scili.

scilicet id, quo eius inimici unicè formidabiles erant Herculi, ubi nunc in prædam ipsi cessit, illum ipsum hostibus suis timendum facit: ut squamosa Lernææ Hydræ pellis ante pectus, jubosæ Leonis Nemeæi exuviæ in dorso, validissimi unguis, prælongi dentes, & horribilis rictus, cassidis vice caput in umbrans, adornat virum simul & armant; antea hostium eius firmamenta, & præsidium, nunc ipsius præda, & virtutis Trophæum, armatura, & vitæ munimentum; imo plus quam armatura, postea quam vel conspecta modò in eius dorso, omnibus possunt pavorem incutere. Ita planè fit (ut jam mox videbimus) cum devictis nostrorum passionum monstros; quæ victori non minus ad emolumentum serviunt, quam ad Gloriam. Jam verò ut illud Stoici refutare pergam *Quid magnifice facimus*, cùm furiosos nostros affectus nobis subditos domitosque facimus? illud ipsum suum interroganti respondeo; *Portenta vincimus*. quisquamne uspiam vi-sus est, magis magnificum, magis gloriosum ingressum habuisse, quam cùm M. Antonius per conferta populo Rom. Urbis fora triumphali cursu invectus est, quatrijugis leonibus tracto, (M) jam planè domitis, qui paulo ante indomabiles fuerant; pavidis, qui nuper terribiles; lupato parentibus, qui modò effrænes & virgæ oblique-quentibus, super his illis ferarum Regibus; incessu ad numerum dimen-so, & fracto ad compedium patientiam furore;

erigentibus quidem subinde colla, & juba  
quatiensibus, sed confessim iterum submit-  
tentibus capita; veluti ex Leone solius genero-  
sitas recordarentur, feritatis oblii; non am-  
plius silvestres, sed cicures; non inhumani &  
hostes, sed domestici & subjecti? (N) parem  
in modum ab devictâ Audaciâ & Irâ, quas in-  
ter affectiones nostras rectè Leones dicas, mil-  
lies velut in triumpho deductus fuerat Sogra-  
tes ille, qui ab igneâ naturæ suæ temperie  
præfervidus, iræque pronior, tamen non alio  
signo irasci notabatur, quam cum aspectu præ-  
ter morem placido erat, ac sereno, verbis ul-  
tra consuetum dulcibus, sono etiam vocis  
temperatiore ac submisso, & in omni actione  
comis magis, ac magis benignus. An non au-  
tem hoc est monstra edomare? an non magnifi-  
cè facere? an non superba istæc est victoria? Aut  
potest ulla major gloria esse, quam seipsum  
vincere; & eam nostri partem, quæ nobis re-  
bellis est, rationis imperio subjugare?

Ut autem nunc de voluptate quoque fatea-  
mur, ex nullâ aliâ victoriâ tantam hauriri,  
eam vel semel tantum experiri suffecerit. A-  
mericus ille Vespuclius, ab quo nomen sum-  
psit America, quanquam haud ab illo primi-  
tus detecta; cum ad quandam Anthropophagi-  
orum Provinciam appulisset classem, obla-  
tus ei fuit illorum unus quispiam, omnium fa-  
cile strenuissimus, id est maximè barbarus;  
qui trecentos ex vicinâ & hostili gente captos  
gloria-

gloriabatur suâse manu trucidasse, & in frusta  
dissectos, leviterque ad ignem tostos, stillante  
ad huc tabo devorasse. (O) Hic ipse juratus  
confirmabat Vespucio, carnem magis sapi-  
dam in mundo haud reperiri, quâm quæ ex  
hoste tuo sit, quem propriâ ipse manu pereme-  
ris: nec mirari satis poterat, Europæos huius  
dicti indignatione atque nauseâ tangi. Sapit  
illius, a jebat, minimum utiq; est eius, quod in  
illâ sapit: quod autem ex hoste oeciso maxime  
sapit, victoriae est gustus. Etenim si aper, quem  
ipse vestigaris, venabulo exceptu confixumq;  
maestaveris palato plus arridet, quâm si em-  
tus aut donatus foret, iccirco quodd ipsam qua-  
si virtutis tuæ gloriam, quam ex occiso habes,  
manducare & gustare tibi videaris; quomodo  
non id ipsum ex inimico senties, quem tibi ob-  
vium habueras, non solùm duobus in rostro  
dentibus armatum, & paratum ab te deviare,  
si tu ipsum non invassis, telo in latus defixo?  
In hunc modum barbarus ille disputabat, om-  
nium planè totius Africæ belluarum maxima  
bellua: valeat id mihi tamen ad repræsentan-  
dam illam oblectationem, quam Victoria af-  
fert pravæ alicuius passionis devictæ, exarma-  
tæ, & succisis nimiæ audaciæ nervis ante no-  
stros pedes prostratae.

Quod si præterea illa me priùs sœpe supe-  
raverat, egóque, tum verecundiâ superioris  
ignaviæ animosior, tum damnis meis factus  
cautior, nunc eam ipsam, unâque omnes eius

victorias devinco, profectò jam centies, atque amplius etiam cumulatior erit mea gloria & gaudium. De quo tametsi dicere non sit necesse, cùm per se satis sit perspicuum; tamen id volo ex eo quoq; recognoscatis, quod Romani apud se experti sunt, sèpius jam maximo suo discrimine ab Pyrrho R. profligati: quem non solum Tarentini suis auxilijs adjuvabant, sed etiam ingentes Elephanti, quos magno numero conduxerat, super omnia faciebant terribilem; animal in Italia hactenus non visum, & nec odore, nec aspectu equis tolerabile; cùm singuli non solum turrim armatis plenam in dorso portarent, sed proboscides quoque gladijs haberent emunitas, ad pugnandum ipsi quoque egregiè instituti, demum tamen hic omnis apparatus non potuit Romanorum virtutem sustinere: quos ideo solum antea apparebat victos fuisse, ut uberiorem gloriæ & voluptatis sensum referrent. Quippe Rege debellato, & ab Italìa in suam Macedoniam rejecto, Romæ tam splendidus triumphus fuit actus, qualem ab Urbe conditâ nulli fastorum libri celebrabant: (P) cùm ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisset; Tunc si captivos aspiceret, Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atque Lucanus: si pompas, aurum, purpura, signa, tabulae, Tarentinæq; delitiæ. sed nihil libentius Pop. Rom. aspexit, quam illas, quas timuerat, cum turribus suis belluas, quæ non sine sensu captivitatis, submissis cervicibus Victores equos sequebantur. Pro-

Prodeat nunc Stoicus, & vanâ indignatione, quia viribus vacuâ, contra Iram accensus, Aristotelem duello provocet, pro illâ eatenus in secundis subsidijs stantem, ut contendat, non interimi in nobis illam perturbationem debere; sed generosi Caballi in morem dominari, frænari, subigi, & ad rationis obedientiam erudiri; cùm servire sciat quâm optimè, si sit, qui bene noverit imperare. Repe-tat sanè ipsi per ludibrium (*Q*) *utendum illâ non ut duce, sed ut milite*; id est, virtutem se solâ nihil valere, nisi à vitio adjuvetur: & hominem ad agenda, quæ hominis sunt, bestiæ ac feræ alicuius, pro quali Iram habet, operâ indigere. Parùm quoque auxilij in bellissimo Cotis titulo esse, quâ exteri spiritus, & acui ingenia putentur: parum in fomitis, vitali calore pectus succendentis similitudine, quo sine anima implexis inter se manibus excors staret, ac sine viribus, ad perficienda egregia opera necessarijs; Chalybis instar, in quo nihil unquam sine igne elabores. (*R*) Evidet, per fidem vestram, subjungit Seneca, indignabundi & deridentis medius; pulchrum illum calorem, qui ab Irâ provenit; & eximias vires, quarum nervos & vigorem subministrat: calorem scilicet amentiæ, & vires phrenetici moritrientis. Ita isti nempe nugari libuit: & perinde ac si Aristotoles per Iram, cuius se defensorem professus erat, crudelitatem & furorem intelligeret, Stoicus eius fædissi-

mas proprietates, & damnosos effectus exag-  
gerat: planè velut ita ratiocinari voluisse;  
equus indomitus, effrænis, ferox, ad nihil ma-  
gis, quàm ad inferendam perniciem valet; igi-  
tur haud oportet in gyrum agi, fræno sub-  
mitti, ad obedientiæ leges condocefieri, & ad  
ea omnia adhiberi, in quibus, ubi rite mansue-  
factus est, non minùs in pace quàm in bello,  
maximas nobis quotidie utilitates solet ex-  
hibere.

A criter quondam Romæ in senatu dimicâ-  
tum fuerat, duobus Patrum auctoritate ac  
prudentia præcipuis, Catone seniore, & Sci-  
pione Nasica, in partes divisis. Litis mate-  
riam Carthago dederat, tunc felicibus Roma-  
norum armis subjugata: cùm dubitatio inci-  
disset, utrum reipub. bono expediret, eam ita  
excindi ut non solùm murorum vestigia, sed  
ne nominis quidem memoria extaret. ita Ca-  
to sentiebat. In oppositum Nasica tendebat,  
neutiquam id faciendum dictans; sed ita in-  
firmandam eam urbem esse, ut vix pedibus  
consistens, cum miseris illis egentium incola-  
rum reliquijs spectaculum de se præberet  
comiseratione magis, quam irâ dignum. Post  
longam concertationem, argumentis in u-  
tramque partem ubertim allatis, cùm pars  
una quidem plus generositatis, altera plus se-  
curitatis haberet; communi denique consen-  
su placuit, neutri adhærere; sed in tertiam  
quandam mediāmque sententiam hoc modo  
decre-

decretum : Carthago ne omnino extet, neque prorsus destruatur : transferatur paulo magis ab mari introrsum ; eoque loco constituantur , ubi situs eam non reddat expugnatu difficultem, si quando auderet denuo rebellare: (*s*) *ni-*  
*bil enim speciosius videbatur, quam esse Carthaginem, quæ*  
*non timeretur.* ita profecto res habet cum naturâ  
malè concinnatâ, quæ in arma & bellum pro-  
duxit perturbationes suas nondum subactas;  
hostiliter nos impetiit , ut Carthago Romam;  
compluribus prælijs devicit , uti Hanibal qua-  
tuor illos exercitus consulares , quos interne-  
cioni dedit. Proinde & nos exstimulatis seu  
contumeliæ pudore animis, seu malorum sen-  
su , & peiorum metu, si verè volumus, possu-  
mus eam habere in manibus, non victam mo-  
dò , & ex libitu paciscentem , sed ad nostrum  
arbitrium dedititiam. Supersit illa quidem ;  
quis enim sibi cor ab pectore evulserit , alio in  
vicem substituto? quis se ipsum destruat, no-  
vâ humorum mixturâ, & passionum, quæ ab  
illis præcipuam in operando vim capiunt , in-  
clinatione efferciendum? Igitur id modò licet,  
ut in alium habitum situmque eam transpor-  
temus , nudemus munimentis , exuamus ar-  
mis, itaque debilitemus, ut vel caput surrige-  
re deinceps non audeat, vel ubi erexerit, tam  
pronum sit illud humiliare , quam premere;  
verbo , *esse Carthaginem, quæ non timeatur.* Quan-  
quam in consideratione bonorum, quæ illi af-  
feret, qui prudenter ipsâ uti didicerit, parum

omnino est, nihil eam timendi habere: cum plures passionum, ubi ad parendum rationi assuefactæ fuerint, (quidquid tandem Stoicus obganniat) ad maximas quasque actiones, & heroibus dignas, quam plurimum conferant adjumenti. Prorsus uti in Prunis contingit, arbusto plane silvestri & immansueto. nam si truncatis ramis, unde nihil nisi infelices spinæ germinaverant, feracis plantæ surculum immiseris, ita eum stringet & complectetur, ut in unum corpus coaliti pariter succrescant; & ex duabus dimidijs arboribus, plurimumque inter se differentibus, unum totum fiat, quod totum sit miraculum naturæ. & quidem radix non mutat rationem suæ essentiæ; sed ex officio meliorem se præstat, dum humorem, quem in alimentum trahit, ad meliores usus convertit, fructificans cum fructiferis ramis, qui in eam insiti, ex eâ & vivunt, & crescunt:

(T) *Miraturque novas frondes, & non sua pomæ.*

Demus autem id ipsum de naturâ sequiùs primum factâ, sed deinde emendatâ domitâque verum fieri, quod morum Praeceptor de Leonibus, Ursis, & similibus alijs feris longo usu curatis affirmavit; ut aliquando *meminerit sui toritas mitigata*: & monstrando sensum offendæ, aut etiam graviùs excandescendo, videantur recordari, se feras esse. Accidat sanè; cur negem? & sicut Poëta Claudio, de frusto Crystalli, cæterà limpidissimo, sed semi tantum saturato, neque integrè solidato dixit; ex eo,

*quod*

aqua, unde crystallus lentissimè condensatur, nondum potuerit penitus in lapidem durari, quidpiam undæ intus interceptum hæsisse, quod etiamnum traluceat, & ad omnem motum succutiatu ac trepidet;

(V) *Non potuit toto mentiri corpore gemmam,*  
*Et medio mansit proditor orbe latex.*

Ita sanè de nobis. prodigium hercle fuerit, si qui naturâ proclivioris est iracundiæ, ita se ipsum in potestate habeat, ut vitrea bilis penitus ipsi ( liceat ita dicere ) in lapidem sit concreta; tantopere quidem, ut ne commotionem, aut ebullitionem sentiat, quæ ipsi in memoriam refricet, se naturæ impetu leonem esse, quanquam virtutis magisterio jam non aliud sui signum prodat, quam gemitositatem, studiūmque egregiè operandi. Rem sanè auditu memorabilem accipite. inter eas laudes, quas bellandi magister ille Sertorius, quam plurimas maximâsque est promeritus, forte major nulla fuit, quam quod errores suos optimè emendare calluerit: quanquam iij revere ra nō ipsius, sed legatorum fuerint, qui ardenterius quam prudentius in prælia ruentes, non nunquam cladem acceperant. sed plus admirationis, inquit historius, (X) corrigendo accepte damnata, quam adversarii Duces vincendo promeruit. Similiter vir strenuus pluris faciet, potuisse errorem suum corrigere, quam de jaeturâ dolens, inquam errando incurrit. Quem in finem representabo vobis egregium facinus, & dig-

num, quod semper corām habeatis; (ut ifa-  
mosiorum pictorum operibus contingit;) quōd  
illius quandam imaginem in vobis imitando  
exprimatis.

Comiserat de Platonis familia quispiam ne-  
scio quid delicti; sed necesse est, enorme fuisse  
atque insolens, quod sapientēm illum, aliās  
moderandis suis motibus attentissimum, po-  
truit extra se suique memoriam abripere. Ita-  
que facinorosum jubet confessim detractā  
subuculā tergum expedire ad supplicium,  
atque ipsemēt baculum violenter manu cor-  
ripuit. Verūm non ultra valuit in Platone.  
iracundia, quæ illum per imprudentiam jam  
pæne in humeros servi impegerat. Euge vide-  
amus nunc, quid Plato, ubi impetum animi  
advertisit, de suā ipsius irā statuerit. Atque u-  
tinam ingeniosus aliquis Apelles intervenis-  
set, qui felicitate penicilli in telā tam vivaci-  
ter id expressisset, atque Seneca calamo suo  
in chartā effigiavit: servum de genib⁹, dorso  
investem, capite in terram demisso, contra-  
Etisque in gibbum humeris, illo demum oris  
corporisque habitu, qualem imminens ab ira-  
to hero flagrorum tempestas extorquet: De-  
hinc l'philosophū cum baculo in pugno, & bra-  
chio in altum protenso, velut jam ictum præ-  
cipitaret; sed ultrā non magis se moventem,  
quām si statua esset, artificiosè in illum gestum  
composita; quantum quidem apparebat, vi-  
vissima; sed tamen ad agendum inanimis:

(T) post-

(r) postquam intellexit irasci se, manum sustulerat, suspensam detinebat, & stabat PERCVSSVRO SIMILIS. Ita quidem erga servum; nō æquè erga propriam Iram: quippe cuius tormentum & suppli-  
cium erat, se ipsum non commovere amplius:  
& duravit ille in hoc situ, donec fortè amico-  
rum quispiā superveniens, rogare cœpit, quid  
id portenti esset, ita quasi agendo nihil agere?  
cui Plato; Imò facio, inquit; facio: *Exigo pæ-  
nas ab homine iracundo.* Subjungit dein auctor ex  
suo: *velut stupens gestum illum sœvituri, deformem sa-  
pienti viro servabat: oblitus iam servi, quia alium,  
quem potius castigaret, invenerat.* Ita nempe erra-  
ta corriguntur cum majore virtute & gloriâ,  
quām fuerit erroris vitium & probrum.

Restat pro fine saluberrimum illud moni-  
tum afferre, ne animo viliter abjecto despe-  
remus, velut in re impossibili, vinci, & ad mo-  
dérationem flecti malignitatem naturæ posse,  
quando eam considerantibus tantum inculti  
occurrit, quod mitigandum sit; tantum sen-  
ti, quod evellendum; tantum usu indurati,  
quod quasi ligonibus proruendum; tantum  
repugnantis & obstinati, quod cum violentiâ  
superandum, ut solo aspectu deterriti, consi-  
lium deseramus & opus. Si primi Materiæ  
inventores eam nihil nisi silvam esse, tam an-  
tiquam, tam densam, tam immensam conspi-  
cati, velis retro conversis, eam potius ferita-  
ti suæ & bestijs, quibus per tot sœcula habita-  
ta fuerat, voluissent relinquere, non me her-  
cle,

cle post breve tempus eam tam delitiosam, frugiferam, omnibusque rebus abundantem, qualis hodieque est, experti fruitique essent. Non committam ego, quin, ubi ad famosas Thermopylas appulerimus, id quod paulo antè facturum recepi, ex fide proponam, quem modum in sui reformatione tenere oporteat: ac ostendam fortassis perfacile esse, quod nunc extra omnem spem esse videbitur. Hoc loco satis mihi erit, animos vobis fecisse ad aggrediendum tantij operis laborem: idque nullo alio argumento, quam propositâ eius rei maximâ utilitate. quo circa duntaxat gloriosum Hannibalis suo cum exercitu iter in mentem vobis reduco, quod ille per altissima Alpium juga emensus est, occupandæ spe Italæ animatus.

Terribilis fama Alpium, quæ passim per ora omnium volitabat, non aliter Carthaginenses percussos habebat, quam tempestatum, turbignum, & trementis soli recordatio; quibus non minùs valoris inest in nomine ad terrem, quam virium in potentiam ad excidium inferendum. Sed quo die Hannibal à Druentia movens, ad earum radices accessit, maximus ille exercitus, qui ducentem sequebatur, terrore percussus ad earum conspectum inhorruit, haud aliter, quam si non ipsi altissimas illas rupes transcendere deberent, sed istæ in ipsorum capita descensuræ essent: namque ita suspensæ in nubibus, velut propediem casuræ,

vide-

videbantur jam capitibus eorum imminere. Tum viæ præcipites & saxosæ, passim imensaë altitudinis voraginibus adsitæ; & prominentes undiq; scopuli, alter altero major, & adiri difficilior; sparsis tantum per eorum vertices informibus tugurijs, cætera inculti, augebant horrorem. Armenta quoque visebantur supra extantes clivos pascentia, macra fame, ac gelu torrida, insuper montani homines sævo aspetto terribiles, prælongis barbis & capillamento, feris quam hominibus propiores: atque in his ipsis tamen plus comitatis, quam in quos per plana offendebant. Plantæ omnes mortuarum specie liventes ac hispidæ, adeò viroris nihil habebant, ut ne frondem vivam reperires. Jam superiùs altissimæ nives; neque aliud quam invij calles, ubi fallente vestigio in dirupta ferri necesse sit, montium altitudinem æquantia. Inde tam arduum laborem non citius, quam novenûm dierum spatio terminari, donec ad jugi apicem veniatur: senos descendantibus dari; tanto majori periculo, quod viâ breviore, magisque in ruinam vergente. Adhæc meminerant continua cum montanorum copijs certamina, eos tumulos armis insidentium, aut ex editioribus locis grandes petras & saxa in subjectos, & per angustias arctè incedentes, impunè volventium. Deinde frigus, quo animantes, & in anima rigerent. major etiam in sociorum miserabili interitu coasteruatio, cum se mutuò

ceu annulsi in catenâ aut traherent in casum, aut opprimerent. Tum ascensus editi diruptique; ubi plus manu nitendum foret, quam pede: major etiam in descensu labor, in abrupta pendente, & perpetua glacie lubrico. Super hæc omnia novam viâ per solidas cautes manu & arte pandere, hoc est igni & acetorupes macerare prius, quam ferro perfodere, quam immanis ausi opus esse, tametsi triduum tantum impendio finiatur? totum hoc Rom. Historiæ Parens T. Livius pæne sub oculos calamo repræsentat; ingratij quidem Seneçæ, (z) qui tam accuratam celeberrimi scriptoris solertiam, velut inutilem garritum damnavit. Ego hinc minimam tantum particulam volo decerpere, plurimum ad id, quod proposui, servientem. Erant Hannibal's milites ab tancis incommodis laboris, famis, & sævissimi frigoris, unâ velut in scenâ ab oculos positis, ita consternati; ut animus illis excederet ad alteram ærumnosissimi itineris medietatem aggrediendam; nisi Hannibal ipse in concionem progressus, exaggerando felicitatis magnitudinem, quam propediem essent in manibus habituri, eos tantopere incantasset, ut ex eo momento haud aliter processerint, quam qui aut non vident, aut non cufant, quid ante oculos, pedesque habeant: prægressus signa Hannibal, in promontorio quodam, unde longè ac latè prospectus erat, consistere iussis militibus, Italiam ostentat, subiectosque ad ipsius mon-

*montibus*, circumpadanos campos: menia eos tum  
transcendere non Italæ modò, sed etiam urbis Roma.  
Cætera plana, proclivia fore uno, aut ad summum al-  
tero prælio, arcem & caput Italæ in potestate habitu-  
ros. Ita ille dixit; ita isti credidere: cæperunt  
que exinde se illius voluptatis fiduciâ corro-  
borare, quâ quidem nondum adeptâ, jam tal-  
men fruebantur, quatenus in procinctu sta-  
bant eius possidenda.

Jam quis vestrum audivit sibi unquam à di-  
ferto oratore repræsentari, aut in idæâ vidic  
ab Seneca Philosopho designari, aut sibi ipsi co-  
gitando ob mentis oculos posuit, qualis quan-  
tâq; beatitudo sit animi bene ad virtutis nor-  
mam contemperati, totum se in arbitrio ha-  
bentis, dominantis suorum affectuum, & ve-  
lut quoddam mare Pacificum aut navigantis,  
aut facti; nec damnati ad procellosas agita-  
tiones & naufragia furiosarum tempestatum  
illarum, in quas infelicem animum suæ per-  
turbationes coniiciunt, quando excusso ratio-  
nis fræno, suo impetu in præceps ruunt? **Quis**  
illam mentis serenitatem, quæ videtur radius  
quidam esse à paradiſo reflexus; adeò nun-  
quam, aut perraro ullæ æruginosarum cogi-  
tationum nubes eò penetrant, quæ umbram  
aliquam offundant? namque cor vitiosorum  
affectuum corruptione dissolutum, unica il-  
la lama est, quæ vapores subministrat, unde  
illæ gignantur. In summa, dum innumerí  
clausis oculis ad exitium properant, per eas  
omnes

omnes intercundi vias, quotquot mens per-  
versa habere potest, vos interim calle seculo  
planoque incedere, & praesentis voluptatis  
incredibili gustu delibutos, & majoris etiam  
in futurum exspectatione felices? Igitur ipsa  
vestra desideria, pro me vobis exponant, qua-  
les esse intus in animo velitis, ut videamini  
beati esse. Quippe hic totius viæ terminus est,  
ad quem sui ipsius Victoria & emendatio per-  
ducunt. Hic si vobis placet (& qui non pla-  
ceat, vel eminus, & confusè tantum videnti-  
bus?) ipsi vos tam jucundæ spei invitatu  
mate, & ad subeundum pulcherrimum labo-  
rem accingite.

A. lib. 2. c. 2. B. Pausan. Eliac. prior. C. Philoftr.  
in vita Apoll. l. 5. c. 3. D. Plutar. in Demosth. E. Apa-  
lei. Apol. pro se. F. Val. Max. l. 8. c. 7. G. Pausan. in  
Eliac. post. H. Vellei. Pat. l. 2. I. Nat. quæst. proem. l.  
2. K. Metam. l. 4. L. in Herc fur. M. Plin. l. 8. c.  
26. N. Sen. l. 8. de ira c. 13. O. Americus Vespucc. in  
relat. P. Flor. l. 1. c. 18. Q. l. 1. de ira. c. 9. R. ibid.  
l. 3. c. 3. S. Flor. l. 2. c. 15. T. Epigram. de Cristal.  
V. Plut. in Sertor. X. l. 3. de ira. c. 12. Y. Nat. quest.  
pref. l. 3. Z. Decab. 3. l. 1.

MIT Y,

## MITYLENE.

STULTA CIRCA VITÆ CONDITIONEM ELECTIO, LONGA PER TOTAM VITAM PÆNITENDI  
MATERIA.

**H**Æc ergo famosissima illa Insula Lesbos est: hæc Mitylene, omnium eius urbium princeps ac celeberrima: hic urbis portus ad Aquilonem, institorum convenarumque mercimonijs maximè frequentatus. Et ecce, singularē omnino humanitatem ac honorem, quo fortuna primam aedē exscensionem nostram, bene auguratam esse jubet. Tres incliti viri; Romanus unus; Græci duo; siuguli in eâ, quam profitentur, arte famosissimi; Strabo Geographus, Plutarchus Philosophus, Vitruvius Architectus; tanquam nostri itineris præscij, hac ipsâ horâ adventum nostrum præstolati essent, obviam nobis procedunt, humanissimèque ad urbem invitant: monstraturi quisq; pro se, quod exterorum curiositati putabit visu scitūq; fore jucundius. (1) Primo quidem Strabo, famosam illam, Regiamnedicam an potius Academiam Pittaci nobis ostentat, unius ex septē Græciæ sapientib; qui hic loci natus, hic philosophatus est, hic regnum tenuit: donec ingenuitate suâ indignum ratus, patriam, quam pro matre habuerat, ei pro servâ esse, ipsam Reginam coronavit; seq; eius imperijs.

perijs, ceu in catenâ, servum subjecit. Deinde solitarium æquè, ac reverentiâ vetustatis adoratum Alcæi poëtæ tugurium: cuius lyra à stili sublimitate, brevitate, parique facundia commendationem habuit, rarâ trium rerum, vix aliâs componibilium, symmetriâ. Denique jucundissimos hortos, celebratissimæ illius poëtriæ, Sapphûs; dignæ, quæ inter Musas decima connumeretur, si, non dicam Virgo, saltem magis pudica fuisset. (B) Plutarchus unicum nobis ædificium commonstrat, solennium spectaculorum theatrum; pari & pulchritudinis, & majestatis famâ; ita ut, quamvis tota Mitylene ob maxima, sumtuosissimâque ædificia videatur unum theatrum esse, nihil tamen hoc theatro suo habeat spectabilius. Nec verò putetis velim, illud rabidis ferarum bestiarum agitationibus, aut sanguinolentis gladiatorum pugnis, silvarum, & macelli negotio; sed inoccidentibus Oratorum, poëtarum, & quo cunq; alio literarum genere eruditorum concertationibus; hoc est ingeniorum flori servire, quæ ex totâ Lesbo illuc spe gloriae concurrunt, quam ij reportant, qui plus alijs scivisse judicantur. Ibi Pompeius M. laudes suas ab integro nobilium poëtarum choro celebrari audivit, pro victoria canentium; tantâ quidē sua voluptate, quod etiam in magno theatro Magnus haberetur, ut accepto secum eius iconifino, dignum putârit, ad cuius formam aliud Romæ construeret, nominis sui immortalitati dedicatum.

Sequa-

dicatum.

Sequamur nunc Vitruyium ; (C) quamquam iste ad nullum certum locum nos deducat : & quod adhuc est mirabilius, quamvis h̄ic abunde sit operum videre, ab Architectonices arte insignium, in quā ipse præcellit; de nullo tamē verbum facit; sed ante quamcunq; domum præterimus, sedulū nos auscultare jubet, quantus intrō fremitus audiatur, velut ad mortem tussientium, maximāque vi & cruciatu exscreantium : quodsi etiam sermonis vox efferatur, nullam nisi raucisonam percipi, etiam Juvenibus anginæ laborantibus malo. Medius fidius, quid hoc novæ rei est? tantūmne populum ex condicto credam uno die c̄apisse anhelosum esse ? Sed si hoc vobis admirationem ciet, eâ vos liberabit Vitruvius, majorem etiam concitaturus. Igitur si notastis, inquit, id quod frequenter per annum accidit, ut tota Mitylene uno die Noso-comium quoddam efficiatur, tot infirmos numerans, quot habitatores; scitote, vix diem alterum intercedere, ut ijdem sani sint, optimoque colore, ac viribus, & ad sua denuo negotia agenda habiles. tantæ autem mutationis unam & eandem causam esse. (D) In insula Lesbo oppidum Mitylene magnificenter est ædificatum, & eleganter; sed POSITVM NON PRV DENTER. in quā civitate, Auster cùm flat, homines ægrotant; cùm Caurus, tussiunt; cùm septentrio, restituuntur ad sanitatem: sed in angiportis & plateis non possunt consistere, propter vehementiam frigoris. En, quid non faciat

prava loci electio , in quo domum ponere , & vitam agere statueris ; ut pro locatione necesse sit grandem misericordiarum mercedem per omnem vitam persolvere : quando eundem locum deserere , in quo fundamentum posueris , & quæ est difficile , quam corrigere omnino impossibile . An non igitur digna vobis videtur Mitylene esse , ut eorum fatuitatis symbolum habeatur , qui id ipsum faciunt , quod poëta dixit ?

**C**arpo viam , sed tanquam oculis & lumine captus ;

**Q**ui nescit , quò flectar iter , quo tramite currat :

Et tamen incerto se audet comittere calli ,  
volo illorum fatuitatem dicere , quicæco quodam  
impetu acti , perpetuum quendam vitæ  
statum eligunt , quin prius naturam & condi-  
tionem eius dispiciant , nullâ boni ac mali ,  
quod ipsis inde possit emergere , comparatione  
in deliberationem adductâ .

Improvisa febris in Achaia Gallionem , Se-  
necæ fratrem corripuerat . huius ubi ille pri-  
mis horroribus se succuti persensit , exemplo  
apparari navim , & ingressus , quanquam toto  
corpore attremeret , vela ventis dari jussu  
quocunque vellent , ferentibus ; *clamitans* , (E)  
**NON CORPORIS ESSE , SED LOCI MORBVM**  
Et sanè vera fuit illius divinatio . quippe tan-  
quam febrim in litore reliquisset , ita integer  
liberque omnis mali discessit . Id ipsum quo-  
que de vitæ ratione sequiūs assumptâ verum  
est .

est. Quàm multi enim ex hinc ægro sunt animo? qui si inde excederent, hic ab Aula, ille à tentorijs castrensis, iste à Tribunali, Consilio, Prætorio, alias à mercimonijs & negotiatione, & ita ex alijs locis, confessim restituerentur sanitati. Vident id quidem, & apud seipso fatentur: sed quia ibi jam fundamenta & domum fecere, tam necessaria illis videatur permancio, quàm difficilis abitio. Sunt, qui gravem suscipiunt cogitationem, inquit Plinius, inter tam multas laudatarum vitium species, eas diligendi, quæ sint optimæ: ex quibus proinde solis per gulas vineasq; compleant: neque tamen advertunt, quantopere halucinentur: cum eos utique latere non deberet, ait ille; (*F*) PATRIAM TERRAMQUE REFERRE, NON VVAM, & supervacuum generum confessationem; cum eadem vitis aliud aliis locis pullulet. Ante omnia enim providendum est circa solum; cretosumne sit an solutum, in declivi an plano, grave an leve, umbræ an solibus objectum, pingue an arenosum, & nescio quid aliud: cuiusmodi ipsum est, talem & tuam alit. An hoc autem in vitibus, & non item in hominibus verum erit? interrogate sapientissimum illum Cyrus R. (*G*) qui à suis Persis diu multumque rogatus, ut eis regiones, quas incolebant, mutare, & à laboriosissimis illis ac montanis, ad planiora vallésque eos vellet deducere; nunquam aquiescere voluit, ut in tantum eos malum conijceret, quod tam effl

Etim sub gratiæ opinione flagitabant. Quippe id ipsum evenire hominibus, ajebat, quod plantis. robustissimæ optimæque in alpibus & petrosis gignuntur: planities, & in primis valles, succosa, debilia, & verminosa poma edificant. Similiter vivendi conditio in hoc aut illo diverso negotio, credi haud potest, quantum possit sive ad mores in naturam inducendos, sive ad bonitatem vel pravitatem moribus insinuandam.

Nam primò quorundam natura tantopere vitiorum incursionibus est obnoxia, sicut Mitylene pestiferis flatibus ventorum; & prope modum, sicut ipsa, pariter incurabilis. Galenus initio trium librorum, quos *de sanitate tuta*, inscrisit, protestatur, se neutiquam in eorum hominum gratiam scripsisse, qui ambitionis, aut *cuiusvis cupiditatis gratiâ*, negotiis impeditam vitam delegerunt, quo minus corpori curando vacare queant: & subjungit; *hi servire ultrò dominis*, & quidem pessimis videntur. Quare his optimam prorsus curam scripsisse, supervacuum sit. Nequam omnino servitus, quæ malis dominis servitur. exigit namque ita sese eorum negotijs impendere, ut nec facultatem, nec tempus relinquat cogitandi de se, aut misero corpusculo id concedendi, quod nec jumentis negatur; scilicet onus viribus commensum, & quietem laboribus necessariam: istis, ait, præcepta sanitatis conscribere tandem sit, quam surdis regulas musices tradere. An enim non longè est

est verissimum , dimidiam , ( ut quām minimū dicam ) eorum partem esse , qui cūm totis diebus neque animæ , neque Cæli , aut Dei recordentur , non aliud causantur , quām illos prægrandes & continuos negotiorum fluctus , quibus absorpti & mentem perdant , & tempus ? Evidem si illorum labores saltem honesti sint , commiseratione dignos putaverim : neque de his quidquam profabor . Quod si verò quispiam eiusmodi vitæ genus apprehendit , in quo vel ambitio per suas tyrannicas leges ad adulandum , fingendum , & duos vultus gerendos , sicuti cor geminum , ad mentiendum , ad invidendum , ad deprimentdos eos astringit , qui altius præ illis conscendere ; vel insatiabilis avaritia ad fraudes , perjuria , violentas aggressiones , dolos , ac furtua impellit ; aut juvenilis dementia ( quam magnifico nobilitatis titulo insigniunt ) ad arma & amores assuefacit ; ad hos comitatis prætextu ; ad illa sub generositatis nomine : & quodcunque demum eiusdem modi esse potest , idne arbitramini vitæ genus esse , cui quis possit salubrius ad animæ salutem , quām Galenus ad corporis incolumitatem consiliū & præcepta tradere ? Jam si isti status Mitylenæ sunt persimiles , infinitæ morborum multitadini expositæ , quanta deinde erit adversantium ventorum , id est , vitiosorum affectuum varietas , qui illis dominantur ? Verum non loquamur nunc de illis vivendi generibus ,

bus, quæ ex proposito in exitium vergunt; sed de ijs tamen, quæ frequentibus ac magnis exerrandi periculis sunt implexa.

Navigantem, & animam suam ventorum arbitrio committentem, aut necesse est, aiebat Sophocles, egregiè stultum esse, aut vitæ suæ contemtorem, aut desperatum, qui de industria viam quærat quàm facillimè pereundi. Et quomodo eam non reperiat? inquit Xenocrates, (*H*) dictum quoddam Biantis referens; quando qui in mari est, neque vivis potest adnumerari, cùm sit in manu mortis; neque functis, cùm à morte adhuc quatuor digitos distet, quos nempe navis lata est. Unde melius est, dicebat Antiphanes, egenitatem in terra esse, quàm opulentum in mari: & quamvis qui navigat, ætate adhuc sit juvenis, viribus robustus, maximisque effertus divitijs, auri montem aequantibus, quamdiu tamen in mari est, neque vita eius horam unam valet, neque eius opulentia seftertium. Audiamus & Stagiritam: Trium delictorum reum me profiteor, ac jugi pænitentiâ ducor: quod secretum quidpiam fæminæ crediderim, velut persuasus, posse me ventum reti concludere; quod vel unum diem in condendo testamento protelaverim, temporis mihi spatiū pollicens, quod sciebam mihi haud in potestate esse, vel retineri posse: & quod mari iter fecerim, cùm terrâ potuissem. Quod si auctarij loco etiam Stoicum audire placet,

mortis

mortis alias jactantissimè contemnentem, tunc quando de navigationis adito discrimine cœpit cogitare, (1) quid non potest persuaderi mihi, inquit, cui persuasum est, ut navigarem? Perinde ut si pelago se credere, omnium temeritatem maxima sit; ideoque minimè omnium debeat posse hominibus persuaderi.

Equidem multum ijs debemus, qui singulari omnino prudentiâ ita de ijs pronuntiarunt, qui, cum aliter possent, maluerant vitam marinis periculis objectare: ego tamen omissâ inter vivendum & navigandum comparatione (quod superiùs ad Caput Bonæ Spei abunde fecimus) nunc vobis inconsultam illorum proterviam propono, qui se ad quendam vitæ statum, gravibus expositum periculis revinciunt; neque antè considerantes, se non in fabulosam quampiam Argo intrare, cuius tabulæ ex Dodonæis querubus excisæ, sicut ab vicino oraculo cum humana voce etiam divinandi spiritum fortitæ erant, argonautas omnium, quæcunque instarent, periculorum præmonebant, Fortunæ se permittunt; hoc est eorum more procurrunt: quæ res qualem denique exitum habeat, dum principia quidem illectant, sed progressus obstrictos tenet, & finis nullum pænitentiæ remedium admittit, quæso ut ab Seneca accipiatis, qui id in uno ex maximè conspicuis humanæ temeritatis exemplis, egregiè vobis, tanquam in scena repræsentat.

Jam pridem, ubi ad Cataractas Nili accesseramus, horribilem illam undatum faciem ac tumultum, oculis auribusq; perceptis, quando ingens illud flumen ex altissimi montis faucibus, in profundissimæ voraginis abyssum præcipitatum, prope ad casus sui mensuram sursum resultat, spumeoque fluctu in tantam effervescit tempestatem, quæ nec in procello mari horribiliorum videre sit. In ijs montibus Æthiopes incolunt, qui nullo alio fine, quam ut se homines esse ostendant, tale fortitudinis specimen exhibere solent, quod nulla etiam ferocissima bestia auderet. In trant fortem duo levem phaselum, inclinatis corporibus propemodum absconditi: unus gubernaculo, alter remo attendit: & in superiore Nili parte alveum ingressi, secundo flumini se permittunt; qui eos aliquamdiu leniter, velut ob lectamenti gratiâ deportat: donec ubi intra angustias rupium arctatus, ac perpetuo saxonum objectu cursum morante tumidior & vorticofus, turbidum & indignantem evolvit amnem, tanto velocitatis impetu, ut occulorum quoque aciem obtundat. Inter haec ad horibile illud ostium provecti, unde Nilus in apertum effusus, ad scopuli radices usque in subjectam planitatem excidit, ipsi quoque fupini proruunt,

(K) *Et cum toto flumine effusi, navigium ruens mattemperant. Qui eos videt toto pondere cum navicula præcipitari stantes (quippe propter terram.*

ram respicit, puppi ad cælum erectâ) & eâdem cum amni violentiâ subter aquas in profundæ voraginis hiatum, quem aquarium impetus aperit, intrare, eos pro submersis absorptis que habebit: cùm interim, ubi oculos ad inferiora deflexerit, repente eos longè isthinc conspiciet, ab Nilo ceu fundâ denuò in altum ejecitos. Hoc experimentum omnes utique numeros habet absolutissimæ dementiæ: ut tamen etiam partem, quam continet, prudentiæ, non cœlemus; nemo illorum se discriminî permittit, quin prius & periculi magnitudinem secum expenderit, & animi vires, quo me hercule opus est, longè robustissimo; & dirigen- dinavijj peritiâ, quâ confidat se posse de periculo evadere. Quod si quis torrentem ingrediatur, ed solum, quod videt illum impræsentiarum ad genij sui vota secundum decurrere, neq; ulterioris prospiciat, ne forte ad quoddam præcipitium, aut ineluctabiles vortices impellatur, quo in calu neque animi satis habeat, nec prudentiæ; putatisne id eiusmodi facinus esse, quod vel micam cerebri & humanæ mentis sapiat? Sic planè errat, quisquis inconsulto eam vivendi formam arripit, cuius per omnem vitam incassum pænitendum sit.

*Quis te in voluntariam aulae servitutem compegit? quis ad pericolosam belli aleam; quis ad tale literati viri officium; quis ad mercaturam; quis ad pervagandi huc illucque mundi curriculum; quis ad procurandas di-*  
*gnita-*

gnitates, eminentiam, imperia, honorum fastigia, tam lubrica, quam excelsa? Priusne cum vestris cogitationibus fecistis, quod prudentissimi Athenienses cum filijs suis usitabant? quos priusquam ad aliquod negotium applicarent, per urbem circumductos, vide-re omnia, & attentè considerare jubebant, expositis in utramque partem boni malique rationibus; quid utilitatis subesset, vel detri-menti aut id potius egistis, quod veterum aliqui de Cometis asserebant, prorsus sine regu-la circumvagantibus; eos ire, quæ pastum igni suo inveniant, (L) *INVITANTE MATERIA, non itinere?* Proinde quomodo longè aliter agere oporteat, ex Seneca intelligite, sub pru-dentissimæ comparationis simulacro id docente: (M) *Si quis Syracusas petenti (scribit ille ad Marciam) diceret; omnia incommoda, omnes voluptates futuræ Peregrinationis tuæ antè cognosce; deinde ita naviga:* tum has atque illas exponendo prose-quitur. Primùm quidem intuere maximam illam Siciliæ Insulam, nunc vicinam, olim continentí adhæsisse Italiam: sed maris irati fævitia tam diu in eam insultando arietaverat, donec divulsis inter se terris, angusto transitum freto aperuit; & *Hesperium Siculo latutus abscidit.* Videbis etiam fabulosam Charyb-din, placidam illam ac mansuetam, quamdiu Austri silent; qui ubi vel modicè aspirare oc-cæperint, tum illam in furias ire; & in se ipsam reciprocando, tam vastam aperire suo in sinu vora-

voraginem , cui non solum naves , sed mare ipsum ingurgitet . fontem quoque Arethusæ aspicies , Poëtarum carminibus celebratum : qui de fundo maris scaturiens , in largam liquidissimi liquoris venam ebullit : cuius aut tam amans est , aut avarus , ut non ultrà diffusus , undas suas circum se in stagni modum , circumfuso licet æquore , dulces & intemeratas conservet , semper & limpidior aspici , & purior ; sive ibidem origines suas habeat , sive ab Arcadiâ usque , per tam longinquum spatiū subter terrarum mariūmque dorso evolutus , ipsā in amaricie dulcem , & inter sequiores aquas incorruptum se conservet , nec peregrinis confusus , nec alienas admittens . Postea in Syracusano sinu portum spectabis , cui comparabilem nec natura , nec artis ingenium habet . tenuis pro receptu bellicarum classium ostendit : semper non minus tranquillum , quam securum , nullā seu pelagi , seu ventorum tempestate eius malaciam perturbante . Tum altissimos urbis muros , ante quos tota Atheniensium potentia contabuit : & famosum illud vivi carceris septum ; qui depresso in immensam altitudinem saxo , intra montis imavisca innumerabilem miserorum multitudinem cludebat : & laxiorem ipsius urbis pulcherrimæ ambitum , quam multarum ditio & fines sunt : & tepidissimas hyemes ; neque unquam diem ita nebulis inumbratum , ut eam Sol ridente vultu , saltem per nubium rimam

mam aliquam non aspiciat. Et hæc de bono dicta sufficient.

Prodeat nunc etiam de malis eiusdem Urbis oratio. Primum quidem æstas, quæ immodicis caloribus eam regionem succedit, variisque morbis reddit obnoxiam, rependit hiberni temporis beneficium, mirâ locum salubritate perfundentis. Ad hæc Dionysius Tyrannus, publicæ libertatis, Justitiæ, atque legum exterminator, regnandi avidus, etiam Platone audito; & vivendi non satur, quamquam regno patriaque amissâ. Quid ibi nisi ferrum, & flammarum, & ubique sub oculis cædes aut levibus ex causis, aut etiam nullâ? hos percuti, illos mutilari, alios occidi: & amores denique Tyranni infamissimos, ipsis odijs nequiores. ista Syracusis reperies, ista exspectari à Dionysio debent. Hæc ubi Philosophus edixerat, confessim subdit: (*N*) *audisti, quid te invitare possit, quid abstergere. Proinde aut naviga, aut refiste.* Atque hoc solum ad meum propositum sufficiat: cæterum enim ille deinceps cum ingeniosâ contrapositione ad procreandos filios, aut matrimonio abstinentum applicat: cuius rei quanta bona malâve in nos redundant, omnium optimè parentes nostri quotidianis experimentis noverunt.

Ego autem utilius, credo, id intelligam, quemadmodum circa eligendam sibi certam vivendi conditionem decernendum sit, propositis primò ijs omnibus, quarum aliquam ample-

amplecti quis posset : atque ut una conferri componique cum alterâ deliberando possit , singularum commodis & incommodis in me- dium allatis, securitate & periculis; quantum in eâ veræ ac solidæ bonitatis , quantum falsoe & apparentis deprehendatur : atque ita pru- dentis Navarchi more progrediemur , qui cùm ignotum hactenus portum accessit, neu- tiquam plenis velis, totaque ventorum con- tentione per ostium intrò se coniicit , stulta credulitate solam maris fallacem superficiem auguratus ; sed contradicis paulatim linteis , quam leptissimè adrepit , bolide interim fun- dum explorans , num quæ forsitan arena late- ant, ubi adhærescere navigium possit; aut cæ- ca scopulorum, quibus impingi ac rumpi. Idq; duabus de causis nautæ faciunt , sanè perma- gnis , & tantundem securitatis præstantibus, quantum timoris: scilicet ut & damnum effu- giant, quo majus esse non potest; & famæ pro- brum , in exemplum immortale inexcusabilis temeritatis eos proposituræ , si in ipso aditu , & brachijs portū ad hospitium invitañtis , per tam socordem incogitantiam naufragan- tes , pro eo ut in terram exscenderent , pro- fundo mergerentur.

Neque dubitari potest , cùm , qui certam vitæ conditionem parat eligere, si prius sibi co- rām proponeret angores, pericula, ærumnas, casus & exitia , atque ex adversum serenita- tem animi, securitatem , quietem , tranquilli- tatem,

tatem, & felicitatem, quæ hoc aut illud vita genus comitari solent; pro consultrice ad prudenter eligendum, fore sibi experientiam assumturum, quæ ex æquo sapientibus & stultis optimam se rerum humanarum magistrum præstat. Qui locum habitationi salubrem inquirit, ubi aër sanus sit, & aquæ bona; eum jubet Palladius adhæc signa attendere animum, ad sanitatem, robur, vividum colorem, longævitatem incolarum; si tardè senescant, & prosperam adhuc ætatem degant.

(O) *Hec, atque his similia si apud incolas pro maiori parte constare videris, nec de aëre aliquid, nec de fontibus suspicere.* Id ipsum dico de vivendi conditionibus sentiendum. Ex bonis aut malis qualitatibus, quibus communiter præditos videamus eos, qui in tali conditione aut officio versantur, licebit de ipsâ judicium capere minimè fallax. Illud quoque prudens M. Attilij Reguli consilium adjunxero, ab Columella annotatum;

(P) *Fundum, sicut ne secundissimi quidem soli, cum sit insalubris, ita nec effati, si vel saluberrimus sit, parandum:* quod ad meum scopum tantundem est, ac dicere, stultè illum eligendo facturum, qui ad talem conditionem applicet animum, quæ præter bellam apparentiam utilitatis nihil afferat; stultissimè, qui eam sectetur, quæ, cum corpori quidem serviat, animæ tamen pernicioſa sit.

Proinde ut res prudenter agatur, priu-  
quam aliquod stabile vitæ genus aggredia-  
mūr,

mur, in hanc considerationem utilissimè partem aliquam illarum cogitationum impendemus, quas postea, ubi id ab nostra opinione totum esse aliud deprehenderimus, plurimas frustra expendemus in modo duntaxat, viaq; reperienda, quâ nos ab molesto labyrintho expediamus. Quare cupidatum impetus maximè suspecti sint: quæ quò ardenteres sunt, tantò minus etiam consilij, fræniique patientes. In nostra rep. (monet Plato) nemo sit, qui ad uxorem ducendam provolet, quam super convivio cæperit deperire, quando semiplaus vino, semiebrius amore, nec sui, nec mentis bonæ compos est: quin potius ex opposito, (Q) sponsum ac sponsam maxime mentis compates esse oportet; cum vitæ non exiguum sortiantur mutationem. Fortè ad honorum & officiorum Apices, ad imperiorum dignitates captandas immoderatior lubido voextimulat, & dulcedo quædam se supra alios in splendore, & sumorum sceptrorum vicinâ videndi, mundi gubernaculis admotum: neque tamen perpenditis, ægrè vos lembi modum implere, in onerariæ ministeria subligati, cuius ille vestigia non nisi remulco tractus consequitur: & audetis cum misero illo bipalmari vetro flammeolo velle in intempestuosi Oceani duellum profilire, velut ad paucorum illorum felicium Navarchorum invidiam, enavigati terrarum ambitus trophyum erecturi? Quid autem hic eveniet, nisi quod in alio, simili tamen

itinere , Phaëthon improviso accidit, de quo posteris flamma nihil amplius, præter nomen, in exemplum temeritatis reliquit: neque ego ad præsentem instructionem aliud memorabo, quām quod poëta de ipso prudenter latè pronuntiavit:

(R) Vitaret Cœlum Phaëton, si niveret . & quos.

Optārat stulte , tangere nollet equos.

Ita planè in omni aliâ specie negotiorum. pro-  
in cavete , ne historia fiat de vobis , quod Plinius junior de ineconsideratis quibusdam ju-  
venibus fabulatus est : qui vineas, prata, hor-  
tes , fundos coëmunt , quorum non modò  
qualitates planè non perlustrârunt , sed ne si-  
nes quidem eminus aspexerunt : quos ubi po-  
stea instar infelicis deserti steriles reperere ,  
quoties ad eos revisunt , toties sibi videntur  
effætum illud solum , & emortuas veterésque  
plantas , & squallidam exuccámque humum ,  
& emaciatas vites increpantes audire ; ecce  
huc ad nos adspice ; & quām stultus fueris ,  
nunc saltem vide. Hic tuarum opum fructus  
est: nunc i, & femora tibi plaudere: ac serūm  
pænitendo, nos fructuosas fac , si potes. Ita sa-  
nè est : (S) Mala emptio semper ingrata est, et maxi-  
mè , quod exprobrare stultitiam domino videtur. (T)  
Rectè igitur Pythagoras primo inter pruden-  
tes loco eos collocabat , qui per se ipsos novi-  
fent meliora amplecti : secundo , qui id fa-  
rent alieno malo eruditæ : pessimos dicebat in-  
consultos illos mortales esse, quin ea priùs vo-  
lunt.

dant pravæ electionis errorem agnoscere, quām eius infortunia malo suo experian-  
tur. Quæ si mutationem haud amplius indul-  
get, tum utique cassa erit poëta consiliatio;  
et Quide viâ erravit, citò relegat viam.

Quam, quibus id facere adhuc est integrum,  
utique prudentissima Anaxandridæ responsio  
satis innuit: qui cùm rogaretur, eccur tanto  
tempore Ephori (qui apud Spartam summus  
magistratus erant) morarentur quosdam ma-  
defactores digno supplicio condemnare; (V.)  
quia, inquit, **NON EST CORRECTIO ERRORI.**  
A. *Geograph.* l. 13. B. *in vita Pompei.* C. lib. 1.  
D. *ibid.* E. *Sen. ep. 104.* F. lib. 14. c. 6. G. *Plut.*  
*Antropht.* H. *in Axiocho.* I. *ep. 54.* K. *Sen. nat.*  
l. 4. c. 2. L. l. 7. c. 21. M. *Consol. ad Marci.* l.  
17. N. c. 18. & 19. O. lib. 1. c. 4. P. *de Agricult.*  
L. 1. c. 4. Q. *de Rep.* l. 6. Athene. l. 10. c. 10. R. *Ovid.*  
*Trist.* l. 6. El. 1. S. l. 1. ep. 24. T. *Iamblic.* *in vita Py-*  
*thag.* V. *Plut. in apopht. Lacon.*

## XVI.

## CAPREÆ.

VITAM MAGNORUM HOMI-  
NUM, EO IPSO QUOD MA-  
GNI SVNT, ABSCONDI NON  
POSSE.

QVEM RUPES CAPREARVM TE-  
TRA LATEBIT  
INCÆSTO POSSESSA SENI?

Ecce; hæc est illa ipsa. Scilicet rupes  
ma-

mari circumdata , tribus circiter leucis ab amoenissimo Surrenti Promontorio diffusa : incomposita ; nec facile oculis discernas, fabrica sit, an ruina ingentium saxorum, quæ mutuò sibi super caput scandentia , usque ad stellas horridum levant caput. quippe ex præruptis, & ascensu impervijs scopulis ingentes humeros ostentans, & per omnem , quæ circum patet , ambitum latè eminens , meritò videtur Rupes Desperatorum appellari posse: ita nusquam vel apex, vel supercilium aliquod, aut verruca montis apparet , cuius altitudo non tanta sit , ut qui inde præcipitet, certò in frusta comminuendus sit , aut in imâ pelagi, quo Insula undique ambitur, abyssò sepeliendus. Si natura de industria locum describere voluisset , solitudini tantùm , & nullis humanis negotijs aptum, quòd in exilium ex toto mundo vitia quām securissimè relegarentur , non alium sānè melius quām hunc ipsum designare debuisset ; (B) quodd uno parvoque litore Insula adeatur , septa undique præruptis immensa altitudinis rupibus, & profundo maris. Atque me hercle , illic vitia abièrē; non quidem in exilium, sed in loco naturā deserto , contra naturam, paradisum delitiarum plantatura. Illuc omnia in se uno collecta , rancidus ille senex Tiberius importavit: qui sedecim quidem sacerulis remotus , etiamnum tamen mundum fætore nominis sui incæstat. Seianus eò hominem pelleixerat ; imò blanditarum corruptelis plane

nè compulerat: quo suo fine, tunc demum aperuit, cum gloriatus est, (C) suâ quidem operâ Tiberium esse Comitem Caprearum factum, se verò Imperatorem Romæ. Ibi potentissimus Monarcha, totus (D) *m luxus & malum otium resolutus*, aut melius per popularem jocum dicendo, in Caprearum Insulâ Caper factus est, Vah! qui jam antè totus bestia, spurcissimus, obscenissimusq; fuerat. Roma illum non aliter quàm leonem experiebatur; tantò magis furibundum, quantò angustius inclusum. Usq; abinde illum quotidie audiebat rugire condemnationes illustrium Senatorum ad mendicitatem, ignominiam, exilium, ferrum, venena: quando per id tempus virtutis studium profiteri, manifesta erat Principis injuria, & capitale læsa majestatis delictum. Ad hæc timidus Senex, & tyrannidis exercendæ Magister, non sciebat, quàm arte melius, quàm iteratis identidem suorum cædibus palam faceret, se vivere; & ibi quoque timendum, ubi non esset. Sed de hoc Politici viderint, penes quos Tiberius ceu prodigium prudentiæ habetur. Ego ad infames eius Capreas redeo, ubi (E) secreti licentiam nactus, & quasi civitatis oculis remotus, cuncta simul vitia, male diu dissimulata, tandem profudit: & ex eius errore, SECRETI LICENTIAM sibi promittentis, salutare documentum traho pro ijs, qui sibi, uti ille, persuadent, ubi ipsi clausis oculis alios non viderint, se quoque ab ijsdem non videri.

Itane felicit magnorum vitia unquam occulta sint? & se quisquam pro lubentia inquire sceleribus possit, simulque confidere, eas velut in solitudine amissa, aut tenebris intercepta, vel silentio conseputa, posse notitiam hominum, & publici conspectum, & aeternitatem non minus memoriar, quam infamie declinare? Vesuvius, qui non admodum longe à Capreis distat, ne millesimam famae partem habet, quantum hæc Insula habet infamie jam ab eo nigro infaustoque die, quo Tiberius in eam primùm appulsus, causam fecit, cur Roma dicere ex vero potuisse, ad scopulum allisam virtutis suæ navem esse: ita nimis exin sublapsa in profundum perijt ea gloria, quam majores eius maximis factis, fere per octingentos annos pace ac bello pariter incliti, comparaverant. Ibi continuo hæret sceleratus Senex & instar Promethei ad Caucasum, nudus extenditur sub oculis rotius mundi ad illa saxa catenis revinctus; non quidem sicut ille, tantum a poëtis ad pœnam vulturi traditus, continuo pastu jecur eius & pectus exedenti; sed Suetonius, Tacitus, Dio, & quicumque eius nefaria gesta posteriorum memoriæ conscripserunt, illæ aquile sunt, quæ secantis pennæ veris vivisque mortibus infamem eius vitam in hunc usque diem dilaniant. Quin adeò ipsa Insula & infausta rupes, olim nefariorum eius actuum secretaria, nunc in præconem mutata, cum spera-

speraretur sepulchrum fore, in quo ea per ob-  
livionem computrescerent, perenne facta mo-  
numentum, cum omnibus suis scopulis habi-  
tum basis induit, super quā omnium eius sce-  
lerum monstra vivis quasi imaginibus effigia-  
ta, ad publicum orbis spectaculum collocen-  
tur: quando jam nulla prope saxorum pars  
vaeat, cui non bipedalibus litteris incisæ sint  
illæ plus quam bestialium fæditatum memo-  
riæ, quarum illa facile minima est, (F) *Tibe-*  
*rius Claudius Nero*, postea *Siberius Caldus Mero*;  
alibi in adolescentiâ Bacchus, heic senex in  
Venerem deformatus; ex quā tamen nihil ni-  
si turpitudines habuit. Eat nunc aliquis, &  
tanquam Capreæ extra mundum forent, hîc  
libidinibus suis fræna laxet, *secreti licentiam na-*  
*dis*. qualènam enim ille secretum speret, si  
hasce imagines diligentius intuens, aut so-  
lùm intueri se existimans, in eâ se deprehen-  
det ad vivi speciem expressum.

Estne bestia ( si tamen bestiam potius quām  
volucrem dicere oportet ) *Struthiocamelus*  
*magis stolida*, & mentis inops? (G) Dicamus  
fanè de grandissimis illis & gigantæis, quos  
Ethiopia alit: qui cùm ingens corpus in aëre  
circumferant, tam altis levantur cruribus, ut  
ventre hominem, equo insidentem excedant.  
Ii tamen, sicut, ubi capti sunt, miram timidi-  
tatem ostendunt, ita in venatione persequen-  
tes summâ pedum velocitate effugiunt, ali  
quoque adjuti; ita tamen, ut navigij quan-  
dam

dam speciem faciant, quod velis non extensis  
sed vento solum permisis volitat, in utram  
que semper partem fluctuum instar tituban-  
do. Ita haec avis procurrit, donec agitatio  
vires fregit. tum enim aliam viam exorsa, ab  
ingenio mutuatur opem: & perinde acsi invi-  
sibilem se posset facere, collo ad se ipsam re-  
flexo, caput sub ala recondit, ceu rata, quan-  
do ipsa neminem viderit, pariter se à nemine  
videri.

(H) si iam vestigia retro  
Clara sonent, oblit a fugae stat lumine clausa,  
Ridendum revoluta caput: CREDIT QVI  
LATERE,

QVÆ NON IPSA VIDET.

Ita de Struthionibus Poëta: & paulo verius &  
tiam Historicus: qui cùm bestiæ molem exag-  
gerasset, subdit: (I) non minor stoliditas, in tantâ  
reliqui corporis altitudine, cùm colla frutice occultave-  
runt, latere sese existimarentur. Evidem fatuitas  
huic par fingi potest, ut tantum bestiæ frustum  
se frutice putet abscondi, quia frutice potuit  
caput abscondere? & id, quod facit, ut ne alia  
videas, itidem ut non videaris, efficere? Au-  
diant igitur id Grandes isti, quod eis sua grande-  
itas inculcat: (K) Habet hoc primum magnissi-  
tum, quod nihil teatum, nihil occultum esse patitur.  
Lapidem aiunt, in modò perempti draconis  
capite reperiri, qui hominem homini invisi-  
tabilem reddat: ea res tam certa creditur  
Philostrato, quam Poësis annulus Gygis. Il-  
lud

Iud quidern ex opposito verum est , quod simulatio , astutia , & ars technica illorum , qui se foris planè pro alijs , quām grandium observatoribus gerunt , invisibles reddat , quamdiu latitant , eos , qui nocte diēque vestiga illorum insidiosissimè speculantur ; & , prope dixeram , ipsas etiam cogitationes divinant : Quæ igitur huic par sit fatuitas , putantium , eò solūm abscondi se posse , quod eum non videant , qui ipsos videt ? cùm tamen quævis res eatenus sit visibilis , quatenus magna est ?

Eorum vitam , quos Fortuna in altum evexit , dicebat prudentissimus Socrates , ( nos melius dicemus eorum , qui nobilitatis , dominationis , regiminis , & similiūm rerum intuitu apud plebem in æstimatione sunt ) statuæ esse persimilem , in theatri umbilico supra stylobate prostantis , omniūmque oculis ac judicijs ex omni parte , prout merebitur , sive ad vituperium , sive ad laudem expositæ . Non sufficit , dicebat ille , anteriorem eius speciem bellè in oculos inspectantium incurrere , si retro aut nimis rigida adstet , aut incurva ; si pedibus brevior , aut malè consistens , cæterōve situ aut gestu non satis decente ; si totius corporis conformatione ad proportionum numeros non sit exactissimā ; si denique membrorum habitudo non correspondens , alijs muscularis , ut in heroë , grandibus extantibusque ; alijs ut feminarum , teneris ac rotundis : unde dum primi suam partem laudant , quam con-

templantur, alteri aliarum deformitatem reprehendent, audienturque dicere, sicut de celeberrimo illo Mida,

(L) *Cetera sunt hominis: partem damnatur in unam, Induitaque aures lentè gradientis Aselli.*  
 Iam inter antiquiores, quas mundus maximè respexit, séq; ipsum pro theatro, in quo spectarentur, exposuit, ull'āne magnitudinem potuit. Magni Alexandri æquare? & inter tot pulcherrimas partes, maximè illius pectus assimilare, quod tot Reges, & summi in arte-bellicâ Imp. in seipsis effigiare studuerunt; tantò meliores se arbitrati, quantò plus hâc in parte de Alessandro habuissent? At enim, quis mihi dixerit, plurēne hoc in prototypo partes ex regula perfectæ sint, an defectivæ? Nil jam dice de capite, longè supra humanum grandiore; in quo enormes illos spiritus ac desideria alebat, totum sibi Mundum subjugandi; cum ne quidem sciret, quid ipsi natura trans Oceānum, & ut cā tempestate rebantur, extra Mundum servasset. Quām monstrofa deinde brachiorum deformitas? quæ non modò nimis longa, sed malè etiam distorta habuit, & in suorum amicissimos fædè laxata: id quod *Alexandrum propemodum calo deripuit:* (36) & tres eius gloriissimas viatorias non mediocriter trium amicorum, tam indignè peremptorum, funeribus obscuravit: quando *Eymachus leoni obiectum, Clyta bestiā trahit,* *Callisthenes mortis auffusus.* Verum quod ad inflam-

art-

attinet, quæ perennare solet in vindictam  
Magnorum peccantium, eos in ipsorum effi-  
gie comburens; alibi ex occasione montis. Et-  
næ diximus. Hic, ubi de morali & Socratiçâ  
statuâ loquimur, id est, Magnos Viros sub  
conspectu Orbis stare; unde nimis fanaticum  
sit præsumere, posse se sua delicta ab tot ocu-  
lorum vigilanti industriâ celata tenere; illud  
supra poëtam sapiens documentum Claudia-  
ni lubet subnotare, quo velut ex ore Impera-  
toris Senioris Juvenem Honorium erudire  
institit:

*Hoc te præterea crebro sermone monebo,  
Ut te totius medio telluris in orbe.*

*Vivere cognoscas: cunctis tua gentibus esse*

*Facta palam: nec posse dari Regalibus unquam  
Secretum vitiis.*

Videamus nunc, an ipsorum callidissimæ ar-  
tes, & ingenij sagacitas eiusmodi abscondicu-  
lum repererint, ubi vitia ipsorum tuto late-  
rent: & ex eo, quod Veteribus accidit, posteri  
videant, quid sibi possit probabilis spei reliquū  
esse. Atenim nimis spissa est tam Veterum,  
quam modernarum Historiarum turba, quæ  
nos pænc opprimunt infinitate quādam volu-  
minum, in quibus tū oculis, tum digitis com-  
monstrat & nomina, & facta innumerabilium  
illerum imprudentium, qui in ipsâ nemorum  
Iustra confugientes, mille curis se cruciabant,  
at locum reperirent, ubi securè consultare  
possent, decernere, ordiri, & committere ali-  
quid

quid ad, notitiam & memoriam vituperabile: vano me hercle labore, dum post se fœtorem relinquebant, ipsis quidem usu nares depravante insensibilem, sed odoræ canum sagacitati mox deprehensum; qui ex uno etiam vestigio totam vastissimæ pestis seriem usque ad caput ipsum persequi sciverunt. Unde infelibus illis id postea evenit, quod Æneæ: qui in ipsis nascentis Carthaginis Mœnibus se, & quidquid Troiæ, id est, in alio pæne mundo gesserat, vivissimis coloribus expictum reperit: & quod ne quidem nomen putabat suum pervenisse, (N) ibi totam suam vitam integræ gentis curiositati expositam conspexit.

Verùm de tot tāmque notabilibus eventis, quæ se mihi in exemplum obijciunt, satis superq; sit, saltem uni aurem locūmque dedisse: quando is, qui terram navigando legit, uti nos, vel parum cessando, non parum itineris & opportunitatis perdit. Et ecce exequias funebres, quibus fortè pares Roma plurimis retro annis non spectavit; sive innumerabilem Equestris Ordinis comitatum reputes, pullis lugubrem vestibus, sed vultu verisque singultibus lugubriorem; sive Majestatem funebrium cæmoniarum, ordini sociatam; & quæ utriusque augebant decorem, lamenta commiunem modum egressa, velut non in alieno, sed proprio fato complorantium. Nec immerito; quippe Britannicus plorabatur, filius Claudijs Imp. à natura ipsi successor in Imperio datus;

nisi

nisi quod stolidus Senex, amore turpissimæ illius Veneris, Agrippinæ fascinatus, Neronem, huius filium, postposito Britannico, sibi hæredem adoptavit. Hic igitur in flore adolescentiæ defunctus, in eburneo lecto, aureis stragulis moestum refulgente, supra humeros primorum senatus Patrum effertur. Vos interim parumper contentis fixè oculis, quantum ex tam remoto licet, defunctum contuemini. Ibi cernere est pallorem illum, quem mors proprium habet; sed nescio quid vividi floris, & Juvenilis gratiæ inter malas etiamnum servantem. Situm quoque jacentis cadaveris tam habilem & amœnum, ut dormire credi possit, non fato rigere. Retinete bene animo impressam hanc imaginem, quam oculis hausistis.

Dum enim lentis ad gravitatem passibus maestissima pompa procedit, ecce subito totum undique cælum nubibus obduci, murmurare, & in frequentes erumpere tonitus, donec vix tandem medio in foro Britannicus deponi potuit; quando velut ex condicto ingentem imbrium procellâ tempesta effudit. Exoritur populi clamor, Deos ipsos, qui sibi flere nō possunt, ita ut possunt, hocce nubium diluvio acerbissimam Juvenis Cæsar is mortem deplorare. Sed vulgus neutiquam aptus Mysteriorum interpres est, nec Consiliorum Divinorum aruspex. Vos potius ad Britanicum propius admovete gradum; & continuo mirabile

rabile Veri arcanum deprehendetis. Ubi est nunc ille, quem paulo ante videramus, in vultu pallor? ubi illud, nescio quid, emortuis rosis simile, quo malarum decor subpunicabat? (O) Quin imò jam potius niger est, quam lividus; totum vultum rubidis fædè maculis consperitus; (P) horribili protus aspectu: unde tota Roma tam subitæ mutationis horrore turbata, cœpit tam manifestis sceleris notis, indubitablem Neronis fallaciam non sine execratione divulgare; qui Britannicum fratrem suum, funestissimi veneni violentiâ (ab Locusta præparati, famosissima beneficâ, & velut inter regni thesauros servatâ) peremptum, gypsi pigmento incrustari curâsset: sperans, nefando sceleri talem posse colorem oblini, ut, quotquot demum oculos mundus haberet, nunquam ad tanti secreti fundum esset penetraturus. Verùm æther, qui defuncti faciem imbris spongiâ detersit, simul benefici parricidium & fraudem nudavit.

Vah! tam infausta pingendi fingendique artificia, quibus & usus difficilis, & ætas modica, & perpetua subest infamia; quories ea jam discooperuit, & in dies aperit vestigatrix prudentum solertia, temporis sagacitas, & arbiter Deus? & nonnunquam eo modo viâque, quam nulla poterat humanæ mentis astutia providere? uti in hâc tam inexpectata pluviâ accidit, expictum Britannici vultum diluente. Et tamen tam multi sunt, quos

quos ista incrustandi ars , & falsos colores il-  
luminendi , & vultum alium aliāmque apparen-  
tiam rebus impingendi , etiamnum defectat :  
sempérque ad manum habent fallendi artes ,  
& mendacia blandimenta , veris non parum  
similia. Atenim ij omnium stultissimi sunt ,  
qui id minimè omnium credunt : qui se ipsos  
longè omnium prudentissimos arbitrati , ita  
intra se abscondunt , ut ab extrinsecō habitu  
nihil planè liceat deintrinsecō augurari : solent  
tamen sive de suis , sive alienis rebus , etiam  
non interrogati vel coacti , rationem afferre :  
cui cùm nemo contradixerit , putant plenis-  
simè fidem haberī : atque hāc una re videntur  
sibi velut sub æquitatis imagine , invisibilem  
fecisse passionis suæ nequitiam. Neque vident ,  
præterquam quodd ex se indecorum sit isthōe  
technarum & offutiarum negotium , gran-  
dem se hominibus iniuriam inferre , dum eos  
omnes præ se infantes ac bardos reputant , ve-  
luti qui nesciant , inter veram faciem & adisci-  
titiam discernere.

Proinde nemo promittat Magnorum deli-  
ctis , vel securitatem fidei à secreto , quo ce-  
lantur ; aut felicitatem ingenij ab arte , quā  
volantur. Profectò haud est illam post tot  
exempla reperire amplius : aut sanè non aliam  
ab illā Aelij Veri , qui sibi quot diebus (Q) can-  
didissima liliorum folia in novas lecti stragu-  
las consui jubebat. Cujus si aliquando vitam  
legistis , putatisne possibile fuisse , sub puris  
suis

simi floris nitore tantas impuritates abscondere? Num audistis, eum propterea mundo aut virginem esse creditum, aut honestum saltem, & non potius bestiarum aliquam longe spurcissimam? Fortuna Magnorum, dicebat Plinius Junior Trajano, non modò domos, sed cubicula ipsa, intimosque recessus recludit, omniaque arcana noscenda Fama proponit.

Auscultate; & dum ego loquor, subducamus denuo vela, ut tandem ab istâ execrabilis Caprearum rupe discedamus. Drusus, qui adhuc sub Roma felice & bonâ vixerat, architectum evocarat artis peritissimum, qui sibi domûs, quam in monte Palatino cōgitabat, extruere, formam designaret. Ubi ille loci situm consideravit, undique superiorum Palatiorum eminentiâ obsecsi, quanquam Druso operis difficultatem ostenderet, tamen promisit, ab ingenio se impetraturum, ut vicinorum oculos ab interioris domus conspectum penitus prohiberet. Dignum autem fuit & famâ, & integerrimi Viri consuetudine responsum, quod ille artifici dedit: (R) Tu vero, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam, ab omnibus perspici possit. Hoc sanè privilegium, quod Drusus sibi expetijt, Magni omnes, contra quam petant ac velint, suis habent indultum Palatijs. Stant in conspectu publico; maximo quidem suo malo, si sibi persuadent, ea Cretensium vel Ægyptiorum Labyrinthi instar, intra seipsum conclusi,

clūsa, arcanum quidquam & impenetrabile habere. Quin potius, ut Persicorum Regum tabernacula, (S) proprium sibi solem habent; etiam nocte resplendentem, & crystallo inclusum, supremoq; culmini impositum. Imò quia Viri Grandes omnium in oculis versantur, nec latere poslunt, ipsimet quidam soles sunt: quibus dici potest, quod Stoicus ad Imperatorem, suum discipulum scripsit; (T) *Tibi non magis quam soli, latere contingit:* & sicut sol, ait idem alibi, (V) *spectatorem, NISI CVM DEFICIT, non habet, ita nunquam adeò ecclipsatur,* aut tenebris involvitur Magnorum notitia, ut, tametsi fortè splendentium claritatem nemo aspicerit, non tamen infiniti sint oculi, qui deficientium obscuritatem haud perfundorè speculentur, & observent. Et quis demum eos errores manifestat? quis in publicum producit fædissima secreta illa?

(X) O Corydon, Corydon; secretum divitis ullum  
Esse putas? servi ut taceant, iumenta loquentur,  
Et canis, & postes, & marmora.

A. Claud. de 4. consul. Honor. B. Sueton. in Tiber.  
E. 40. C. Dio. l. 58. D. Suet. ibid. c. E. ib c. 40.  
F. ib. c. 42. G. Plin. l. 10. c. 1. H. Claud. in Eutrop. l. 2.  
I. Plin. l. c. K. Plin. in Panegir. ad Traian. L. in  
Acta Apollon. l. 3. c. 2. M. Metamorph. l. 11. N. Val.  
Max. l. 9. c. 3. O. Dio. l. 61. P. Tacit. annal. l. 18.  
Q. Spartan. in Aelio Vero. R. Vellej. Patere. l. 2. S.  
Q. Curt. l. 3. T. Sen. l. 1. de Clement. c. 8. V. Nat.  
quest. l. 7. c. 1. X. Iuven. sat. 9.

## XVII.

M O L U C C A E.  
 H O M I N E S A N I M O I N S T U -  
 D I A A B S O R P T I , A S P E C T U P A -  
 R V M C O N C I N N I , V S V P E R -  
 A M A E N I .

Posteaquam quatuor, si non etiam amplius, milliarium millia tempestuosí maris remigo cogitationis percurrimus, ecce sub aspeetu harum tam celebrium Helenarum constimus, quæ sui amore mundum infatuantes, pæne sedibus suis emoverunt; longius sanctum quām à Mycænis Troiani usque, tot Regibus ad earum raptum, tot alijs ad earum vindicationem accensis. Hispania & Lusitania ingenuo modo, & armis Mathematicarum rationum pro illis decertaverant, classibus & ultra invisibilem Alexandri VI. lineam, in acie locatis. Aliter omnino Angli Hollandique de ijs disputationem exorsi sunt: non alijs rationibus, nisi ferrī in manu: prætendentes, mundum illius esse, qui occupasset.

Cæterum nolite credere, me tam deformibus Insulis, quales hæ Moluccæ sunt, cæco more formosum Helenarum nomen indidisse. Non potuisti pulcrum facere, fecisti vitem, ajebat olim Apelles; quandam suorum discipulorum deridens, qui imaginem Helenæ attulerat, neque formâ, neque membris inter se proportione, aut habitu gestu quo com-

commendabilem; sed à vertice usque, ad aures, & collum, & totum vestis modum, gemmis 'ceu grandine offusam, auro gravatam magis quam ornatam: cuius sui operis ab eo judicium expectabat. Huic Helenæ similes ego prædico Moluccas esse. Attendite primò ad deformitatem oculos; deinde ad opulentiam, quæ formæ vicem obtinet.

Quinque omnino sunt Insulæ; una ad caput alterius sitæ, tam recto ordine, ut eiusdem lineæ meridianæ filo colligentur; tam parvæ, ut ne earum maxima sex leucas ambitu complectatur: longitudine autem simul omnes vix, aut perparum gradus unius spatium excedant. Fertilitatis ne quidem mentio h̄ic facienda: non vindemia, non messis, non herbarum mitium provenæus, non rerum ad vitæ sustentationem utilijum: adeò, ut etiam quæ illuc importatæ fuerint, soli malignitate extinguantur; quod non nisi fabulum est nigerrimum, exustum, & siti emortuum: unde quantumvis maximos imbreves æther defundat, nunquam stilla in mare dimanabit, tellure continuò omnem liquorem penitus absorbente. Circa oram vix ad mille passus planitem habent: tum in colles montesque assurgunt: demùm altissimis rupibus levantur, quarum aliquæ cælo se admovent. Tantæ porro siccitatis non de cælo causa est, quamvis illo quoque præservido, & ad ipsam æquinoctialem lineam respondentem; sed ab

inferno, quem sub se habent; id est, ignem intra viscera semper ardenter, uti Montium Vaporatoria ostendunt. Videte modò illum, cæterorum facilè altissimum, Ternate dictum: qui ab immani specu perpetuò non solum ignes fumique globos expirat, sed cineris procellas, saxorumque tempestates jaculatur.

Igitur tanto ditiores esse necesse est, quantum magis, etiam nullo venustatis illico, mundum sui cupidine impleverunt. Et quidem verum est, quod provida Natura, & in partiendo suis muneribus æqua, raro in eundem locum accumulet speciosa, quæ oblectent; & utilia, quæ juvent. Illa tamen nemora, quæ videtis montium radices, ac latera grato viatore convestire, Caryophylli sunt feracissima; aromatis tam ardentis, ut bene appareat, eius radices igni perquam vicinas esse. Hac una re Moluccæ abundant; cù quidem fertilitatis copiâ, ut toti mundo largè hinc provisum sit. Id alpigenæ illi mortales cum mercibus Indiæ ac Europæ permутant: unde fit, ut ubertim id omne habeant, quo infelix ipsorum terra caret. Jam si etiani semper homines quidam sunt, eximijs ingenijs præditi, quos, quia toti in mentis negotijs versantur, aliarum rerum planè incurij (Vulgus Studentes, Philosophos, aut Metaphysicos per jocum appellat, ceu ad alios, nisi merè Mentis labores, in eptos ac inhabiles) liceat mihi vestrâ pace eos quatuor brevibus lineis secundum unam alteram.

rāmque partem describere: vos autem ad  
has Insulas diligenter adspicite; & videbitis,  
cum istarum imagine, illorum exemplū  
perquam exactē respondere.

Igitur qui hos volet penitus pernōsse, qui  
fint, & quantūm valeant, necesse est alios ha-  
beat oculos, quām qui in externā solūm re-  
rum superficie divagentur. quippe si out rupes  
quædam, quæ pretiosiores naturæ thesauros,  
auri argenteique venas, sinu suo habent recon-  
ditos, quantō intus opulentiores sunt, tantō  
foris magis inopes, ac inæstimabiles compa-  
rent; neque calvæ solūm sine capillitio ar-  
borum, vertices ipsarum jucundē coman-  
tium; sed à capite usque ad calcem nudæ, &  
emacitatis rigidæ lateribus, aliud non viden-  
tur esse, quām siccissimum ex congenitis sco-  
pulis ossuarium, aspectu etiam horridum: hæ-  
tamen ipsæ quantum pulcri, pretiosi & desi-  
derati intus tenent? proin ex illâ fortunâ,  
quam Veteres Illiciam vocabant, ijs tantum  
propitiâ, quos natura eleganti vultu, amæ-  
nissimis moribus, & conversandi gratiâ tam  
amabili donavit, ut in quorum demum cunq;  
consuetudinem venerint, eos sui amore ca-  
ptos devinctosq; teneant; illi profectu ne tan-  
tillum quidem habent, quod inviscandæ ea-  
piendæque muscæ sufficeret: quin adeò & ha-  
bitu neglecto sunt. & moribus inconcinnis  
rusticisque, & ore, potius attoniti quām  
cogitabundi aspectum referente; ut quām

verissimè credi possint fictitij illius Mundū mortales esse,

(A) qui rupto robore nati,  
Compositique luto, nullos habuere parentes.

Unde sicut Alexander M. pulchriores quasdam Persicarum mulierum (8) Dolorem oculorum vocitabat; & ne dolor ab oculis ad cor transiret, eas fugiebat aspicere; ita istis planè in oppositum contingit, ut, qui eos non aliunde quām ab extrinsecā specie noverit, ubi obvios habuerit, horroris vitandi gratiā aliorum adspiciat: perinde ut qui in aedificium offenderet operis pessimè regulati, & plures errores quām membra habentis.

Verūm si alij eos negligunt, possum id vobis sincerè affiūmare, utique æquis bilancibus trutinam consistere; dum vicissim istis appri-  
mē proprium est, neminem magnopere curare: non id quidem tumore aliquo animi, cæ-  
teros præter se despicientis (loquor autem de  
ijs hominibus, qui ex vero magni sunt; non  
de his, qui id esse videri cupiunt; qui que cùm  
non sint Viri magni, se monstrant magnos Pu-  
eros esse) utpote à quibus longissimè æmula-  
tio illa abest, vanè alijs præcellendi: sed eò  
solum, quod intra se abunde illius boni inve-  
niunt, quo fruentes tam beati sunt, ut extrà  
vix aliquid occurrat, quod amare velint; imò  
cuius vel meminisse. Nunquamne audistis,  
quod de Cleone Atheniense memoratur, eum,  
cùm ad reipub. administrationem aggredo-  
re tur,

retur, quotquot familiares & amicos habebat, domum suam convocasse, juratò coram ijs protestantem, sumâ cum Justitiæ integritate statutum sibi esse negotia tam publica, quam privata accurare: neque aliter jam se posse, ubi aliam voluntatem haberet, quam suam. Igitur, cùm tot hominis placita sint, quot amicos ille possidet, & à quammultis possidetur, ex hâc horâ inquietabat, amicitiam vobis renuntio: talémque se deinceps Cleo præstabit, ut si heri primùm ex alio mundo Athénas commigrâisset. (C) Stultè; ut quidem non sine philosophici fellis acrimoniâ eum Plutarchus coarguit: & comprobare pergit, eum potius ab animo vitia, quam à corde & domo amicos ejicere debuisse.

Hoc tamen factum in Cleone vituperabile, probari sanè potest, si non etiam laude dignum censeri; certè extra culpâ haberi in hominibus istis Metaphysicis: qui quoties se ad studia sua referunt, videntur totum ab se genus humānum abdicare: tantopere se ab alloquio subducunt, cogitationum ordinem confundente; curiositatem oculorum castigant, phantasiaz carceres laxantem; audiendi desiderijs temperant, mentis conceptiones partúsque encantibus; velut tonante cælo gemmiferæ conchæ abortant. (D) Fugiunt igitur publicum: & non secus atque olim Osimandius mortuus, ipsi vivos se inter librorum scrinia conselpiunt. Ibi agunt soli, quanquam minimè soli,

soli ; ut qui sibi ipsis sociati , egregij hominis consuetudine fruantur ; quicum ipsis tam jucundum est sermonem habere , disputare , vincere ac vinci , ut dies toti in momenta ipsis transeant : & eorum more , qui mari prosperis auris dormientes vehuntur , & tum primum se advertunt iter fecisse , cum jam in portu ad exscensionem evigilant ; ita hi non prius , quam deficiente solis luce advertant , jam sibi diem transiisse . Præterea non minor ipsis cum Veterum doctissimis quibusque ratiocinandi copia : qui quidem abhinc jam quindecim , viginti , ac pluribus sæculis fato sublati , etiamnum tamen in scriptis suis superstites , meliore hominis parte , id est , mente gloriosam vitam degunt ; immo immortaliter victuri sunt .

Sic igitur , ubi postea à studijs suis prodive-  
tint , haud aliter , quam si ex Triphonij hypo-  
gæo venirent , ubi ille oracula dabat , & læ-  
tandi ridendi facultatem intrantibus adi-  
mebat ; tristes esse videntur & afflitti ; nec ta-  
men sunt : sed sensus habent , ad externa stu-  
pefactos , cogitationibus eorum ab priore  
mentis condensatione nondum rarefactis : id-  
que ijs accidit , quod navibus , quæ cessante re-  
pentè vento aut remigio , non iccirco progre-  
di desistunt ; quippe durante adhuc eo impe-  
tu , quo prius erant provectæ . interim id , quod  
in ijs tristitiae & miteriae speciem haberet ,  
tius continuæ quadam voluptatis fructus erat .

dum sub nebulosâ fronte miram animi serenitatem obvelant.

Tetricus est vultus , tacito sub pectore secū  
Plurima dum versat, veriq; cupidine fervet  
Impiger, & solers animus : lætusque laboris  
Majestate sui, & pulcro contentus Honesto,  
Exultat , gestitque sibi , plauditque.

Hinc provenit, ut qui eos duntaxat secundūm  
id , quod foris de se ostendunt , intuetur , de  
ijs ut cæcus de colore judicet. Eo prorsus modo , quo de Luna accidit : quæ , quò propiùs  
ad solem accedit , eò plus luminis inde in se  
trahit ; donec , ubi ei planè unita fuerit , iti-  
dem lucis erit plenissima. Verùm oculi nostri ,  
qui solùm inferiorem eius partem obscuram ,  
non verò superiorem illuminatam , suspici-  
unt , illam non modò lucis inopem , sed omni-  
no vacuam existimant , quamvis reapse sit ple-  
nissima : sicut ex adverso tunc eis repleta ap-  
paret , quando maximè inanis est ; quippe cùm  
ab sole longissimè remota , vix minimâ sui  
parte aliquid luminis potest haurire.

Quare cùm hi homines assueverint cum a-  
nimō suo prorsus alibi versari , quām ubi cor-  
pore existunt ; nemini jam mirabile videri de-  
bet , eos non multum curæ sibi de alijs faceste-  
re , quando eatenus mente abalienantur , ut  
sui quoque ipsorum obliscantur. Oculi no-  
stri tam arcto , & plus quām fraternæ chari-  
tatis vinculo colligantur , ut unum idémque  
amborum velle sit , ac sentire : unde ex im-

A a s      -      pertus

perturbabili illâ concordiâ , quâ unus eodem  
 respicit , quò alter , provenit , ut quamvis ipsi  
 numero distinguantur , & quisque eorum pro-  
 prios suos , distinctosque vitales actus habeat ,  
 objecta tamen ab ijs non videantur ut multi-  
 plicata : proin quocunque unus se vertit , eð-  
 dem sequitur etiam alter ; idque tam certò ,  
 ut si fortè unus obcæcabitur , amissaque luce  
 tanquam animâ suâ , vivum quoddam oculi  
 cadaver erit , non tamen iccirco cessabit eti-  
 amnum in eandem cum altero partem se ob-  
 volvere ac defigere , quantumvis solus alter  
 videat , non ipse . Ita omnino in hisce magnæ  
 mentis Hominibus , videntur mihi admirabi-  
 li concordiâ animus & corpus simul incedere .  
 namque istud circa res invisibles planè cæ-  
 cum , sequitur tamen illum videntem ; vadit  
 cum eo ; sed quorsum , nescit : cum eodem se  
 defigit , immobilēmque gerit , ignarum quām  
 ob rem ; neque videt illorum aliquid , in qua  
 alter totus abripitur . Quoties enim ijs usu-  
 venit , qui mente aliò abstrahuntur , ut eant  
 redeantque , nunc ad diversa , nunc ad ~~eadem~~  
 loca ; jam citato , jam lentiore gradu sese cir-  
 cumferant , nec advertant tamen quoversùs ?  
 neque oculi volaticas rerum species exerce-  
 ant , quas apertis , imò latè divulsis ( ut pen-  
 fabundorum mos est ) pupillis palpebris  
 accipiunt ? an non hoc est videre , & manu  
 tire ? naturale prorsus miraculum , & mora-  
 li illi suppar , quod Agesilaus in se evenire di-  
 cebas

cebat, ut amor illi ultra oculos non progrederetur: sed quidquid demum illud pulcræ & venustæ rei foret, voluptatem totam intra oculos sibi resistere, (E) tanquam in foribus animæ. Inde enim est, ut ubi ad se demum redierint, séque iplos tanquam longius ab se, seu potius intra se errore quodam digressos, ad se receperint, non perfundoriet obstupescant, cùm se id loci vident, quò non sciunt suáne, an alterius sponte pervenerint: & velut ab alio mundo peregre advenissent, ita hunc mundum ceu novam rem aspiciant, ac mirentur: ut illis perquam concinnè jocosissima illa interrogatio aptari possit, quam de se impurus ille, Neronis familiarium præcipuus, recenset his verbis: (F) accedo aniculam quandam, que agreste olus vendebat; & rogo, inquam, Mater, num quid sis, ubi ego habitem? Scio equidem merum vigilantium somnium esse, quod ambæ scholæ, Pithagoræ & Platonis, non sine acri certamine propugnabant, spheras cælestes, dum certâ quadam velocitate, & ad numeros illos harmonicos, quibus una alteram juxta consonantiae divisiones (ut illi ponebant) excedit, proportionatâ circumgirantur, tam perfectam symphoniam efficere, ut si nobis Natura auditus organum non disturbasset, (quocirca non nisi quæ intelligimus, sentimus) aut sanè illud paulo amplius exacuisset, repente in profundas extases abiremus, rerum omnium, nostrique ipsorum obliti: neque jam agricul-

turam

magis

curam rustici, neque publicam rem Magistratus, neque negotia sua opifices curarent: id tamen utique verum est, quod, etsi harmonia illa cœlestis merum errabundæ mentis figmentum sit, res tamen ipsa & experientia comprobet, quando animus profundâ speculatione in sua objecta abreptus, se ipsum quasi amittit, corpus etiam neque sui recordari, neque de rebus ad sui sustentationem necessarijs providentiam habere. Atque ut de pluribus non dicam, ecce unum Carneadem mensam accumbentem: qui vixdum confederat, cum viva sui ipsius effigies factus, habitu cibum capientis, quem non accipiebat, elevataim propè ad os manum immobiliter retinebat, velut in lapidem conversam: cum ferè in modum, quo fulmine perstrieti, eodem quo antequerant, videntis loquentisque situ, quanquam exanimes, putantur tamen etiamnum vivere.

Sola loquela deest; aliud nil fortè requiras:  
Quanquam, si qua fides oculis est danda,  
nec illam

Posse deesse putas.

Unde necesse fuit, ut Melissa eius conjunctus, ipsi pro animâ sensitivâ esset; & brachium illud movens, cibum ori ad moveret, & ingereret. Ad eò homini mentem longè alibi, quam in mensâ; & in alijs cogitationibus, quam de cibo capiendo, Zenonis Philosophia detinebat, quam sibi oppugnandam desumpserat. (G) Ergo (bene concludit Historicus) animo tantum

mittitur fræbatur; corpore verò, quasi alieno & supervacuo circumdatus erat. Evidem hi tales vel solo aspergunt sui, videntur mihi fortissimum argumentum præbere ad revincendam bestiam illam Epicuri, Galeni, & hisce similium philosophiam, qui homines naturā faciunt bestias esse, quales quidem illi vitio suo erant, & ex eo quoque censi poterant, quod ratione non melius utebantur: arbitrati, animam nostram omnino mortalem esse, & corpoream; quounque dein modo illam sibi fingant, sive infabilissimos spiritus tenuatam, sive harmoniā quādam humorum constantem: quandoquidem illa satis reipsā comprobat, operaciones se habere tantopere animalibus corporeis eminentiores, ut quātū magis agit ut intellectualis, tantū magis à corpore recedat, minusque agat ut sensitiva: cum tamen tota animalium sphæra sensitivo circumscribatur.

Sed nec illud quoque magnopere admirandum, quod nonnunquam in mediā animalium turbā relicto velut in depositum corpore, cum animo & sensuum comitatu planè abeant, quod eos suæ cogitationes absorvent, velut præter intentionem absorptos: ad eum modum, quo Nilus de medio cursu in apertam Voraginem dilapsus, evanescit, & subter terræ viscera diu invisibilis, demum post longum terræ tractum, denuò in altum atque auras prorumpit. Fortè genialibus animalium ludis Cleomenes, ille Spartanorum

He-

Hector, intervenerat: (H) præ cæteris oblectamen-  
tis Musica eminebat, selectissimis vocibus  
admodulata: quæ quamdiu duravit, nemo  
præsentium fuit, qui spiritum mitteret; præ-  
cipuè tamen Cleomenes attentus, immobilis,  
& velut incantamento ad stuporem rigidus:  
ad quem utpote hospitem, cùm finito cantu  
omnes se convertissent, rogantes, num etiam  
alibi tam suavem sonorāmque audivisset;  
ille inexpectato responso, hâc quidem de re,  
inquit, amici, hasce aures interrogate, quæ  
hic remanserant: ego enim ad Peloponnesum  
aderam, ubi me hercle Musicam non audiri.  
Et sanè verum dixerat: quippe cogitatione  
totus in ijs rebus ordiendis versabatur, quas  
postea effectas dedit; qui Argos vinceret, Co-  
rinthum occuparet, Achaiam depopularetur.  
Et haec tenus quidem de eo, quod in hisce ho-  
minibus Philosophicis extrinsecus inconcen-  
num ingratumque appetet, dictum sit satis:  
nam ad eos, qui ambitione quâdam famæ, ti-  
tulum profundè speculantum affectantes, se-  
abstractos, incultos, morosos, & usū sensuum  
quasi privatos fingunt, haud amplius attinet  
dicere, quâm eos de Philoso pho nō plus adi-  
sci, quâm odiosum corticem in urbani Cyrenæ.

Proin redeainus ad primos: in quibus min-  
nimè opus habebo demonstrare aliquam pa-  
tem illius gazæ, quæ in eis reconditur, dignam  
sanè, cuius adipiscendæ saltem tantum itineris  
fasciperetur, quantum ob aromata Molossi-  
runt

rum. Atenim sapientiæ merces, quas mundus suis in nundinis non habet, quia pecunia non vendibiles, pauci sunt, qui vel unius passus impendio comparandas sibi ducant: alij satius sibi esse autumant, obesas animantes manere, quām macros homines fieri, quales testimant sapientes esse. Sed à celebratissimo Severi Imp. dicto auspicemur, omnibus quidem fortè notissimo, digno tamen, quod semper ceu novum in memoriam revocetur: quando ob maximos pedum dolores lecto detentus, per absentiam suam indignabundo exercitui causam præbuit murmuris & immodestiarum; adeò ut res in castris non multum à seditione abesset. Vix dum facti huius rumor ad Imp. aures pervenerat, cùm ille alienis pedibus supra bajulorum humeros portatus, ad exercitum descendit eo vultu, qui Severo & decebat, & proprius erat. Ibi Centurionum ac Tribunorum multitudine stipatus, non, ut plerique expectabant, ornatam verbis, & ad deliniendos animos sollicitè compositam orationem habet: sed confessim ad facta progressus, submitti sibi hastas, & nudatos produci gladios jubet. cum pro criminibus causas audire, citare reos, examinare testes, expedire Jus ac leges, ferre sententias: donec universus exercitus Imperatoris vigore ac virtute percussus, corām in genua procidit, veniam delicti humiliter magnis clamoribus deprecatus. Itaque Severus; bene

ne hoc, inquit; nisi quod serius quam operi tebat: Manique caput sibi percutiens; tandem sentitis,, ait, CAPVT IMPERARE, NON PEDES!

Quis me nunc vetabit dominatum capitis ab armis ad scientias transferre; quarum thesauri ibi unicè congregantur? ita ut, quamquam ijs, quos paulo ante descripsimus, concedam totum id deesse, quod in persona idoneum haberi, ac requiri solet; unde ad nihil esse habiles possint; nunquid adhuc tamen verum est, in homine *caput imperare, non pedes?* ita quidem, ut verissime dici queat, totum hominem in capite suo consistere: quandoquidem celsitudinis & Divinitatis illius, qui à brutis homo distinguitur, non plus habet homo, quam quantum boni in capite habet, id est, quantum de mentis perfectione, & virtutum intellectualium habitibus, quorum in suu totam felicitatis humanæ substantiam ac medullam componi docebat Philosophus. Quin adeo pictores ipsi, ut Plutarchus sapienter adnotavit, ut totum hominem representent, caput proponunt; (*I*) nec de ceteris magnis magnopere curant: quippe neque vos ad hos, ut hominem tanquam hominem describens, reor, eum à capite ad pedes per membra respiceretis; quando in solo capite quisque monstrat, qualis sit: pari modo de prudentia sentiendum, quæ ostendit, quinam inter homines vere sint homines: haud secus, quam lineamenta vultus unum ab altero distinguunt.

guunt. Cui proinde caput est, imò qui ipse totus caput est, quatenus ut sic dicam, totius anima, totus mens & cogitatio est; etsi in ipso desideres omnia, dignus tamen erit eo in pretio haberi, in quo ea habemus, quæ raritas & perfectio sua omni æstimatione majora facit. Et qui unum talem possidet, quantum inde spei sibi facere queat, si eo bene uti sciverit, ex felici illo augurio ratiocinamini, quod postea tam fortunatis successibus comprobatum fuisse scimus: quando primi illi Urbis Romæ progenitores eo tempore, quo in vertice Montis Capitolini terra pro fundamentis famosissimi Jovis templi effodiebatur, hominis caput egestum reperere: (K) quæ species, subjunxit Historicus, haud per ambages, arcem eam Imperii, caputque rerum fore portendebat.

Atqui non habent elegantiam: imò nec amabilitatem inquam. Non student culturae corporis, non morum gratiæ, non venustati, animorum visco: & hoc concedo. Nil possunt, etsi vellent: scilicet nec vellent, etsi possent. Idcirco qui tantum Veneres sectatur & gratias, ubi hosce viderit, aliò se, gressumque vertat. Quod si Vir bonus queritur, hi mehercle sunt, qui desiderantur, qui in pretio habentur. (L) sicut de quibusdam salutaribus herbis non sine ratione fuit creditum, eis ab naturâ singulare providentia sentum quidpiam atque hispidum adjunctum fuisse, tum in caule, tum in foliorum marginibus, & floris ambitu, ut

Bb

ipse

ipse aspectus doceret, non frustra naturam in  
earum custodiâ tantum sollicitudinis posuisse: sed id ipsum argumento esset, magnam ijs  
medendi sanandique vim inesse: neque temerè vel ab hominibus vellerentur, vel depascerentur à bestijs. Silvestres quidem illas esse; sed valetudini percurandæ prævalidas: de-  
spectas ijs, qui delicias quærunt; caras ijs, qui-  
bus vita & eius præsidia cara sunt. Interim  
earum duntaxat copia hortos onerat, qua-  
rum (*M*) *flos tantum iucundus*, *reliquæ partes igna-*  
*væ*: eoque homines signant, qui ad speciem  
facti ac facti, bellè oculos explent; quales in  
Zeilano offendimus: quorum tota virtus,  
quædam oculorum oblectatio est, in superfi-  
cie hærens. Primos aiebat Zeno Citticus (*N*)  
aureis illis nummis esse persimiles, quos A-  
thenis cudebant; frustum metalli temerè de  
laminâ præcisum, multis angulis inæquale,  
pessimè etiam expressis signorum notis; tamen pondere æquum excedente, auro opti-  
mo, & ne minimâ æris mixturâ vitiato: cum econtra ij, quos Alexandriae faciebant, ad  
circini orbem rotundi essent, & imagine bel-  
lissimè exsculptâ, & planis ad splendorem us-  
que extersis, ita ut vel aspectus pretium ha-  
beret; reapse tamen impostura oculorum;  
quippe hypocrisis seu simulacrum auri (quæ  
in pellibus) & alchimisticum mendacium. Ig-  
tur Athenienses ab his expetebantur, qui fin-  
ceri auri intelligentes erant; Alexandrini ab  
illis, quos speciosè decipi delectabat. Pla-

Platani hem, quām plena Majestatis planta sunt? gigantes arborum, & ut ita loquar, quidam Briarei, centum brachia levantes; quot nimirum robustissimi rami sunt, quos circum undiq; protendunt. quām bello dein ordine in quincuncem dispositæ? adhæc quām densâ frondium foliorūmque comâ? unde singulæ possint silvæ speciem referre. Sed tam vañæ culturæ Machina quo emolumento sitat?

(O) UMBRAE GRATIA; nullius rei alterius. Exadversum quām malo cultu aspectūq; ficus est? à capite ad pedem arthritica; adeò ne unum ramum satis rectum habet: sed quales chiragricorum digiti sunt, nōdosi distortique: ipse etiam arboris truncus ceu pedibus lœsus, atque ægre consistens. Gustare dehinc eius folia, corticem, medullam; omnia pæne supra aloëm amara sunt. Èa scilicet de causa, uti super hâc materiâ prudens quidam senex in doctissimis illis Plutarchi convivijs philosophatus, post alios minus perspicaces affirmavit; quodd (P) expresso in fructum suum, quidquid dulcis inerat arbori, reliquum amari succi est. Quare cum tota ad utilitatem, neutiquam ad gratiam nata sit, non eam quisquam æstimabit, nisi qui fructus eius gustaverit: tum verò quantumcunque invenusto sit corpore, & inconcinno, id perinde habebit. Jam autem quantum boni in hisce hominibus insit, quorum conditionem istæc arbor tam aptè exprimit, non possum verius elegantiùsque, quām

B b 2

dicto

dicto Socratis confirmare, qui & ipse vel maximè illorum unus fuit: (*Q*) cùm os suum aperuit sapiens tanquam Templum, ibi animæ simulacra pulcherrima conspiciuntur.

Nihilominus ad extremum commonere oportet, ipsâ experientia abunde demonstratam fuisse Platonis sententiam, cùm diceret, huiusmodi homines, qui mera mens essent, ad expedienda negotia, ad suscipiendos pro rep. labores, & præsertim ad aliorum gubernationem apprime esse inutiles. idque fortasse duabus ex causis: quarum una est, quod de rebus non percogitant, uti impræsentiarum reapte cum suis circumstantijs occurunt; quas proinde vel maximè considerare vir prudens debet: sed velut in abstracto, puraque mentis idæâ, quales omnino inter homines contingere nunquam solent. quare his præconceptionibus male persuasi, leges ac statuta formant adeò ab ratione aliena, ut etiam bonorum virorum contra se indignationem consciscant: quodque priore etiam peius est, ut naturâ usûque mentem minimè habent volaticam, sed stabilem atque fixam, ita voluntatem peræquè immobilem ac pertinacem. Altera causarum est, quod humana- rum officiorum, & materialium actionum in- experti, (ut quos genius suus pridem ad aliud negotiorum genus traduxit) stant in mundo perinde, ut globus perfectè rotundus in planicie, quam non ultra quam in indivisibili punto

puncto contingit, toto quod sui reliquum est, (est autem ipse totus) sursum, & in aëra extans: aut si nobiliore modorem explicare placet, ita Plato eos describit, velut (*R*) *existimantes, se etiam in hac vita à negotiis humanis semotos, in Beatorum insulis habitare.* Hocce igitur potius sub tute, à quo ceu pupilli procurentur, oportet constituere; quam alijs præponere, malè utique gubernandis: neque ad ea officia admittere, quæ judicium practicum requirunt, concordiam sententiarum, & unionem voluntatum. aliter id ipsum facient, quod Hercules cum Argonautis, robustus utique, sed tam malè dexter ad remigandum, & unâ ex composito jungendum cum alijs impetum, ut plus ferè impedimenti afferret, quam auxilij, etiam tunc cùm adjuvabat: unde quidam antiquus (*S*) dixit, eum non plus præstisse, quam quod *semiremex* solet.

A. *Iuvén. sat. 6.* B. *Plut. in Alex.* C. *in præcept. polit.* D. *Diod. Sic. l. 2. de fab.* E. *Max. Tyr. ser. 9.* F. *Petr. Arbit.* G. *Val. Max. l. 8. c. 7.* H. *Plut. de compar. anim.* I. *Spartian. in Sev.* K. *init. vite Alex.* L. *Liv. dec. 1. l. 1.* M. *Flin. l. 22. c. 6.* N. *ibid. l. 2. 1. c. 7.* O. *Laërt. in Zen.* P. *Plin. l. 12. c. 1.* Q. *Sympoſ. l. 5. quæſt. 9.* R. *Stob. ſerm. 1.* S. *lib. 7. de Rep.* T. *Se-temus.*

## XVIII.

PROMONTORIUM  
CAPHAREUM.

ADULATIO SCOPULUS SUB  
AQVA LATENS, MAGNORVM  
NAVERAGIIS FAMOSVS.

**Q**UOD antiqui Oratores tam Græci, quām Latini solitabant, ut ante oculos Judicūm & populi ipsam homicidij, latrocinij, vel alterius enormis facinoris actionem ad vivum depictam collocarent, tanto valentiūs contra auctores talium scelerum peroraturi, quando ex auditoribus quasi spectatores fecissent; id si ego quoque possem, incomparabile mihi hodie adjumentum providissem. Ad veterem illam, maximique nominis Insulam, Eubæam consistimus; quam hodie Itali Negroponte dicunt: grandem sanè illam; quam inter, & maritimum Bæotiae latus, cum quā demum prope Chalcidem ponte jungitur, per duodecim ferme vices quot diebus fluxus refluxusque suos inexplicabilis ille Euripus reciprocat, velut insolubile naturæ ænigmā; eo fine id loci implexus, ut vicinam Athenis Philolophantium arrogantiam confunderet, semper alijs garrientium; in hoc solo Eubææ freto elinguium: dum rationem nullam probabilem expedire valent, quā de causa ibi mare perpetuò se infundat refundatque, nocte dieque surfam ac deorsum curlitans; haud

haud aliter, quam si modò seipsum fugeret, modò resumatis animis iterum retro in fugam compelleret; & cum semper sibi ipsi à tergo validè incumbat, nunquam tamen fugientis assequi possit pernicitatem. Cæterum huius Insulæ caput, quod ab Andro versus septentriones mare Icarium respicit, Promontorij Capharei nomen habet, tantopere à Geographis, nec minus à Poëtis celebratum. Adverte quæso, oculos: neque enim alibi per totum hunc Ægæi ambitum, uspiam vel oram videbitis amœniorem, vel mare magis sedatum, aut ventos tam blandulè alludiantes. Scire tamen debetis, id se perinde gerere, uti latro ante Judices raptus: qui abjectis miseriter brachijs, & fracto in speciem corpore proceduōque, caput in sinum usque demittit, oculos humi defigit, totus aliis ab illo furioso sanguinario, & omnis pietatis experte homicidâ, qualis in cute est. Deberem sanè nunc in tabulâ exhibere pelagi istius scelera: quorum facile primum esset, quod Græcorum victoriosam mille navium classem fædissimè constituit, ac fundo dedit:

(A) *Saxa triumphales fregere Capharea puppes.*  
Hoc mare minimè iracundum, sed potius Pacificum placidūmque est; nisi quod vel amœnioris auræ flatibus, leviter crispantibus cærulum marmor, ridentis ludentisq; faciem induens; vah, quain duras, cæcas, & acutas cautes fallaci abscondit sinu! Hic & canales ha-

392 *XVIII. Promontorium Caphareum*  
bet ad intrandum apertos ; & faventissima  
ventorum flabra , in pernitiem impellen-  
tia : neque aliud ultra est opus , ut confestim  
videas miseram navem in frusta ire ; tum æ-  
quor tabulis , litus cadaveribus natare. Imò  
quod occultæ prodigionis haud dubium argu-  
mentum est , etiam priùs , quām eò accedatur ,  
( quo modo , haud constat ) sed tamen ( B ) *vis*  
*est illa navigii , cùm longè à Caphareis saxis , nullis de-*  
*pugnata turbinibus , nullis quassata decumanis , adulan-*  
*te flatu , labente cursu , lætante comitatu , intestino re-*  
*pente percussu , cum tota securitate desidunt.* Quia in  
re videor mihi quām verissimè expressas duas  
illas partes recognoscere , adulationis pro-  
priissimas ; quodd infidiosè illestat , & morta-  
talissimè énecat. Et sicut ubi æquor latentib-  
us saxis scatet , longè faciliùs impingunt ac-  
feriuntur majora navigia , utpote carinâ pro-  
fundius infra aquam desidente ; quām parvu-  
li lembi , qui velut in solâ superficie natantes ,  
aut innoxie supèr transeunt , aut modico sal-  
tem cum damno: ita inter homines , longè fa-  
ciliùs ad occultos adulationis scopulos offendunt  
frangunturque Magnates. At enim cùm  
vel unus istorum naufragium facit , jactura ,  
( seu proprium , seu aliorum quoque damnum  
æstimæ) longè major est , quām si mille navi-  
culæ interirent , quæ vix plusculum sunt ,  
quām ligneum nucis putamen.

De laudis blandimento quām optimè dici  
posse existimo , quod Aristippus Philosophus  
de

de odoriferis unguentis pronuntiavit. Ista Athenis magnâ copiâ vendebantur, ad delicias eorum Juvenum, qui amoribus dediti, dies otio geniûque ducebant sacros, fæminis pæne ipsis magis effæminati: quibus quod magis arriderent, pretiosis se perfundebant liquoribus, volatilem maximè jubarum fastum irrigantes: nec tamen poterant tantum odoris à floribus & aromatis petere, quantum fætoris sua illis bestialis spureties & flagitia adsipabant. Unde eorum usus Viris gravibus summè indecens, in Philosophis sapientiæ Magistris, non solum res maximæ offenditionis fuisset, sed monstrum planè simillima; ideoque Aristippo ne ex sensu quidem nota. Cæterum accidit, ut illi forte Myrothecium præbereatur, insolitæ artis ac bonitatis refertum: cuius fragrantia adeò captus est, tantumque sibi roboris ac vigoris sensit suppeditari, ut non sine magnâ indignatione contra nitidulos illos, & cerussatos semimares stomachari cæperit, qui lasciviâ suâ optimis odoribus tantum præjudicij, atque odij creâssent: (C) male, inquit, istis effæminatis eveniat, qui rem tam bellam infamerunt. Et ego meliore etiam causâ male illis auguror, quicunque rem tam suavem & odoram, cuiusmodi Laus est, infamaverunt. quæ cum tantæ virtutis sit, ut animos nobiles ac generosos ad eximia quævis, atque ardua virtutis facinora aggredienda possit admirabiliter corroborare, isti eam ad infame

Bb §

adula-

394 XVIII. Promontorium Caphareum.  
adulationis ministerium abutendo, vitijs ser-  
vire coegerunt.

(D) *Affurgit spiritus, si laudatur*, ait Stoicus, &  
*in spem sui bonam adducitur*: nec in adolescentibus  
tantum, sicut in Africanis Mannulis, quando  
primâ vice ad metam emittuntur: nec in spem  
nascituræ duntaxat virtutis; quando etiam  
merita præstantibus factis acquisita, non aliâ  
magis remuneratione oblectantur, quam lau-  
dis. Ita fortissimus ille liberator Græciæ The-  
mistocles, cum Athenis ad Theatrum intra-  
ret, excellentes quo spiam musicos auditurus,  
qui publicè ad specimen cantare, & ex Judi-  
cum sententiâ coronari debebant; rogatus,  
quosnam præcipue audire mallet; (E) eos re-  
spondit, qui in Conventu Græciæ, qualis tunc  
erat, labores eius & egregiè facta, & Perla-  
rum clades, & quidquid per tot annos pro  
patriâ aut fecisset, aut tolerasset fortiter, cum  
encomio recantarent. Cæterum verum sit,  
nec ne, in Siciliâ fontem esse, immobili aqua-  
rum stagno veluti mortuum, quamdiu aut si-  
lentium ibi est, aut voces sine consonantiâ: at  
ubi fistula insonuerit, reviviscere mortuum;  
namque ille antè immobilis, (F) *exultabendus*  
*ad cantum elevatur*; & quasi miretur dulcedinem vocis,  
ultra margines intumescit: illud certè est verissi-  
mum, dulci illâ laudis Echo, quæ meritorum  
sono respondet, spiritus excitari, & totum san-  
guinis florem in pectore succendi. quippe illa,  
ut Plato dixit, (G) non aureo Euripidis cala-  
mo,

mo, sed Platonicis Cælorum pennis nobiles animos exsuscitat ad maximos quoque labores, egregiaque discrimina subeunda. Verum sicut apud Romanos sacrilegus ille Arelius (*H*) nobilissimam Picturæ artem in contemptum atque odium adduxit; qui Dearum imagines sub amasiarum suarum vultibus proponebat, amorum suorum flagitia ad publicæ Religionis fastigium ausus velle extolle: ita qui lucrigratiâ alios laudant, mendacio Veritatis vultum imponunt; & efficiunt, ut illorum vitia credantur virtutes esse.

Recedamus nunc quoad hinc possumus: & ex adverso adulatio[n]is faciem curiosius contempleremus. neque enim quicunque eam adspicit, idem & agnoscere eam valet. quod si agnita non erit, nec securè respicere eam licet. Unde si inter Medicinæ Coriphæos in Græcia Mnesitheus & Callimachus operam se perutilem facere putaverunt, non nisi de Coronis scribendo, multâ florum distinctione nominatim eos diligentes, qui capiti & temporibus admoti, nocumentum afferrent; (*I*) quoniam & in hoc est aliqua valetudinis portio: quanto potiore studio monstrare convenit venenosos illos laudis flores, quibus si coronari, imò involvi vobis caput sinetis, periculum est, ne sensum ac judicium perdatis? Est igitur primò una species, quæ minimè videtur adulatio esse; attamen hem quā illa omnium est sincerissima pessimaque! & tam exquisitæ nequitiae

quitiae artem colens, ut ed sit subtilior, quod  
magis animo duplex. neque ego, me herele-  
scio, quâ ratione vobis eius malitiam satis de-  
promam.

E quidem viris magnis nebulam obtendere  
ante oculos, eisque pro libitu modis maxi-  
mis circumducere, & in extrema adducere  
discrimina ( id enim omne adulationis est ne-  
gotium ) idque de die medio, apertis oculis,  
& in faciem, videri possit esse eiusmodi, cui  
nulla satis par sit animi ac vultus constantia,  
quin ille intus aliquantillum turbetur, hic fo-  
ris rubidine aspergatur; & lingua, si non om-  
nino obmutescat, titubet tamen hæsitetque:  
unde si animo Illi esse attento vellent, facile  
aut deprehendere pestilentissimam fallaciam  
possent, aut certè eius vestigandæ indicia ca-  
pere. Verum enim vero ista, quâ de loquor,  
adulatio omnium nequissima id & potest, &  
facit; modoque agit tam ambiguo simul &  
cauto, ut nescias, clausa sit an aperta, per-  
sonata an nuda: quando totum eius artificium  
est, in purissimæ sinceritatis similitudinem se  
transformare; ita ut ab ore ipsa prodire men-  
tis simplicitas putetur: neque loqui aliquid  
antè cogitatum, ac multò minus expensatum;  
sed cum tam gracili rusticitatis mixturâ, ut  
quantò plus inculti, tantò minus vafri habere;  
et que veracior esse credatur, quod mendacia  
antiora sunt: quæ proinde, quia nullo provo-  
cate aut invitante, sed quasi sponte venien-  
tia,

tia , nihil metuens cum eâ libertatè ac securitate offundit, quâ unquam offerri veritas pos- sit. Itaque cum sit tota in eo posita , ne quid artificij ostendat ; tota tamen merissimum est artificium. Bene id notavit Stoicus , per- accuratus observator & anatomista vitiorum, in illo tam amplo & pleno morbidorum Ho- spitali, quod eius ætate Roma erat ; (K) alius dicit ille , *adulatione clam utetur parcè; alius ex aper- topalam, RVSTICITATE SIMVLATA: quasi sim- plicitas illa, non ars fit.*

Non occurrit mihi , qua in re melius frau-  
dulentas eius actiones effigiare possim , quâm  
in solenni pompâ , quâ famosissimus ille Cons.  
Rom. Metellus Pius in Hispaniâ exceptus fu-  
it. Epulum erat regali magnificentiâ appara-  
tum : ubi cùm vix accubuissest , repente capiti  
eius corona aurea insedit , & pretio , & arte ,  
ac formâ prædives ; quin tamen appareret ,  
unde advenisset. (L) Lupercalium occasione  
conatus erat M. Antonius , & ipse Luperci  
larvam indutus , Julio Cæsari aliam , simpli-  
cioris formæ , coronam imponere ; tacite in-  
nuens , se illi Romæ Imperium offerre. ve-  
rūm Julius , ubi manum vidit , eam à capite  
rejecit. Non ita Metellus , quanquam insigni-  
tè Pius . quia enim manus non apparebat , &  
quâ id decoris veniret , credebat id de cælo  
sibi venisse : & (M) demissas lacunaribus areas co-  
ronas , velut cœlesti capite recipiebat. Ita scilicet a-  
dulatio incedit , id laborans , ut nequaquam  
artifi-

artificium esse , sed natura censetur : unde libenter pro veritate, meritum coronante, recipitur , quod planissima fraus est , quā verius adulator sibi ab deceptā simplicitate gratiam conquirit. Hisce illos adjungite, ( si tamen eiusmodi est reperire ) qui vitæ non modò gravis , sed etiam severæ tenorem profitentes, persuadent sibi, tam stabilem fidei ac rectitudinis suæ opinionem se apud omnes possidere , ut quanquam manifestis lenocinijs fædum in modum alios decipient , mundus tamen , licet tam oculenus lynceusque , illud aut non visurus sit , aut non pro adulacione habiturus : neque agnitus , id ab animo non minus vili , quā superbo provenire. Ut adeò putem , Senecam pari æquitate de istis queri posse , uti de illis , qui ( N ) sub specie Stoicæ sectas hortantur ad vitia.

Tota ex opposito eius , quam hucusque desinximus , est altera illa , nihil dissimulata , sed potius audax & aperta meretrix : quæ ubi tantum os aperit , suo fætente halitu se prodit puram putam adulacionem esse. quare qui in ea merce negotium faciunt , necesse est , sui , nominisque sui curam nullam amplius habere ; insuper eum , cui sic os oblinunt , non pluris quā bovē habere sacrificio destinatum ; qui nō advertat , eò sibi cornua deaurari , ut ad Macellum præparetur ; quando tam manifestariæ & immodicæ adulaciones nō minus acceptanti probrosæ sunt , quā deferenti. Quare

te si ille honoris sui adhuc æstimationem retinet, quomodo ad tam apertam injuriam non extandescit? Carò sane, non tamen supra meritum, Atheniensibus tam inverecunda adulatio constitit: quando acervatim tota simul civitas, magistratus, & plebes usque ad puerilem turbam, M. Antonio obviam effusi, Bacchi habitu incessuque adventantem Urbe receperunt. Dicite nunc, poteratne illi, qui comeslatoris & ebriosi numinis formam indutus accedebat, prudenter aliis honor exhiberi, & personâ, quam assumserat, dignior, quam ut ei claves reconditionum cellarum offerrent; simûlque prægusts gratiâ, mille crateres & pateras exquisitissimorum vinorum omnis generis? Si Diogenes adhuc superstes fuisse, nullus dubito, quin ei dolium suum adversum obvoluisset, non sine mille convitijs, & ridiculo quopiam donario. Sed vanissimi Athenienses volebant sublimiore passu ingredi, & sacrilegium Antonij, adulazione triplum majore ac pejore vincere; novo Deo Palladem suam in sponsam offerentes; ipsam quoque Deam, & inter Deas alias facile principem; & hactenus duntaxat virginitatis tenacissimam; ut quæ ipsum effictim expectâset, quem solum conjugij sui dignum æstimasset. Ita quidem ipsi: sed Antonius, seu verè seu joco ita dicerent, acceptavit hanc nuptiam: & (O) dotis nomine imperare se illis mille talenta respondit: neque hanc debere immensam & exorbitan-

bitantem videri; quando, si vel decies ampliorrem postulasset, ea longè infra conditionem & meritum Deæ, Jovisque filiæ erat futura. Igitur eam numerare necessum fuit; cùm jam serum esset, joculariæ adulatioñis pænitere velle; negare oblatam, inutile; deprecari, idem quod ventos rogare; insupportabilis summæ saltem remissionem aliquam, aut inducias ad colligendum flagitare, totum incassum.

At enim si incompetentes laudes acervantibus idem præmium solveretur, quod injurijs, (cùm eæ, mehercle, id ipsum sint, quod laudatum publicis jocis risuique exponere) quantò minus licentia, & plus modestia, in tot Compositionum formis videremus, (placet enim ita generatim loqui) nihil aliud, quam inverecundam adulatioñem referentium; & non modò insolentibus, sed monstroſis omnino exornationibus turgentium: ita ut qui eas leget, non possit non id ipsum affirmare, quod Plinius dixit auro & gemmis accidisse, hodie in ornamenta etiam vilis plebeculæ aptatis: (P) quid omnino Diis relinquis? & alibi: (Q) eodem ebore Numinum spectantur & mensarum pedes. Ita sanè: si laudanda aliqua Divinitas foret: tota humanæ mentis contentio amplius, quod dici posset, non iaveneret supra id, quod aliquando audimus, aut legimus de semiomnino quopiam prædicari, qui sive claritate opertum, sive splendoris meri-

meritorum ne cum aliqua nitedulâ compari possit: & tamen præstigiatores isti circularij audent etiam cum juramento proclamare, eum alterum mundi solem esse. Qui cuiuspiam encomia aut calamo divulgat, (quod non est aliud, quām eum conspicuis ornamenti conveftire) ut id bene faciat, Pictorum necesse est prudentiam imitetur: qui cūm figuris habitum circumdant, ad nudi corporis habitudinem oculos advertunt: ita enim non committent, ut Pigmæi collo togam Polyphæmi iniijciant; & cui vix interula in facultibus est, euadem multâ diploide, & mille ligularum tñiarúmque sparsilibus phaleris onerent; syrmate etiam adjecto, quale vix Regali pallio deceret.

Interim duæ rationes jactantur, à senibus, & in ista arte effectissimis Magistris dictatae, neque parcè, neque clandestinè adulandum esse probantibus. Et quantum ad id, quod volunt, non occultè, circumspectè, & cum respectu procedi oportere, velut tectis remis, & abscondito lenocinio; ita ut id quidem sit, sed non appareat; aiunt, id non convenire cum intento utilitatis fine, qui est Magnorum gratiam & beneficentiam aucupari. quippe ubi ars celata est, meritum amitti. Itaque Senecæ ætate Plancus, quem ille omnium adulandi peritorum longè principem facit, ita præcipere solebat: (*R*) *non esse occulte, nec ex disfumato blandiendum rationem quoque allegavit.*

vit ab comparatione amantium petitam: perit,  
inquit, procari, si latet. Adhæc, cur adulando fi-  
nes credititatis & verisimilitudinis fines tam  
liberè ac sine metu transcendantur. (nam ve-  
ritatis respectus jam pridem nullus fuit) ne-  
cessitatem quandam videtur illorum stultitia  
imponere, qui in omni genere laudis, à nobili-  
tate, ingenio, fortitudine, prudentiâ, magnos  
se & eximios jactitant; idque tam audenter,  
ut auribus ad proprias laudes jam assuefactis  
& obduratis, necesse sit omnino exoticam il-  
lam esse, quæ ipsis possit sensum sui aliquem  
commovere: adeò ut, cùm modestè eos lau-  
daveris, perpetuâ illâ maximorum encomio-  
rum assuetudine elati, læsos sese putent; perinde  
ut si honoris sui diminuti injuriam accepis-  
sent. Quippe voces, quibus iij utuntur, quos  
in suam consuetudinem admittunt, non ex  
communi dictionario petuntur; sed ex alio  
peregrino, ex Falsitatis Lingua compilato: nū  
non aliud nisi miracula, Hyperbolas, super-  
lativos est reperire: ubi noctuæ vocantur a-  
quilæ, Anseres Cygni, formicæ leones, ju-  
menta oncraria alati Pegasi, & palmares ful-  
sulæ oceanii, emortui carbones soles nunquam  
occidui appellantur. In genere autem virtu-  
tis, qui arrogans est, nomen generosi habet,  
qui timidus considerati. qui avarus temperan-  
tis, qui lascivus elegantis & amæni, qui pro-  
digus magnifici, callidus prudentis, despiciens  
audax cordati, atque ita de alijs cogitate. ex  
hâc

hac novâ lingua illis sermo omnis componitur: (S) & quod apertior est adulatio, quod improbor, quod magis frontem suam perfricuit, cecidit alienam, hoc citius expugnat. Eo enim iam dementiae venimus, ut qui percè adulatur, pro maligno sit.

Num verò credere quis possit, hosce homines instar rigidi illius Laconis esse, qui jaclabant, quidquid tandem venustæ formæ videbat amorem sibi ultra oculos non intrare? hosce inquam, quidquid blandiloquæ adulatio-  
nis audissent, eius voluptatem ultra aures non admittere; ita ut neque cor eis dulcedine commollecat; neque animus, si venenata illa sit, inde inficiatur, & morbum contrahat? Ego sanè, quantumcunque velim, haud mihi, ut credam, persuadere valeo. Legò apud Pindarum, Custodem Jovis, semper vigilem (T) aquilam, quæ alis perpetuò extensis voleanti similis, eius sceptro insidet; si quando Phæbus cytharam pulsare occipiat, tam raro harmonia dulcedine paulatim vinci, nictare, & quantumcunque velit coneturque stare in vigiliâ, tandem conquiniscere, positoque capite obdormire. Video etiam apud Homerum, (V) Ulyssem, ubi propter Sirenum Insulas adnavigarat, duplicato funium orbe semet ad navis malum deligâsse; prudenti utique consilio, ne latronum illarum cantu, non dulci minùs, quam insidioso illectus, & in somnum deditus, brevem voluptatem morte per-  
solveret, illarum præda simul & esca factus.

Quamvis autem animo tam bene comparato  
roboratōque esset, ubi tamen illæ occinere  
cœperunt, tanta nihilominus incantamen-  
ti vis fuit, ut quasi ipse jam non idem, qui  
paulò antè, Ulysses foret, sui planè oblitus &  
veluti impotens, huc & illuc se convolveret, ac  
laboraret retinaculis expedire: cùmque id ef-  
ficere non posset, sociorum quoque opem in id  
ipsum implorârit. Neque dubium fuit, si non  
Eurilochus & Perimedes fuissent, qui cæteris  
sapientiores, non parendum insaniæ rati, vin-  
cula etiam manibus pedibúsque furentis cir-  
cumdederant, quin Ulysses eo æstro percitus,  
de navi prosiluisset, quò eum Sireniæ præsti-  
giæ trahebant. Quod totum in mysterio di-  
ctum, documento est, nimiò plus ad victori-  
am valere id, quod placet: voluptas quæ de  
remoto in odio & contemtu est, de vicino tra-  
hit odientem, enervatque priora proposita:  
tantaque jam periculi omnis oblivio succedit,  
tanquam ne metus quidem periculi subesse  
posset. Sicut

(X) *Quem semel Paphijs Cupido vinclis  
Jugavit sibi, subditumque fecit,  
Mox omni rapitur decore captus;  
Quin ipsâ rapitur decoris umbrâ,  
Undâ mobilior fluente, & ipsis,  
Cùm nubes glomerant, polumq; verrunt,  
Flabris mobilior procacis Austrî.*

*Ita periculum, dum non timetur, incurritur.  
Eheu! quam multi male cauti, dum se ex ijs*

*metu*

metiuntur, quæ de se adulatorum crepantibus buccis plus quam admiranda magnificè prædicari sentiunt, pro eo, ut deberent tantò minùs ea de se credere, quandò illa omni fide maiora sunt; ea tamen sibi quam maximè persuasa habent, quamvis nec quomodo sciant, nec quare: sed velut oculorum præstigijs decepti, & mentis fascino corrupti, aliam de seipsis opinionem sibi formant, ac novum existimationis gradum ultro occupare non ventur; eo pacto enormem sui arrogantiam, simul & aliorum contemtionem intolerabilem palam commonstrantes. Verum quam primum & delectabile est, seipso plus æquo amantibus, velle ac posse decipi? neque alio majore impendio, quam liberaliore imaginatione, se ex contemptilibus in admirabiles transmutare? dummodo se in adulatorio illo triangulari vitro contemplentur, in quo quidquid videtur, stipitum licet & truncorum genus sit, centones & quisquiliæ, scoria & lutum, mox tamen omnia ceu aurum, purpura, & gemmæ resplendent, quot & quales natura proferre non posset, omnes licet ditissimi Orientis thesauros vacuaret.

Equidem hac in parte miserrima est Magnum conditio, quod non facilè quempiam inveniant, qui tam gravi offenditionis periculo se velit exponere, ut ijs Verum dicat, quibus id frequenter injucundè & acerbè ad aures accidit; dum interim infinita eorum turba est,

Cc ; qui

qui in id unum intenti , ut maiorem apud dominos ineant gratiam , & interiorem benevolentiae occupent locum , non sine acri inter se ænulatione contendunt,id omne ipsis persuadere , ut de se credant , quidquid credentes oblectare potest. Non est consuetum magnatibus ex occulto auscultare , quid de ipsorum gestis homines liberè loquantur , sicut Apelli , iccirco publicâ utique memoriâ celebrato : qui cùm suas picturas populi judicio exponebat , retro illas latitans , id emolumenti referebat , ut modò commodas , modò iniquas de se spectatoris vulgi sententias pernosset. Totus de ipsorum rebus cùm ipsis sermo est : & vñ illi , qui ignoret , aliud , quando eum ipsis loquendum est , usurpari idioma debere ; aliud , quando de ipsis ; semper diversum , & frequenter omnino contrarium : ita ut , si utrumque audirent , vah quām sæpe id de narrando replicarent , quod de salutando , nescio quis ille , Posidippus quidam dixit. Iste quamdiu cum fortuna divitem ac beatum voluit , splendido incēdens habitu , multoque comitatu conspicuus , prope jam labori par non erat , ut tot salutantium votis , & demissè reverentium honoribus , quibus passim obruebatur , unus responderet. Ubi postea , ut in rebus humanis accidit , fortuna ei tergum , ut vulgus loquitur , obvertit , coactus est paupere induitus lacernâ , non alio , nisi miseriārum suarum , quas solas suis impensis alebat , commeatu la-

tus

tus tegente, Urbem obire: quippe tanquam subitè invisibilis nunc foret, ita nemo illumine noctu aliquo dignabatur. Quod cùm animadvertisset, simùlque rei causam subnotasset; (1) vah exclamavit: igitur non me antè, sed vestem salutabant. Ita omnino evenire ait, quando cum dignitate, cum Regali pura, cum magnatum insignibus sermo habendus est; alio nempe modo, quām cùm temoto ab oculis eo splendore (qui cùm præsens est, ipsos in maiestate continet, alteros in reverentiâ) liberiùs linguae sua fræna laxantur. Videlicet hoc Galba Imp. & clarè Pisoni pronuntiavit eo dìe, quo soli seorsim familiarissimè collocutus, de adoptando illo, & Imperij successore constitudo tractans, (2) ego, inquietabat, & tu simplicissimè inter nos hodie loquimur. Ceteri libentius cum fortunâ nostrâ, quām nobiscum. Adjungo ego tantundem; cum magnorum fortunâ loqui fortunam pusillorum, quæ est utilitatis respectus: cuius quale idioma sit, haud reor necesse esse vobis exponere, cùm sit vulgare & communiter usitatum; imo unum idemque per omnes etiam peregrinas linguas & nationes: nisi quodd in Academijs Aularum majore studio excultum, pluribus, ut apud Ægyptios lingua sacra, mysterijs refertum, & purius reperiatur; ubi scilicet ad aures magis delicatas & indignationi pronas, velut ad censuram affertur: & plus emolumenti habet, scire bene ad illarum gustum loqui.

408. XVIII. *Premonstrat Capitulum.*

Dignum sane auditu est , referente Dione Historico , secretum quoddam colloquium , quod cum Liviâ suâ Augustus Cæs. habuit jam aetate devexâ ; & nescio . utrius magisterio , prudentiae , an diuturnæ experientia , melius eruditus . Dum autem ille de utilitate & damnis sermonocinabitur , quæ in Principem redundant , amicos familiares & intrinsecos habentem , aut ijsdem destitutum ; maximè vitam & mortem respiciens , quæ in manibus illorum collocata videatur ; vos in vicem manuum , linguam supponite ; eiudemque bonos & malos effectus esse vitam illam aut mortem , de quâ Augustus meminit , putate : tum enim per vos ipsos , totum id de adulatione dictum esse intelligetis. ( 44 ) Haud est opus , inquietabat ille , ut tibi integrum historiam eorum Principum pertexam , qui familiarium suorum manibus ac ferro perierint : cum illorum duntaxat numerus justo maior sit , qui tragœdis materiam præbuere , theatra lacrimis & sanguine replendi . Atque est ea sanè una de maximis Magnorum ærumnis , quod sibi non minus à domesticis quam externis , ab familiarium intimis cavere debeant , quam ab inimicis . quippe si ab his timendum , quod apertis viribus congregiantur , quanto magis ab illis , qui occulte & ex insidijs incumbunt ? Et plerumque tunc primùm periculi sensum aceipimus , quando jam omnia sub ruinâ sunt . Nam ut pectus tueamur , oculi in

fron-

fronte stant, qui opitulentur; manus à late-re, quæ propugnant: soli humeri & cæci, & opis nudi sunt; quâ parte proditores invadunt. Adhæc ubi nos hostes impetunt, ijs amicos opponimus: ubi hi pro hostibus faciunt, quis id nobis aperiet? quis ab ijs proteget ac tutabitur? Insuper quām illis promptum nos prodere? Noctu inermes ac sopiti in eorum manibus acquiescimus: non aliud, quām quod ipsi miscuerint, bibimus; quod illi porrigit, edimus: ipsaque quotidianæ sustentationis necessitas continuam ipsis occasio-nem offert nos perimendi, nobis perpetuam pereundi. Ita ut paris malitiæ sit, seu habere amicos, seu non habere: sicut non habere, qui me velit defendere; & habere, qui me nihil suspicantem, ipsemet opprimat. unde ab utrōque necesse est pari vigilantiâ te cu-stodias: nisi quodd ille, cui te non fidere monstrabis, vel hinc incipiet velle infidelis esse.

Ita Augustus. Et quidem quod ad amicos attinet, si numerare solum nomina voluisset, inumeros habebat; si ad factorum bilancem illa expendere, non plures duobus, Agrippam & Mæcenatem, fidelissimos; & quod etiam in intimorum primis rarissimum est, monen-di, ubi oporteret, intrepidos liberosque: quando alij. quem in faciem laudârant, mox retrò ciconiâ pinsebant. Proinde istis mortuis, una omnis in Augusto voluptas erat emortua: non

eo maximè , quod tantopere eorum vitam desideraret ; sed quia prius id per illorum oculos videbat , quod postea nec suis , nec alienis videndo , millies calamitasior pater evasit , quam fortunatus unquam Princeps fuisse. Nam Julia eius filia ( sinamus id Senecam dicere ) ( Eb ) ex adulterâ in questuariam versa , vilissimi prostibuli more se vulgare cœpit. Sciebat id universa Roma , quatenus videbat , eam ita omnibus esse communem factam , ut jam nulli se negaret. Cantabantur passim satyræ sub thalassionis titulo ; totumque orbem defamatoria scripta pervolabant : solum Augustum , cui uni ea res notificari debuerat , celebatur. Perinde ut si eius Palatum , somni Regia fuisse. ( cuius in portâ silentium custodias agit ) omnes sub ipso aditu muti fiebant : ita nemo unus unquam de Juliae flagitijs mutire auditus , quanquam Patris ignonimia , quæ in dies crescebat , jam per quantum erat , Imperium increbuisse. Qui tunc maximè cœbant , ut ne minimum eâ super re verbulum proferrent , amicorum intimi erant : quibus nec amoris , neque fidei ratio ulla persuadere potuit , ut tam tristem , ac dolituræ rei notitiam , primi vellent ad Augustum deferre : idque non charitate in illum , sed amore sui ; quod nollent cum tam ancipitis periculi nuntio , se discrimini exponere , incertum plus odij , an gratiæ relaturi. Quamvis autem ad extremum nescio cuius relatu , id cognoverit ,

, an g  
emum, ne

id

id tamen tunc primum accidit, quando nō ipse  
minùs quām illa, adēd pudorem omnem exu-  
erat, ut ad imminuendum ipsius probrum,  
& istius improbitatē puniendam, opus fue-  
rit, illam longè inde in Palmariam, infelicem  
Tyrrheni maris Ins. deportare. Ex eo tem-  
pore dies nullus Augusto serenus illuxit: au-  
ditūsque est persæpe secum infelicitatem su-  
am lamentari, cùm diceret: (Cc) *horum nūbb*  
*nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Mæcenas vixisset.*  
Adēd ( prudentissimè Stoicus prosequitur ) *tot*  
*habenti millia hominum, duos reparare diffuile est.*  
Sed quām ego eum mallem, non jam inutili  
suspicio mortuos amicos desiderantem audi-  
re, sed videre utilissimè vivos castigantem:  
supra quorum juratā fide tam securè indor-  
miebat, ut ne suspicaretur quidem eiusmodi  
aliquid, quod, si ipsum amarent, tacere non  
possent; neque magis odiſſe, quām si tacuiſſ-  
sent. *Quis enim non in frusta comminueret*  
*tam fallax speculum, quod, tametsi cum fa-*  
*cie luridâ & inquinatâ ante id constitisset;*  
*eam tamen ipsi mundam, bono colore, &*  
*plusquam bellam repræsentaret? si ille inte-*  
*rim eius fide confisus, liberè prodisset in pu-*  
*blicum, suas fæditates ostentans, & opprobria*  
*plebis reportans. Habeat sanè eiusmodi, qui*  
*tales amicos tolerat, qui eum blanditijs, lau-*  
*dibūsq; student hallucinantem facere. Hem,*  
*exclamat Stoicus, (& vos mecum de amicis*  
*accipite, quod ipse de speculis profatur) (Dd)*  
*quid*

*quid sibi rerum natura voluit, quod cum vera corporis dedisset, etiam simulacra eorum aspici voluerit? & subdit: Non in hoc scilicet, ut ad speculum barbam faciemque velleremus, aut ut faciem viri poliremus: Invenia sunt specula, ut bono ipse se nosceret.*

Jam vero si econtrario illa, quae positam ante se deformitatem verè referunt, tanquam moderationis expertia, invidiosa, maligna, humi abijcerentur, posséntne aut condemnatio magis injusta, aut ira minùs rationalis cogitari? (Ee) Philoxeno, excellenti Poëta, Dionysius unam suarum tragœdiarum corrigendam dederat: & ille majorem eius partem, uti merebatur, delevit. quippe barbarus ille theatrum à Macello non distinguens, cùm ne sciret fingere tragœdias, veras duntaxat faciebat. Ecce enim mercedem laudatissimæ operæ: jubet emendatorem, ceu vivum seperaret, intra profundas marmorum fossuras recludi. (Ff) Thraseas Poëtus, unus ille verè Romanus, quod muliebres Neronis delicias solenni applausu non celebrasset; (Gg) neque divinæ eius voci, quando Imp. in cytharistam transformatus, ad populi oblectamentum in scenâ cantitabat, publicum laudis sacrificium fecisset; adigitur, sibi ipsi venas secare. Designaverat Imp. Adrianus formam templi cuiuspiam: tum Apollodorum architectum evocat, jubetque sibi omnes singulatim errores ostendere, quibus ea delineatio nimiopere scatebat: scilicet ab eo facta, qui regularum haud

haud intelligens, nesciebat neque totum aptè  
in sua membra partiri, neque membris debi-  
tas proportiones tribuere, (*Hh*) antè cucurbi-  
tarum pictor, nunc Orbis Modimperator.  
Igitur dignum se præmium artifici persolvit,  
sic in guttur adactâ. Quæ improba merces  
infâustæ veritatis, Barbaro illi manifestatæ,  
docuit Phavorinum Philosophum, ut quan-  
do recta Veri via ad necem ducebat, eam de-  
vio falsi tramite evitaret: & quidquid ad lite-  
raturam pertinens deliranti Cæsari ab ore  
excideret, id omne ad cælum extolleret, ve-  
lut oraculis & miraculis suppar; quantum-  
cumque meræ aut ineptiæ essent, aut inscitiæ:  
eouisque assentari callens, ut se ab illo asino e-  
tiam pateretur in dialecticis erudiri. Unde  
ab aliquibus reprehensus, quod magis auli-  
cum ageret, quam Philosophum; & adulato-  
rem potius quam amicum; hortantibus, ut se  
pro eo, qualis reapse erat, literatissimo viro  
gereret; (*Ii*) non redire suadetis, inquit, amici: qui non  
patimini me illum omnibus doctiorem iudicare, qui ha-  
bet triginta legiones.

Perrari sunt, qui suo periculo volunt alios  
adjuvare: perpauci, qui Magnatibus ausint,  
(*Xk*) quod generosissimus Phœcyon Antipa-  
tro, dicere: non potes me simul uti amico, & adulato-  
re. Rari, quibus ea laus, quæ (*Ll*) Socrati, pos-  
sit tribui; neque esuriens adulabatur: ita ut minimè  
ei competeteret, quod Poëta Italus cecinit;

Quandóque esuriens pauper facit ipse,  
quod olim Ante

Ante famem , alterius damnare solebat in  
actis.

Pauci , qui tutâ fide , quod Diogenes , respon-  
deant . quem cum forte Aristippus Syracusis  
vidisset in publico fonte aliquot herbarum  
pugillos lavantem , & ut erant crudæ , coeni-  
tantem , eundem congreditur : & seu risu ,  
seu consilio ; (Mm) si Dionysium , inquit , adulari-  
velles , ista non esse . cui promptissimè Diogenes ;  
inid , inquit , si tu ista esse velles , non adulareris Diony-  
sium . Vah , quâm multos horum similes omnis  
aula habet ! homines uti virtute & prudentia  
eximios , ita animo quoque excelsi : qui ta-  
men aut in oblivione sunt , aut pro verecu-  
dis & superbis exosi , quod nullo lucri respe-  
ctu ad eam vilitatem adduci possunt , ut a-  
nimis nobilitatem indigno velint assentandi  
officio conspurcare . quanquam id si velint fa-  
cile utique possint : neque enim solius Deme-  
trij Philosophi est posse dicere ; (Nn) facilem sibi  
esse ad divitias viam , quo die pænituisse bonæ mentis .  
Fortunata (dumque hæc dicimus , simul ab  
fallaci isto & insidioso Promontorio aliorum  
flectamus iter ; cuius litora tot naufragorum  
ossibus albescunt , quot istac peregrini adna-  
vigant ) fortunata , inquam , fuerit illa Aula ,  
in quâ id de adulatoribus lege statueretur ,  
quod Plato de mendicis statuit : (Oo) Nu-  
llus in civitate nostrâ mendicus sit . Quicunque verò id  
tentaverit , victumque inexplicabilibus precibus colligere  
saperit , à rerum venalium curatoribus à foro pellatur :

ab

ab edili magistratu urbe ciuiatur : ex totâ demique regione ab agrario magistratu exterminetur : ut ab eiusmodi Animali omnino universa regio munda sit. Et sanè qui rem bene considerat, reperiet duas illas artes, mendicandi & assentandi, habere se ut matrem & filiam. quapropter prisca jam Poësis, mores earum intuita, utramque in una Parasitorum personâ copulavit: qui tam blandiloqui sunt, quam insatiabiles : neque minus ingeniosi, quam famelici: & sicut Polypus, qui totus nihil nisi spissa acetabulorum & brachiorum congeries est, cuicunque rei adhæserit, eius & colorem arripit; ita isti unicè huc contendunt, ut illius se genio, affectibus, desiderijs, virtutibus vitiisque assimilent, quem abs se exsuctum volunt: deposito interim candore, (proprio veritatis colore) quod se sub alienâ specie securius insinuare in amicitiam illius ; & id, quod ipsis sunt, certius celare possint. Quod sanè illud ipsum artificij genus est, quod Vegetius (Pp) ijs præscribit, qui in mari explorare hostium classem, aut maritima castella, ostia, aut portus debent; uti latera navigiorum, temonem, remos, atborem, funes, ac vela, maris colore tingant, NE CANDORE PRODANTUR.

Quippe perdifficile ijs accidit, qui non plus supra communem sagacitatis habent, in homine verum ab apparenti distinguere : cùm plerique, dum animo maximè exultant, tam doctè sibi sciant vivissimum dolentis vultum  
impo-

imponere, ut intus mala mea derideant, quando foris calentissimis lacrimis mihi complorant. Si unquam à Poëtis, quin & à Stoicis, dolentem audistis Nioben memorari, scito te verissimum esse, quod in montibus Sipyli spectatur: statua scilicet prægrandis, muliebri facie, cum alijs septem circa eam minoribus; diverso, quantum ab inventione artis expectari posset, habitu singularum, ac gestu: major ad desperati doloris similitudinem conformata; alteræ in modum cadaverum tenerè abjectæ: subter quas rivulus promicat, inde per jugi latus multo cum strepitu in subjectos scopulos defusus. Jam, uti Stoicus (*Qq*) in proposito de adulatoribus inquit, falsis à vero semper veritatem peti; ab isto vero, quod hic visitur, Poëtæ sibi Niobes fabulam commentandam sumserant, in medio occisorum filiorum, immanitate doloris in saxum mutatae; & etiamnum, ut si viveret, illum undarum rivulum elacrimantis. Ego, scribit Pausanias, cum diffiderem eminus certius aliquid asseverare, (*Rr*) Nioben ut viderem, Sipylum montem ascendi. Audite nunc totum aliud, quod ibi inventit. Silex, & prærupta crepido eminet; quæ propæstanti neque mulieris, neque lugentis formam ostentat. Qui verò procul aspicerit, lacrimantem, & morentem sibi videre videtur. Ita ille de se, & de illâ apparente specie, eatenus solùm fallente, quatenus in remoto est. Absentium oculos præstigijs illudit, & hallucinari facit: qui de montis pede

pede eam adspicit, quām planissimē lugentem, & totam in lacrimas solvi arbitrabitur: qui autem tutam rei fidem expetit, ascendat viciniū; & mox eam reperiet non nisi informe, insensibile, ac praejudicium scopuli frustum esse. Parem in modum assentatores eatenus decipiunt, quamdiu de longe cernuntur: dummodo propinquitatē oculi non eandem putes intelligi, quæ pedum est; sed quam Rex Agesilaus, (Rr) intendebat; intus eos perspicere debere, & in mores eorum velut (Ss) medicā sectione inquiri: ventrem explorari praecepū & caput; illēne famelicus, istud ventosum sit: nam cupiditas & ambitio sunt illi in primis cordatis & subdoli adulatoriæ artis doctores; quæ nulli magis, quām audacibus & fraudulentis quæstuosa est.

A. Propert. l. 3. el. 7. B. Tertull. de animâ c. 52.  
C. Sen. de benefic. l. 7. c. 23. D. lib. 2. de irâ. c. 21.  
E. Val. Max. l. 8. c. 15. F. Solin. c. 11. G. de Rep.  
H. Plin. l. 35. c. 10. I. id. l. 21. c. 3. K. Quest. nat l. 4.  
pref. L. Plut. in Anton. M. Val. Max. l. 9 c. 1. N. Ep.  
123. O. Sen. Suasor 1. P. lib. 36. c. 2. Q. lib. 12. c. 1.  
R. Pref. l. 4. nat. quest. S. ibid. T. Ode 1. V. Odyss.  
l. 12. X. Danes in Piergat. Y. Stob. serm. 24. Z. Tat.  
at. l. 1. Hift. Aa. Xiphil. in Aug. Bb. lib. 6. de benefic.  
c. 31. Cc. ibid. Dd. Nat. quest. l. 1. c. 17. Ee. Stob.  
fus. 66. Ff. Tacit. annal. l. 17. Gg. Xiphil. in Nero.  
Hh. Id. in Adria. Ii. Spartian. in Adri. Kk. Plut.  
deut. pud. Ll. Laërt. in Soera. Mm. Val. Max. l. 4.  
43. Nn. Sen. pref. l. 4. nat. quest. Oo. de leg. l. 1.

Dd

Pp. lib.

Pp. lib. 4. c. 37. Qq. ubi sup. Rr. 1, 1. in Attic.  
Sf. Plut. in Apopbt.

## XIX.

A N T I P O D Æ.  
I N V E R S U S I L L O R U M G E-  
N I U S , Q U I E T A G E N D O , E T  
S E N T I E N D O A L I I S A D V E R S A R I  
A M A N T .

**N**On equidem velim, vos mendaci imaginatione captos existimare, itinere ferè quinque milliarium millium (quanta nempe est huius ab opposito mundo distantia) opus fore, ut, quò vos perducere constitui, Antipodas videatis. Id enim vero penitus foret contrarium: & ita quidem, ut illuc proficiisci, sit ipsa via nunquam eò perveniendi. Cuius rei manifesta est ratio: namque Antipodæ non sunt, nisi qui pede sibi contra pedem sunt oppositi: neque aliter opponi sibi directè possunt, nisi supra apices diametri terræ: necesse igitur est, medio inter nos mundo simus sepositi. Quòd si eò ire aliud non est, quàm eos aspicere, ubi eos viderimus, possemus fortè gratio-  
so illo joco uti, (1) quo Demonax Philo-  
phus nugatorem quandam elinguem reddi-  
dit, nova quæpiam & admiranda de Antipo-  
dis haud secus narrantem, quàm si recens inde  
revenisset. Cùm enim diutius, non sine sin-  
gulari admirationis demonstratione, gar-  
rienti auscultasset, cum sensim ad putèum,  
dedu-

deduxit : jussitque in profundum despicere , ubi ei duas ipsorum imagines in aqua monstravit ; sed , ut fit , reflexione inversas : tum lætum subridens , ecce , inquit Antipodas , de quibus tu tanta nobis mirabilia recentes . Cum hisce nunc paulisper colloquere & exquire , nunquid aliud interim contigerit scitu dignum : & ubi quid cognoveris : quæfote , uti per occasionem alias mihi significes . & cum hoc dicto gerronem reliquit , demisso adhuc in puteum vultu spectabundum . Vulgus dum ignorat , quanta vis sit illius puncti .

(B) Ad quod omaia , quæ gravant , feruntur suo pondere ; uti Poëta de centro terræ ac mundi dixit , quando in eius transitu tantopere laboravit : miratusque est , tam se , quam ductorem suum Virgilium

Caput vertere , quæ pedes stetissent : Vulgus , inquam , non sibi potest persuadere (C) circumfundi terræ undique homines , conversisque inter se pedibus stare : quin etiam rogare audet , quomodo non in cælum cadant ? Tanquam non ratio praestet sit , ut nos non decidere mirentur illi : aut ut magis philosophie loquamur ; tanquam ascendere esset cadere : atqui à terra ad cælum non nisi ascendendo , pervenitur . Igitur imaginatio labitur , eversaque est , cum putat , quidpiam posse sursum cadere . Sed omittamus de huius rei probatione disputare , cuius hæc locus non est : sed proprietates tantum afer-

feramus, quæ nobis superstruendæ doctrinæ moralis fundamentum præbeant. Habent igitur Antipodæ anni ac naturæ conversiones, nostris omnino contrarias. Illis sol oritur, cùm nobis occidit: noster meridies ipsis noctem dimidiat; & nobis tunc nox media est, cùm ipsis dies medius illuxit. Sub Cancri Solstodium dies illis brevissimi, nobis longissimi sunt: dum h̄ic æstas, illic hyems vadit: & noster Autumnus, ipsis vernos temores affert. Ad summam, ut breviter cum Pomponio Mela dicam; (*D*) PARIA AGUNT TEMPORA; SED NON PARITER. Quâ in re nunquid putatis quam naturalissimè illud exoticorum hominum genus depingi, qui vivunt, loquuntur, judicant, omnia contrà, ac alij faciunt?

Venite parumper mecum, ait Stoicus, & observeate diversos à communi mores, & contrariam vitæ rationem quorundam hominum, semper in aliud obnitentium: tum verò negate, si potestis, (*E*) ESSE QOSDAM IN Eadem Urbe ANTIPODES. Hyeme rosas velle, æstate nives, num id non est anni stationes velle oppositas, quales sunt apud Antipodas? Oritur sol; & ipsi cubitum dormitumq; concedunt: occidit; cùm illis surgere placet. Nocte jam concubiâ jubent prandium apparari; ac ubi diluculat, cænam inferri. Examineate nunc tempestatum vices, & reperiatis, eos dormire, vigilare, edere, quando id agunt Antipodes; tempore, situ, ordine contrà, quem natura nobis

nobis constituit, & è diametro inverso. (F) Taliſ horum contraria omnibus, non regio, sed vita est. Videntur deſignari cum alijs communiter ſe gerere; & eisdem, quibus populus & plebes viicitat, horis, temporibus, & actionibus uti: cùmque haud dubiè ſtultum putarent, ( & hercle eſſent ſtultiſſimi ) ſi eapropter ſolum, ut ne ſicut vulgus, incederent, vellent Manibus & Capite in terra ſtantes ingredi, pedibus in altum erexitis; nunc putant ſe prudenter, nec ſine multâ ſui admiratione facere, quodd humanæ vitæ confuetudines evertant, dies in noctem, mane in vesperam demutando. Ha- etenus Seneca, mille ſimilium elegantium cogitationum prædives: in eo ſolum mihi admirabilis, quodd præter ſuum morem, non ad alias quoque fatuitates flagellandas ſe accinxit: Senem quempiam canis temporibus, ſed cerebro puerilium nugarum pleno; &

Ore Cupidineos ſæpe ſonante modos.

An non hoc quoddam in nivibus ver eſt? Ju- venem in ætatis vigentiſſimo flore inertem, otiosum oblangueſcere; nunquid hoc eſt dot- mitum ire, quo tempore ſol exoriens, totum mundum ad laborandi ſolertiam exuſcitat? Et jam rigente hyeme, & flantibus Apeliotis, nudum ſinum atque humeros circumferre; (Stoicus utique vendibiles fæminas, & ad ſpecimen proſtantes diceret) quid id eſt, niſi ex Januario Julium facere? & ad harum ſimili- nem, vah quot, & quales alias naturæ tudi

injurias, vitiorum monstra, & simillimas antipodum contrapoſitiones!

Etiamnum sub oculis totius orbis exposita visitur urbis Ravennæ effigies; opus antiquissimum, utpote Sidonij Apollinaris manu depicta, circiter abhinc annis mille ducentis. Percurrите illam ſemel oculis; & ſi unquam Luciani Historiam Veram legistis, dicite, num Ingenio illi, poëticarum phantasiarum alias fœcundiffimo, unquam in mentem venerit Urbem fingere, huic adæquè impossibilem, nō tantum viſu auditūq; insolitam tum enim verò facile in modernâ Ravennâ, discordantis eorum genij ac vitæ imaginem deprehendetis, de quibus modò dicebam, naturæ humanae Antipodium. (G) Ravennæ, ait ille, muri cadunt, aquæ ſtant, turres fluunt, naues ſedent, ægri deambulant, Medici iacent, algent balnea, domicilia conflagrant, ſitiunt Vivi, natant ſepulti, vigilant fures, dormiunt potestates: & paulò post; Negotiatores militant, ſtudent pilæ ſenes, alea iuvenes, arniis evnuchi, literis fæderati &c. Quodſi hac in urbe non eſt inversum mundum, plenūmque eiusmodi hominum reperire, qui alijs ſint Antipodes, ubi quæſo aliam monſtrabitis, ex diametro magis oppofitam? Mihi certè ne priſca quidem Roma tempeſtate Julij Cæſ. magis antipoda videbitur, quando menses extra memoriā, & anni putari poterant ebrij eſſe, cùm illos quidem nemo ſciret, ad quam de quatuor anni parti- bus pertinerent; iſti plane ſecundum non conve- nirent,

nirent: idque ob peregrinum illum & insolentem morem, (H) Januario messem faciendi, Aprili vindemiam; cum jam nives Julium gelarent, Decembrem Canicula exureret: quæ miraculorum monstra Sacerdotum Omnipotentia procudebat: qui cum ex officio ordinandorum fastorum curam haberent, auro à Publicanis corrupti, prout istorum usuratijs rationibus expediret, annum nunc brevem, nunc longum faciebant, intercalando, aut non; nec jam dies tantum, sed hebdomades ac menses: donec Julius Cæs. Dictator, pietate patriæ ductus, adhibito in eam rem Soligene, Viro in Astronomicis eruditissimo, Calendarium reformavit: Menses ad proprias stationes revocavit; emendavit vitia non jam anni innocentis, sed Sacerdotum: populum atque Urbem ad antiquum suum clima reduxit, quæ mutatis temporum stationibus, planè ad oppositam mundi plagam transportata credebatur.

Verum alia adhuc species Antipodium occurrit, longè numerosior ijs, qui naturæ ordinem intervertunt; ac magis etiam importuna. Neque enim simplici tantum modo alijs se contraponunt; sed acerbâ quædam studiorum æmulatione, & inflexibili animorum pertinaciâ repugnant; tam maligno contradictionis spiritu obsessi, ut, ubi modò olfecerint, alijs hac de re istud vel illud videri aut placere, nullâ causâ vel ratione aliâ opus sit, ut quam incensissimis

animis se in adversum opponant : eoque maiore obstinatione, quod cum pluribus est contendendum : adeo ut , si cum toto mundo congregiendum foret, tum enim verò & singulari gloriae , & voluptati id sibi ducerent ; persuasissimi, se unos ac supremos totius Universi magistros esse. Quodsi quis cupiat tam mali humoris venam divinando deprehendere, idem etiā velit Quadraturam Circuli reperire. Ista igitur una in primis est, atq; improbissima Antipodū generatio: quæ si ad locum sibi proprium amandari debeat, utiq; ad ipsos Antipodas sit expellenda. Si enim Scipio Africanus nepoti suo desuper ab æthere terram, eiūsq; in quinq; Zonas seu circulos partitionem ostendens, (I) *Australis ille, dixit, in quo qui insunt, adversa nobis urgent vestigia, NIHIL AD VESTRVM GENVS:* quæro, si nihil, quod nobis eum agant, habent ij, qui pedes nobis adversos tenent ; quomodo ij quidquam commune habebunt, qui caput nobis tam contrarium gerunt, ut semper aliud sentiant, jubeantque alterius utique conditionis mortales ; de quibus pariter dicas, *nihil ad nostrum genus ?*

Jam si de familiari consuetudine loquamur, quæ in honestis conventibus inter literatos, amicos, populares intercedit; ubi quod maximè delectat, unio est cum varietate : ad eum modum, quo qui choreas agunt, nunc strigentes orbem, nunc laxantes, aut in contrarias partes medium transilientes, videntur

tunc

tunc dissentire inter se, & ludum velle dirumpere, quando vel maximè sibi consentiunt, ad mensuram, ac numerum seu celerandis gressibus, seu lentandis, circuitionum spatia convertentes: ita quidem pro se singuli, ut tamen ad alios quam maximè intenti, ad omnes eorum motiones respondeant; totum utique chorum turbaturi, si vel unus præter ordinem aut excedat rhombo, aut subeat. Audete nunc de obstinacibus istis, quibus anima Inversimoris in corpore infidet, invitare aliquem: & attendite, utrum tanta potuerit esse voluntum consensio, quam illi non dissocient; & quidpiam tam bene cæptum ordinatumque, quod isti non continuò dissipent & evertant? Ubi namque omnes alij in rem unam quampiam, delectabilem pariter, honestamque consentient, ea ipsa concorditas, & læta animalium comprobatio, in horum mentibus contrarium efformat judicium; idque mox collaudant, quod non magis loco, tempori, personisq; aptum sit, quam illa apud Æsopum adversantissima epulandi ratio Ciconiæ & vulpis. Ita enim communiter accedit in ijs, quæ secum isti cogitant aut volunt; in negotiis, quæ suscipiunt; in sententijs quas ferunt; ut ex ab recto tanto longius devient, quanto ad eorum gustum, sensumque magis accesserint. Vae mundo, si ex istorum placitis, non obliqua modò, sed prorsus absonta statuentium, gubernari deberet! hoc enim ordine

Dd 5

omnia

omnia sursum deorsum volvi necesse foret; hoc est, contra atque nunc eunt: parique stultiā res in orbe disponi videremus, quā olim Alabandæ in palæstra atque foro collocatas fuisse statuas memorant. (K) Nam cūm uterque locus hisce ornamenti esset obsitus, quot statuæ, tot monstra animi visebantur, ac iudicij eorum, qui eas collocaverant. Namque in palæstrâ, ubi juventus luctâ, disco, cæstu, gladijs, cursu exercebatur, Oratorum Judicūmq; effigies prostabant; eo corporis habitu, tanquam illi causam dicerent, hi sententiam aut leges ferrent. In foro autem, ubi haberi judicia solebant, circa tribunalia, famosissimorum athletarum, luctatorum, pugilum, & cursorum imagines cernebantur; succincti, levatisque ita pedibus, ut etiamnum emicare, & currere putarentur. Quod ubi Licinius Mathematicus vidit, per amœnum jocatus dixit: vel hinc apparere, hasce profectò statuas esse, quod se ab eo loco non moverent. nam si vel tantillum sensūs haberent, utralsque stationem mutaturas; & illas de palæstrâ in forum, istas è foro ad arenam migraturas. Quanquam autem immobiles essent, non tamen pariter ita elingues erant, ut non vel solo sui aspectu apud omnes, qui cæci non essent, graviter de eorum fatuitate conquererentur, qui eas suâ in patriâ Antipodas fecissent; omnino contrâ eas locando, atque ipsam vita ac spiritus requirebant.

Dixi

Dixi paulò antè, obstinaciā istorum hominum, quā se communib[us] omnium sententijs & moribus audent opponere, ab arroganti quādam complacentiā provenire, maius aliquid supra commune hominum genus de se suspicantum: neque dubitantum, si possent, contra totius etiam, ubi opus foret, mortalitatis torrentem soli consistere. Et sācē dum suas rationes, quibus ad illam obnitionem inducuntur, ceu solas optimas, validas, necessariō veras, & ineluctabiles intuentur ac mirantur, tantum inde voluptatis concipiunt, ut citius Archimedes mundum, (quod tantopere jactabat) machinarum suarum ingenio sedibus suis emovere potuerit, quām istorum bipedūm aliquem quisquam de sententiā, cui semel instituit, valeret deducere. Ita quidem, ut etiam tum, quando evincere, quod volebant, contra alios non potuēre, adhuc velut reportatā victoriā ovantes descendant; eō saltem, quod tam densā inimicorum acie non modò non superari, sed ne flecti quidem potuerint. Cuius rei oppidō velim vobis hic (ex proportionum mysterio) quām simillimam imaginem deformare; & unā hinc ex istā spontaneorum generis humani Antipodum viciniā nave in nostram auferre; ut quos facilius in versos capite monstraveris, quām in rectuni denuō situm converteris. Verūm excellenti ad hoc Apelle quodam opus esset, qui mihi Diogenis quoddā factum, & ante omnia ipsum Diogenem effigiaret.

An-

Antiquiores picturæ & sculptoriae artifices cùm seu in tela, seu marmore Venerem aut Mercurium volebant producere, ex quâpiam Phryne, tanquam vivissimo exemplo, formam Veneris; ex Alcibiade vultum Mercurijsibi capiebant. igitur ad Charontem statuendum, haud videtur ullius magis similis, & connaturalis, quâm Diogenis effigies esse. Senex rubigine decolor, spississimâ barbâ, & impexis, capillis horridus: nive candior; ut qui jam amplius nonaginta hyemes in gibbo bajulet: harum tamen ingratij tam vegetus & vivax, ut non nisi violentâ morte credatur perimi posse.. Corporis magnitudo paulò infra medium: idem tamen quo pressius, hoc robustius, grandibus juncturis & torosis, brevibus membris, & ossium potius mole firmum, quâm carne obsitum. Adhæc hirtus totus, & propemodum squammatus: quales hominum primos rebantur, in antiquo Poëtarum mundo, quercuum pinorumque ventribus effusos. Habitus dicitur Cynicorum honestate, seu necessitate finitus: quarum illa tenuem admireret, ista nullum exposceret. sua illi pellis pro vestitu, quin & pro munimento erat, contra temporis malignitates; adeò illam solidam durâaque reddiderat, tot annorum ad solis ignem, & pluviarum undas patientia. Os ipsum ( quod melius rostrum diceres ) macie squaloréque horridum: quod, quanquam hominis esse omnes opinentur, tale

etiam tamen erat, ut ( quod olim pictura pri-  
mùm nascens faciebat ) adscribi oportet,  
huncce hominis vultum esse: aliter poterat  
canis credi: cùm & canis de more viveret; &  
strictis in obvios dentibus ringeretur, allatra-  
ret, insiliret, morsu impeteret. Et hem, si  
eum vel una dies cum Philosopho Porco (Epi-  
curo) junxisset, quid non festivi spectaculi  
Græcia vidisset? irruere hunc iratissimum ca-  
nem, infigere bestiæ dentes, & quam firmissi-  
mè illam tenere; donec vel unus aurem gru-  
nientem perderet, vel alter dentes. Denique  
ut aspectus congrueret, ex Senecâ petendum  
putarem; quanquam nec iste satis significati-  
vus est, quem ille *vultum legis* (*L*) appellat;  
Judici reos ad mortem damnanti aptatum.  
Magis ille Diogenem spirat, quem These-  
us apud eundem narrat in Plutone se vi-  
disse:

(M) *Vultus est illi Iovis;*  
*Sed fulminantis. Magna pars regni trucis*  
*Est ipse Dominus: cuius aspectum timet,*  
*Quidquid timetur.*

Profectò enim Diogenis severa facies, hispi-  
dum supercilium, terribilis aspectus, nescio  
quid communi majestate & asperitate maius  
habebat; cùm illum iij quoque timerent, qui  
timebantur: sat gnari, nulli eum parcere so-  
lere, qui eius lingua & supplicia meruisset. Hunc  
igitur, ecce, uno die, cùm ingens populus  
Corinthi de theatro exiret, in confertos ob-  
nitens,

nitentem, intrudentem se cum impetu, & contra tam rapidum plebis fluctum, se ipsum densè propellentis, contendentem non sine multâ dimicatione in theatrum perrumpere. Neque iccirco, quod impetu vulgi rejectus, longéque hinc in ipsâ turbâ portatus esset, cedendum putat: sed majori spiritu in seipsum collectus, humeris subductis, & capite hirci instar, in adversarium arietatu*ti*, demisso, reddit, iteratque ausum, in medios incursans: egregiè contentus, & pro victoriâ interpretatus, quod omnibus unus contrâ occurrisset. Ridere alij, alij indignari; omnes illum respicere, nemo tamen interrogare, num sat animo sibi constaret; cum per se satis appareret, eum mentis planè emotæ esse: sed exclamare modò singuli, quid faceret, quid sibi vellet? Cum iste grandè boans; (*N*) O stulti cæcique, intonat: num igitur jam primùm advertitis, me vobis collatâ fronte & pectore, adversum niti? omnis mea vita vestræ opponitur, velut inter se se Antipodes: quippe hanc mihi legem imposui; ut qui nec sapienter cernere possim, nec facere, nisi ubi contrâ, ac vos agitis. Et hoc dicto (*O*) *Socrates insanus*, ut eum Plato vocabat, inde lœtissimus discessit: relicto, ut ego reor, vivo speculo, in quo quām planissimè se contueri possint isti mei interversæ mentis Antipodes: qui id summam sapientiam esse putant, omnibus contrâ stare; & se pro ijs venditare, qui soli cauti, providentes, magno consi-

consilio, intrepido animo; soli in hoc mundo  
soles sint: cum id ipsum putent dicere se posse,  
quod sol apud Poëtam:

(P) *NITOR IN ADVERSVM: nec me, qui cætera,  
vincit*

*Impetus; & RAPIDO CONTRARIUS EVE-  
HOR ORBI.*

A. *Lucian. in vita Demon.* B. *Dantes. in Infer. c.  
ult.* C. *Plin. lib. 2. c. 15.* D. *de situ Orbis. l. 1. c. 1.*  
E. *Sen. epist. 122.* F. *ibid.* G. *lib. 1. ep. 8.* H. *Salin.  
c. 3.* I. *Cicero in Somn. Scipio.* K. *Vitruvi. l. 7. c. 5.*  
L. *lib. 1. de Ira. c. 16.* M. *in Herc. Fur.* N. *Laërt. in  
Diog.* O. *Ælian. l. 14. c. 33.* P. *Metamorph. l. 2.*

## X X.

### R H O D U S.

VIGOR ANIMI, ETIAM IN  
SUA CALAMITATE TRIUM-  
PHANTIS.

**H**eus, peregrini Geographi; portus hic,  
cuius nunc intra fauces invehimur, pul-  
cherrima Rhodus est, illa quondam Orbe cla-  
rissima Solis Civitas, & Archipelagi Regina; tot  
gloriarum radijs coronata, quot dies in ducen-  
tis tredecim annis numerabis, quibus illa sub-  
dominatu Illusterrimorum Equitum fuit,  
tunc ab Rhodis titulum habentium; nunc ab  
Malta, non minoris famæ Insula. Verum ex-  
quo Solimannus, abhinc centum & quadra-  
ginta anni eam nobis eripuit; haud quidem sui  
valore ingenij (neque enim inde Barbarus ha-  
bet,

bet, quod jaſtet) aut virium potentia, quae  
trecentis Turcarum millibus nitebatur: quid-  
quid enim foris poterat, nihil erat; cum nihil  
nisi foris posset: ut tandem aliquid intus quo-  
que posset, intus subsidium, à perfido prodi-  
tore invenit. cuius ne nomen appellari fas est;  
adè ipsa vox dictu audituque *Amara* est.  
Igitur exinde omni intercepto splendore, ne-  
que jam Regina auro redimita ac luce, sed vi-  
lis ancilla ferro & catenis onerata, tam pro-  
fundè decidit, quam altè sol, cuius Civitas  
antè fuerat, supra Lunam eminet, cuius sub  
cornua dēhinc procubuit.

Ad recordationem tam lacrimosi casus, vi-  
deo, quanta animos vestros tristitia occupa-  
rit, cum vultus ipsos mæstissimè in sinum de-  
mittatis. Quod si ob eorum Principum vec-  
ordiam facitis, qui frequenter in opem rogati,  
cum facilè possent, ne quidem signum aliquod  
ferendi auxilij dederunt; bene profectò eru-  
bescitis illorum vice: sic ut Rhodus deinceps  
vel nominata duntaxat, semper viva &  
justissima accusatio sit futura, quæ illo-  
rum ossa in sepulcris quiescere sine imprope-  
rio non finet. Quod autem ad Equites illos  
pertinet, erigite sanè generosas frontes, & in  
pristinam serenitatem dissipate mæstitia hu-  
ius nebulam. Námque hīc speculum vobis  
offertur, si quod unquā virtus in nobili Chri-  
stianóque pectorē dedit, longè clarissimum.  
Neque id vos magnopere affligat, quod Rhod-  
us

dus interim conciderit. Cecidit illa quidem ; sed quamvis universali illo seu naturæ, seu legis cælestis fato , rebus mortalibus , modò his, modò illis ruina incumbat, Virtus tamen, quæ Casuum injurijs subjecta non est, non solum se adhuc monstrat invictam , sed vincit etiam ac triumphat : ita ut , si rem bene suis momentis libremus , jactura longo intervallo minor sit emolumentis ; neque Rhodus , etiam integræ florēnsque, se tam gloriosam jactare potuerit , quam nunc possit in ruinis suis consepulta. Id autem quo pacto se habeat , primò quidem in umbrâ , deinde etiam in verâ eius imagine vobis demonstratum eo : attendite.

In ostio Rhodiensis huius portus , ubi in anchoris stamus , ante decem & octo sæcula , nominatissimus ille Colossus , seu statua solis constituerat : de quam non facile dixerim , magisne ille miraculum immensitate molis , an incomparabili raritate artis fuerit. Charetis Officina , qui magni Lysippi discipulus fuerat , ventris , ubi conciperetur ac nasceretur , illi vicem præbuit , intra æriferi montis viscera constructa . neque minus quam duodecilio artifex opus habuit , ut tam vasti corporis membra , unum post aliud expediret , donec universæ machinæ modus conformatus esset : quippe cum nihil gigante minor gigni deberet , septuaginta & amplius cubitos longus. Ita igitur prognatus , ut jam toti mundo foret conspicuus , non plus necesse fuit , quam ut in pe-

des erigeretur : ut à mundo inter septem miracula numeraretur, sufficerat , conspectum esse.

Quare jam longè major earum navium numerus ad hunc portum convolabat , quas ex longinquis regnis curiositas , quām quas mercaturæ studia adduxissent ; eius tantùm lucravidas , quod ex nobili illâ oblectatione capit , quam emuncti judicii gustus ex illarum rerum admiratione haurire novit , quæ vel naturæ ingenio , vel artis magisterio communem modum excellunt; cuiusmodi sānè hic Colossus erat. quam admirationem etiam cùm domum redijssent, experiebantur: pleni equidem ; sed nunquam tauri inexplicabilis voluptatis: quando præter consummatissimæ artis prodigium , non tantùm dissimulatæ , aut reconditæ , sed quasi in hoc opere penitus exhaustæ ac prope perditæ , credebatur hoc corpus, ut olim Deucalionæ homines ex lapidibus, ita ipsum Divino quodam artificio, ab seipso prodijste. Atque ut nonnihil de libratissimâ membrorum proportione dicam, omnia tam perfectè ad naturæ regulas respondebant , ut tororum cuniculis, & vallicularum intercapedine , & venarum intercurrentium flexu, nihil verisimilius. Vivacissima corporis habitudo erat, quā non modo in loco consistet , sed se suprà semetipsum attolleret ad sidera. facies deinde tanta venustatis, & (quod unà reperire difficultimum ) gravitatis mixtura,

turā, ut discerni non posset, plūsne ambilitatis eniteret, quæ solem deceret; an majestatis, quæ Deum. Talis erat Rhodius hic Colossus; cuius fama semper alios aliōsque populos ad eius spectaculum evocabat: eōque etiam magis, quod non solum alliciebat ad venas, sed attractos etiam eminus ad se ipse ductabat: quando qui interdiu sol erat, noctu cum grandi lampade, quam ardenter dextrā sustinebat, navigantibus pro duce, instar polaris stellæ serviebat.

Cæterū velut non solis hominibus, sed etiam metallis, imaginem hominis gerentibus, certa annorum mensura præfixa esset; & moriendi lex iccirco saltē imposta, quod videantur vivere; ingens hic Colossus, qui immortalitatem vivere dignus fuerat, ne quidem anno ætatis suæ sexto & quinquagesimo defunctus, interiit: quando non repentinâ magis, quām validâ agitatione omnis Insula ita succussa est, ut perinde, ac si una Symplegadum foret fundo carens, inter undas fluctuaret. Ibi ille emotis sedibus haud se ultra sustinens, proclinari retrosum cœpit, ac proruerre; totumque illud litus, lamentabilis tructus immanium membrorum fragminibus complevit. Quid autem necesse fuit, ad minuendam eius gloriam etiam vitæ ifisidiari, cùm illa soleat defunctis etiam auctior accrescere? Jacet ille etiamnum extensus; (ut de suâ ætate Historicus loquitur) (1) & cùm ipse

E e 2 proci-

procidui montis speciem habeat, membra eius possunt rupium frusta & fissuræ putari; *vasti specus hiant de fractis membris.* Priùs tamē quām hæc illi ruina accideret, non aliud de illo judicium ferebatur, quām quod oculi ab distantia præstigijs decepti tulissent: quibus omnis etiā maxima moles, in minimos modulos reducta, contentum fit; tantōq; seipsā minor habetur, ut ipse sol, qui integer quidā mundus est, luce coruscans, nil nisi globus videatur, vix palmi orbem excedens. Interim quod olim ingenioso Timantis penicillo pñne supra Poëtarum ingenium jocari placuit, (B) ut Satyrorum turram faceret, perticā dormientis Polyphemi pollicem metientium; id h̄c reapse evenit: ubi, dum permulti extensis brachijs conantur unius digiti crassitatem stringere, pauci pollicem eius amplectuntur. Denique ut uno verbo quamplurima eloquar; (C) IACENS QUOQUE MIRACULO EST. Neque ego plura de illo edixerō, quando jam ibi sumus, ubi oportet, in conspectu nempe Colossi, & Urbis Rhodi: quorum nunc quidem uterque occidit, sed tamen uterq; ex æquo Iacens quoque miraculo est.

Prodeat ergo in apertum Historia: & si unica terræ commotio ad evertendum Colossum valuit, Rhodi Urbs ad quatuor & quinquaginta eiusmodi succussions vobis numerabit, militaris artis ingenio adornatas: ita cuniculos illos nomino, pulvere sulphureo fartos; quot scilicet inimicorum furor ad ever-

everberanda & disjcienda Urbis mœnia instruxerat. Adhæc innumerabiles illas machinas cernite, magnam pelagi partem insidentes ; hoc est, quadringenta Turcica navigia, velut totidem castella in mari ædificata ; imò potius in aëre, si ventum attendas, quem desperato tam difficilis expeditionis exitu Barbari captabant, quantocytus cum dedecore domum reddituri, unde cùm tam immani arrogantiâ accesserant. Terrestres copias pñne infiniti laboris fuerit, singulatim in censum mittere : imò, quo modo Xerxes exercitum suum, ita vos haçce copias ad mensuram redigite, amplissimi ambitus sept̄ extructo, decem millium capace ; itaque tricies impleto, ac iterum vacuato, videbitis trecenta bellatorum millia coram urbe constitisse. Jam oculis tam innuerabili hostium multitudine obtutis, ad Urbis muros vos convertite : & invictos illos Equites, quos vobis Crux, in singularum pectoribus relucens, facile distinguit, itidem vocate in numerum ; unicam sanè illos, sed invictam loci tutelam. Ipsa scilicet se amittet sub aspectu paucitas; vix bene sexcentorum manipulum explens. itaque vel si tot fuerint, singulis contra sexcentos hostium configendum erit : quod tantundem ferme fuerit, ac dicere, sic fuisse paria comparata, ut sexcentis exercitibus contra sexcentos homines fuerit depugnandum. Ita productis in ordines aciebus, euge, insonent tubæ classi-

Ee ; cum,

cum, misceant cruentum martem, procur-  
rant Solimanni Copiæ, & ad manum ac ferri  
arbitrium res deveniat. Prius tamen pro E-  
quitum parte id boni augurij fiat, quod (D)  
Archidamus, Agesilaus, Leonidas, pro suis  
Spartanis adhibere soliti: qui in ipso aggressu  
certaminis, Musas sacrificio propitiabant; ve-  
luti qui animo prodirent ad eas res gerendas  
obfirmato, quarum perpetua deberet ex-  
tare memoria; unde & Historici gloriofa-  
rum narrationum materiam caperent. & Poë-  
tae gravissimum argumentum, heroici carmi-  
nis tubâ recitandum. At enim Turcis neuti-  
quam vel animus est armis decernere, vel a-  
pertâ fronte: quin adeò ne hominum instar in  
campum exeunt; sed eunicolorum more sub  
terram se abscondunt. Laxantur arcus, recli-  
duntur in vaginam enses, & otiente omni  
bellico instrumento, sarculis tantum & ligo-  
nibus, & marris demandatur negotium; qui-  
bus sexaginta millia, vilissimum vulgus, ar-  
mati, sub terram se, velut diaboli in infernum  
penetrant, mox per occultas fossas & ignem,  
& furias ipsas, cum magna murorum parte ia-  
æra difflaturi. Quatuor & quinquaginta ca-  
rūm fuisse dixi. at enim quo eventus? nunquam  
Rhodus magis secura, & validius clausa fuit,  
quam cum tot tamque vastis ruinis aperta.  
Succedunt in murorum vicem ipsa Equitum  
fortissima pectora: neque ulla moenium pars  
valentior erat, quam quæ prociderat; neque  
ulla

ulla impenetrabilior , quām quæ sic hosti patetebat. Quatuor illæ impressiones, quibus Solimannus uno tempore , & diversis locis , totâ virium suarum potentia urbem arietavit, profecto quatuor macella fuere, ad barbararum gentium perniciem comparata. In unâ duntaxat parte , non sine maximâ strage in fugam profligati Turcæ, quadraginta vexilla propugnatoribus reliquere. Uno tantum in assultu, ad viginti millia trucidati , impias animas Orco despuerunt ; corpora pontus haufit ; quorum & sanguinem bibit , latè per ingens spatum foedissimo tabo purpuratus. Jamque toties per murorum suorum strages , libero hostis contemtu , vicitria signa generosissimi Equites produxerant , ut tota bellî fors atque alea mutata videretur : neque illi pro obsessis haberi possent , qui intra urbem essent , sed qui foris. Ita de Hercule , quando vastum in Oetâ rogum concendit, quidquid mortale & terrenum dorso gestabat , flammis consumturus , egregiè ad Herois illius describendum animum Poëta cecinit : (E)

*Inter vapores positus , & flammæ minas ,  
Correpta flectens membra , adhortatur , monet ,  
Gerit aliquid ardens. Omnibus fortem addidit  
Animum ministris: VRERE ARDENTEM PVTES.*

Rhodus igitur, dum sic Equites suos per moenium rudera in hostem emittit , & cum gloria reduces excipit , quid nisi ruinas suas in Portas triumphales mutarat? Verum ubi ne-

que illarum incursionum , neque cædium finis siebat , ipsæ jam Victoriae victores suos consumebant : quippe quibus plus damni peregritorum hostium cadavera inferrent , auris pestilenti tabe corruptis ; quam vivi cum armis incursantes .

Igitur cum jam amissis ad nonaginta suorum millia , etiam spem victoriae Tyrannus amisisset . posita , quod impossibile credi poterat , arrogantissimi spiritus elatione , impedimenta & exercitum comportarat in naves , propediem inde vela facturus ; ita tamen , ut tam indecora fuga minimum dedecoris , plurimum honestissimæ necessitatis haberet ; relictis etiam in sanguinolento campo grandibus duobus palis , & infixis duorum Imperatorum ( Bassas ipsi vocant ) Mustafæ & Peri corporibus ; quos ab exercitu sagittis configi jussérat , quod inauspicati Consilij auctores , ipsum ad obsidionem non sine totius mundi risu , & Imperij Ottomannici contemtu adduxissent . Quid autem postea successerit , potius tacendo placet indicare : tum quia , quod verbis explicari potest , nondum ad doloris summam pervenit : tum quia ipso dolore major etiam pudoris causa subest , quæ se publicari vetat . Sufficerit dicere , Rhodum ex se ipsâ devictam perisse . Tantò scilicet ad eius interitum plus valuit unius interni proditoris perfidia , quam trecentorum Turcarum milium foris oppugnantium violentia .

Sic

Sic ergo deniq; Rhodum Solimanus habuit. Cuius tamen in ingressu illud suspirans con-geminare potuit, quod alias quidam, Romanis ab se superatis, olim ingemuit: ubi iterum sic vicerimus, debellati erimus. Nam si hoc quidem est vincere, quid igitur vinci erit? Cæterum Equites primo die anni 1523. urba egressi, dum nondum habent, ubi armamenta tantæ jacturæ colligant, per omnes Europæ partes incerti sparguntur. Sequamur illos, tametsi usque ad remotissimas mundi plagas necesse foret: quippe illa ipsa dispersio id effecit, ut vera animi potius, quam sanguinis nobilitas, simûlque Religionis Christianæ gloria, pietas, ac bellicæ virtutis robur, & eques-tris Ordinis commendatio, toto orbe dilata-rentur. Quod ut vobis tanto melius ob ocu-los ponam, veniat vobis in mentem vietricis illius Romanæ classis: quæ cùm post primum Punicum bellum, numerosâ navium manum cum dupli thesauro, & spoliorum, & hono-ris, Italiani versùs reduceret, ad ipsam Afri-çæ oram geminâ tempestate, & ventorum, & undarum, tam sævè afflita fuit, ut nulla nau-tarum ars utriusque elementi furori par esset. Primum igitur consilium fuit, levatis jacturâ navibus, arbitrio se tempestatis permittere: sed incassum; utpote cùm frustra esset. eam velle effugere, quæ illos, quocunque irent, portabat: & modò cum hâc, modò cum illâ nave, modò cum pluribus simul, pro suâ lu-

Ee 5

bidi-

bidine eum ludum ludebat, quem ludere immanes tempestates solent. Nam & ventieas inter se fædè collidere, & circumfusum procellis mare agitatas proruere in profundum: donec mutuis inter se impulsibus, latera laxarent, ac solverentur. Quædam insano impetu in syrtium arenas conjectæ, cùm proris fixæ ac immobiles hærerent, fluctuante puppi sustinebant undarum insultum; quibus denique obruebantur. Complures uno duntaxat scopuli ictu perfractæ, in plura frusta quām tabulas dissilierant. Ita intra paucas horas illa non minùs gloria, quām opulenta Romanorum classis, (F) naufragio suo Africam & Syrtes, omnium Imperia gentium, insularum litora implevit. At enim quid postea consecutum est? num fortè cum navibus etiam Victoria, & debita Romanis gloria, eodem naufragio in profundum subsedit? Quin imò inde grandior ampliorque evasit: ita ut, ubi priùs sola Roma receptis navibus suis, devictæ Carthaginis triumphum conspexisset, illa nunc superata victrice sua classe, & dispersis per omne, quām longè patet æquor, prædis ac spolijs, in omnibus mundi partibus triumphârit; velut ipsius tempestatis operâ, totidem debellatae Carthaginis nuncijs ac testibus, quaqua versum dimissis. (G) Magna clades, sed non sine aliquâ Principis populi dignitate, interceptâ tempestate victoriâ, triumphum periisse naufragio. Et tamen cùm Punicæ præde omnibus Promontoriis Insulisque fluitarent, Populus Romanus triumphavit.

Ita

Ita planè in naufragio Rhodi eiusque Equitibus, per diversa Europæ Regna & Provincias, velut à fortunæ tempestate disjectis evenit, ut id, quod Rhodo incolumi fuisset Heroicæ ipsorum virtutis triumphus, in solâ Rhodo visus, eâ amisâ, ipsisque quaquaversum dispersis ad totius mundi notitiam & celebritatem pervenerit. Ut autem aliquid saltem dicamus, quomodo id acciderit, videamus per ordinem aliquas, quæ inde prodiere,

(H) *Tot bellorum animæ;*

quæs fronte in ipsâ visitur Virtus sua,

Insculpta generofis notis.

Insculpta, inquam, cælo lancearum & telorum, scalpro securium & gladiorum, quibus eminus cominùsque continuò, & quotidie colluctabantur: quibus Heroum istorum imagines eam in formam incidebantur, ut qui eorum corpora plena honestissimis cicatricibus vidisset, facilè sibi inde animorum speciem concipere potuisset. Quàm multi eorum plura vulnera numerabant, quàm membra? quàm multis viva crux in pectore hastis sagittisque velut clavis affixa gestabatur; cùm iste manum, ille crus in prælio amisisset; trunci hominum, sed tantò pulchriores, quantò plus deformati; tantò magis integri, quantò magis defectivi, ac manci. Et sicut vetustissimarum statuarum fragmenta, quas Phidias, Praxiteles, Glycon, cæterique artis huius Semidei reliquère, incomparabile quodam

dān apud solertes posteros imitationis momentum habent; ita quisque illorum Equitum, si vel unā sui parte remanserat, cæterā ad armorum usum deinceps inhabilis,

(1) *Exemplum, non miles erat.*

Quod deinde ad commeritam ipsorum gloriam attinet, noli te ipsam erubescere,

*quod te machina crebra perforârit;*

dixerat Sidonius Poëta ad Narbonensem urbem: quæ cā ætate, ob crebram arietationem, mœnia habebat alicubi perrupta, alibi crebris fissa rimis, alicubi in propinquam ruinam nutantia:

*Namque in corpore fortium virorum*

*Laws est amplior, amplior cicatrix.*

Claudicabat uno crure Philippus Rex, quod illi in urbis expugnatione, hostilis balista oblaſcerat: cuius in aspectu, (K) ð bellum incesum aiebat, tunc Juvenis, sed jam ex eo tempore magnus Alexander, eius filius; tam glorioſum defectum patri invidens. addiditque dicti causam: quippe qui ne passum unum breviore istoc pede moves, quin te ille virtutis admoneat, quā talis factus est. cūmque te confestim pes alter elevet, imò potius exaltet, supra communem excrescis mensuram, tēque ipso maior es. unde incessus tuus, si bene intelligo, perpetuus quidam & publicus triumphus est. Audiamus id ipsum in propriam laudem dictum ab magno illo bellicæ rei magistro, Sertorio: (L) qui cūm Romanus esset, non

non tamen minus Romanis formidabilis fucrat, quam Hannibal: cuius ut magis vivam speciem referret, ipse quoque uno captus oculo erat, quem in prælio sagittâ saucius, poterat videri victoriâ commutasse. Istum dicere solitum accepimus; irent nunc alij, & in testimonium bellicæ suæ virtutis aureas manicas gestarent, hastas puras ostenderent, coronas ferrent cuiuscunque demum & materiæ, & operis: illas tamen aut frequenter deponi oportere, aut aliquando amitti posse; certè non semper in oculis & conspectu haberi: suum decus ab ipso vultu separabile non esse: ubi cùnque se demum circumferret, mox ipsâ in fronte non modicam suæ Historiæ partem primo obtuto evolvi. Unde pro una vulgaris lucis scintillâ, quæ mihi uno in lumine extincta est, quantam gloriæ lucem recipio? quâ qui clarus est, eum solum aspici monstrique dignum judico: & inter verè conspicuos illum magis felicem esse, qui suorum meritorum notas, & quasi vivos virtutis characteres, ipsa in carne monstrare possit: maximè uti in meo oculo evenit; quando tale vulnus immortale reportatae victoriæ monumentum agit.

Ita ille de se: & cum illo pariter tota illa nobilissimorum Equitum manus, pretiosæ nominis Rhodij reliquiae. Atque utinam sicut defunctorum nomina in immortalitate perennant Historiæ, in splendore famæ, in veneratio-

ratione posteritatis; eadémque Meritum (cui soli tanta potestas) grandibus ex auro literis descripta, in gemino Virtutis & Honoris Templo de sublimi tholo suspendit; ita eotundem statuæ Pario marmore ad vivam speciem effigiatæ, in amplissimo quodam theatro per coronam circumpositæ spectari possent! videremus sanè captas pedibus, manu ac naribus carentes, pluribus membris mutilatas, truncanienta hominum; sed tamen si verum fateri placet, longè perfectissimam Christiani Equitis effigiem: ita ut toto orbe ars pectoria meliorem Academiam non haberet. Interea malè auspicata Rhodus, quamdiu aliud fata non dabunt, sit illa sanè, cuius est hoc tamen nunquam eveniet, ut qui eam nunc tenet Barbarus, ab eius solo grandia illa heroicæ virtutis vestigia eradat, quæ suo in abitu ultimi illi Equites indelebiliter impreserunt: sed quamdiu Rhodus in mundo erit, quoties aliquis vel in eius litora exscendet, vel in imaginem in pictura aut literis incurret, admiratione virtutis illorum exultans, longè iustius exclamare audietur, quam Aristippus Philosophus; cum vi tempestatis ad eas oras ejectus, in arenis paucas quasdam Geometricas figuræ dispiceret, ingeminasse dicitur;

### (M) V E S T I G I A H O M I N U M V I D E O.

Euge animosi Juvenes Equites: Adamas, qui ab suæ Originis sinu recens venit, rudit & informis, haud dubiè satis opum ab natura

turā secum affert, dum habet, se adamantem esse. Quia tamen tota eius laus in eo constat, si monstrari viderique possit; quid ei proderit adamantem esse, si beneficæ manūs studium, & labor artis defuerit? Iccirco primò ad sectarum datur, quò extantes asperaque minutiae rescindantur: tum ad rotam limāmque extergitur, complanandus pariter, & perpoliendus: neque unquam artis magisterium ab ministerio manūs se jungitur; sed potius huius laborem illa continuò ex regulâ dirigit, planorum, angulorumque mensuras ritè præscribens. hinc namque habet, posse ita lucem variè ad oculos reflectere, & mille coloribus purpure; ut in uno adamante putas omnium gemmarum decora ac venustates concludi; imò promicare; quando unus omnium colores æmulatur: tam vividùm resplendere, ut oculos pæne feriat; & nescio quid stellis habere simile videatur: idque totum ex salubri illo tormenti genere, quo in eam figuram nitoremque semel fuerat conformatus. Jam verò interpretetibi, credo, opus non erit, ut intellegas, de te mihi sermonem esse. Dum in nobiles editi estis cunas, Adamantis genus acceperitis: id quidem Originibus debetis, unde recisi estis; generosi sanguinis venæ, qui ab maioribus in vos dimanat. Illud nunc attendere oportet, dum vos Equestri Ordini consecratis, vos illi gemmam offerre rudem adhuc,

adhuc , quam elaborare necesse sit ; adamantem informem, qui perpoliri debeat; & ab artis magisterio , hoc est , à disciplinâ cùm Religiosâ , tum militari illud incomparabile utriusque virtutis decus accipere , quo sine parum utique valent simplices illæ naturæ dotes. Quodsi rudes & impoliti uniones , quantumcunque grandes ac pretiosi sint, in terrenorum regum coronas non inseruntur ; quanto minus in Diadema Dei , qui pro suo . imò vestro honore, hunc in finem vos delegit ?

Nolite igitur putare , præproperè ac driter vos haberi , quando in difficiles casus expositi , etiam de capite periclitandum videtis. Sic enim Religio mox à primis annis studet vobis pectus sincerâ chalybis temperaturâ obdurare ; mox tamen auri opulentâ adornandum : quemadmodum senex ille Chiron Juvenem Achillem contra leones in duellum educebat . ut cæsorum comminutis ossibus , medullâ tam robustâ puerum saginaret :

(N) *Sic Amphionæ pulcer sudore palæstra  
Alcides , phætras Dircaeaque tela solebat  
Prætentare feris , olim domitura gigantes.*

Ut in eorum virtutes , & incomparabiles animos succedatis , de quibus paulò antè dixeram , profectò haud à minoribus rudimentis peti initium potest. Ita generosæ aquilæ , quibus ad usque nubes , imò supra etiam evolandum est , non nisi in supremis Tauri , Amani , Caucasi , & similiū arduarum rupium jugis nidos

nidos locant; semper vicinæ, & frequenter circumfrementum fulminum mediæ; inter ventorum prælia, & tempestatum furores positæ: nec earum pulli, cùm primos audere volatus parant, more vilium passerculorum ab ramo ad ramum transflunt; sed ab unius scopuli vertice, ad remotæ cautis apices se ejaculantur, quoddam velut aërij pelagi profundum transfretantes: & me hercle, si quidem verè aquilarum genus sunt, securè volant, ipso animi robore alatum debilitatem supplente.

Jam verò ex quo alio pectore illi spiritus procedunt, quos Religio, altera vestra meliorque parens, vobis instillat, dum inox in primis, & quasi pullaribus adhuc annis. in maritimas expeditiones longo & periculo so itinere vos dimittit? ubi si aliud nihil sit nisi navigationis hortor, certè id etiam solum magnopere æstimabit, seu qui navigat, seu qui navigare timet; sapiens illud Anacharsidis Philosophi dictum sectatus, (O) eum, qui in mari est, neque mortuis adnumetari posse, ut qui adhuc mori possit; nec viventibus, quia jam in eo sit, ut sepeliatur. Et tamen in vestris navigationibus minima pars periculorum in navigando consistit: sed perinde, ut qui in densissimam silvam se immittit, venatu Elephantorum, tigrium, ursorum prædam facturus; ita vos in longè terribiliores feras, Turcarum inquam agmina, bellum circum fertis;

fertis; posteaquam cōmune in illum Christianū  
nominis hostem, vobis in spēcialē inimicū  
detumfistis: & ubi innumerālīj velis remīque  
ad amica refugiunt litora, ne Mēdularum illa-  
rum rīctus obtueantur, quarum horrore pos-  
sent in lapides obrigēcere; vestri Instituti. ve-  
strāque singularis gloriae est. illos de industria  
vestigare ac persequi: ita quā dem, ut vobis  
longē melius illud diverbium competit, quod  
de suis Lacedæmonijs Agis Rēx jaētitabat:  
(P)eos non quærere, quotnam hostes, & quām  
fortes habeant; sed ubi iij sint, rogare: quos  
proinde adipisci, cominūque manu hastāquē  
invadere, (tunc enimvero illa exardescunt  
fulmina. de quibus modō ante dicebam) &  
non tantū dicam, pectus apertum, sed Can-  
dēntis Crucis vestrā insignibus prætextum  
obijcere, cuius vel a pectus tetros illos dāmo-  
nes gemino furore succedit; id scilicet jam  
vobis diu proprium ac solenne est. Quidnam  
igitur Plato (Q) nunc sentiret; qui nobiliores  
Juventutis ex æali sua Rep. jubebat quidem  
prælijs interesse; sed spectatores, longē ex-  
tra periculum, ac velocibus equis imposi-  
tos: ut ubi res posceret, mature in salvum se  
recipere possent: si in vobis, militiæ adhuc  
Novitijs, & prima experimenta auspicanti-  
bus, eos admirari animos deberet, quos non  
nisi in Ducibus & armorum Magistris requi-  
rere audebat!

Dum ergo hunc in modum & ad probita-  
tem

*Virtus ex eruminis triumphat.* 451

tem, & ad bellicam virtutem erudimini, sub exemplis & æmulatione illustrissimorum ex vestro Ordine Equitum, in quorum animas, bono Religionis publico consecratas, vestras succenturiantur; & quorum immortalem famam merito gloriosissimorum operum sequi parare contenditis; advertite tantum, quænam laudum encomia vos expectent: illa certè, quæ Achillis memoriam toti mundo illustrem fecerè: quod dum se ad bellum comparat, quod postea universa Græcia mari gerentem vidi; centies alibi conflixisset, centum Victorijs inclytus;

(R) *Et tanta gessit bella, dum bellum parat.*

A. Plin. lib. 34. c. 7. B. id. lib. 35. c. 10. C. id. ubi sup. D. Plutar. de Institut. Lacon. E. Sen. in Herc. Oet. F. Flbr. l. 2. c. 2. G. ibid. H. Iuven. Sat. 21. I. Lucan. lib. 2. K. Plut. de fortit. Alex. Orat. 1. L. Plut. in Sertor. M. Vitruv. proæm. l. 6. N. Claudian. de 4. Consul. Honor. O. Plut. in apoph. P. id. in apoph. Lacon. Q. Dial. 5. de Rep. R. Sen. in Troades

## XXI.

# MARE GELATUM.

TIMOR PRUDENS, ET FANTUA TIMIDITAS.

DE illo septentrionali æquore loquor, in quo & animum & ingenium perdidit illa, quæ alijs merum ingenium & animus est, ars navigandi: antehac tam secundis usq; successibus, ut in unâ nave, cui Viatoriam nomen fecerant,

cerant, totum Oceanum edomuerit, periculisissima pervaserit freta, Insulas repererit, in remotissimas Orbis plagas velut in exilium rejectas; terras aperuerit nunquam prius cognitas, & novos ipsi mundo mundos dederit. Neque tam longis itineribus adhuc fatigata, neque tam continua periculis exterrita, imò magis quam unquam alias novorum adeundorum discriminum audax, & laborum suscipiendorum avida; ubi ei in mentem venit illud, æquè gloriosum ac difficile consilium, complanandi per altissimi Septentrionis maria itineris; acceptavit illud confessim. & ad tam ardui moliminis cœptum sese cœpit accingere.

Igitur expeditis aliquot, tum animo, tum usu probatoribus Hollandorum & Anglorum navigijs, ipsamet manum clavo admovit: & intrepidè à gradu ad gradum, altius versus Polum processit. Quod si consilio evenitus defuit; neque eò perventum, quò illam ingentis animi peræquæ spes vocabant, naturæ, si qua culpa interfuit, tribuenda est, quæ id voluit haec tenus impossibile esse. namque ubi jam octogesimum altitudinis gradum navigando conséderant, compertum fuit, hinc demum fixos esse mortalium audaciæ terminos, quos transire neque vis ulla, nequa ars posset; hoc est, mare alperrimo frigore faxi in morem astrictum, per quod nulla navigijs via pateat. Quare (si Djs placet) aliquando non

non deerunt, qui aliam transmeandi rationem tentare velint, grandibus trahis & curibus, velorum remigio instructis, per lubrica glaciati æquoris dorsa procursuri. Iste igitur necessitati cedere, & retro viam capessere coacta, mundi finibus, ceu re sacrâ & inviolabili adoratis, anchoras sublegit; & de muricibus unius illorum montium suspendit, quos agitatum ventis mare, densis glaciei crustis, unis supra alteras accumulatis, infinitos identidem erigit: eo monumento securis saeculis contestata, nullam se illis fausta temeritatis spem reportare: ne quis forte nautarum audacior, quamquam per alia quævis infortunata maria fortunatus, tantum de se presumere audeat, ut illuc penetrare velit, ubi mox ipso in ingressu potius necesse sit vota pro reditu facere, quam præsidij aliquid ad progressum possit ab arte expectari.

Cæterum ut fideliter rationes eius consilij exponamus, quod animosos illos Hollandiæ Angliæque navarchos induxit, ut se in eiusmodi mare intromitterent. quod ad decem plerumque menses glacie obsitum consistit; id enimvero fuit, quod sperarent, se paucorum hebdomadarum labore, ultimæ & grandis Tartariæ. quæ Polo proxime obtenditur, terras ac litora legendò, utique multorum mensium viam compendij facturos, brevi trajectu ad ultimas Orientis partes aperto. inde ad dextram conversis velis, aspirantibus à

puppi aquilonibus, fretum Anianum (nisi id  
potius sinus quidam est) ingressis, primum ad  
Coream, Sinas, atque Japones descensum fo-  
re; ad Philippinas deniq; & Moluccæ Insulas,  
quod eos Caryophilli odor (cuius ibi maximus  
proventus est) & ingentis lucri, quod jam cer-  
tâ spē devoraverant, lapor & prægustus quidā  
suavissimè invitârant. Verū tantæ expecta-  
tionis conatus ad glaciales novæ Zemblæ;  
Spitbergæ, & Neulandiæ syrtes, quo usque  
duntaxat progredi licuerat, obhaesit & diri-  
guit. Neque satis ad exitum providentissimis  
illis navigatoribus valuit, tam opportunum  
itineri tempus delegisse, ut sub Julij & Augu-  
sti Menses asperum illud mare intrarent, dum  
id maximè altum tepidumque erat; quippe  
nisi solis tempore glaciem marisque crustam  
solvente, non jam in glaciale pelagus, sed in  
meram solidissimamque crystallum incursu-  
ri. Et quidem egelatum tunc invenerant ma-  
re: sed mox iterum pertinacissimè congelan-  
dum. Accedebat furiosissima fluminum, quæ  
se versus Polum magno numero id loci exo-  
nerant, eruptio; tam vastas glaciei moles  
secum devehentium, ut quam verissimè &  
procul ab omni poëtico figmento dices,

*Liberas fundo Cyclades vagari*

*Per mare Aegæum.*

Quare meritâ horribilis prodigijs species vide-  
batur inexpertis illis navicularijs, cum vide-  
rent, immotam in anchoris stare navem su-

am,

am, & tamen integros scopulos contra eam supra mare procurrere: tantâ cuin violentiâ, ut minimo quovis contactu, navis haud alter dissiliret, quam si glacies aut vitrum foret; & glacies vini quandam adamantis haberet. Quod tamen eò magis citra admirationem esse videbitur, si earum molium immodicam vastitatem attendemus. Nameque ad portenti memoriam, uni quæ forte in arenis impasta cohæserat, adhibere membroras regulas voluere. & erat Augusti dies septimus, quando id, quod undis superexstebat, sex & nonaginta palmorum altitudinem æquare deprehensum est: ducentos & sedecim, quod aquis regebatur. Et tamen ea inter maximas, una de minoribus fuerat.

Omittō memorare horribiles tonitus, bellicarum etiam ballistarum bombis crudiores, quoties glaciatæ illæ rupes modù una, modù plures dissiliebant in partes, calidis vaporibus, quos intus inclusos gerebant, solis accessu rarefactis, & angustiæ impatientiâ violenter exitum emolitis. Omitto illas, minimè jocularias, sed theatrales & cruentas cum ursis monstrosæ magnitudinis iuctas; tantù robustioribus, quantù magis fame efferratis: ut ea terra credi posset. nova Africa esse, tam ferax ferarum, quam pabuli infœunda. Quod compières infelictum illarum Batavorum miserabi i interitu comprobaverunt quando sub annum 1596. à glacie conclusi, coacti-

que in novâ Zembla hibernare , plus moleſtia ab ursis terrestribus sustinuerunt, qui eos quotidie infestabant , quâm à cælestibus , quæ supra eorum capita circumgirabantur. Ibi ex ruderibus suæ navis compactâ , nescio , meliusne dicam casâ , an carcere vel sepulchro , noctem unam continuato nonagenâm & octo dierum ſpaſio exegere in tenebris ; quamdiu nempe ſol morabatur denuo ſupra horizon tem eniti , & in iſtius hemiſphærij conſpectum venire. Quid illis poſtea acciderit , non eſt hu- jus loci & materiæ profequi.

Igitur mare glaciale ( ſeu melius mortuum dixeris) non eſt campus , in quo vel generofitas audendo , vel ingenium arte & induſtriâ quidquam poſſit , quod glorioſi , aut utilis ſpeciem aliquam habeat , ad finem bonum perducere : quod in idiomate ſymbolico , ſeu formâ per figuras loquendi , idem mihi eſſe videtur , quod dicere ; animum frigore timiditatis congelatum , non concedere viam cogitationibus , ad egregium aliquid faciendum ducentibus . Vix aggressæ nobilis cæpti iter , quantumvis tempeſtate quâm maximè ardente , hoc eſt , dum eos amor & deſiderium ( ignis & calor animorum ) plurimùm accendit ; ab hyeme ſe apprehenſas , & à glacie obſeffas obſtrictasque ſentiunt ; unde vel retrocedere neceſſe ſit , vel inibi turpiſſimo rigore ſiderari.

Neutiquam tamen illud mihi propositum eſt aſſeverare , omnem timorem grandibus & idcir-

Idcirco difficultibus cæptis, (quæ generositas proposuit, spes persuasit, audentia exequitur) inimicum & conturbatorem existere: quin a-  
io, eum plurimum ad ea opis consiliique af-  
ferre: cùm necesse sit, ex commissione spiri-  
tuum timoris, qui quām maximè frigidi sunt;  
& audentiæ, qui ad summum calentes; salu-  
bre eiusmodi temperamentum enasci, quale  
poëta dixit, Deum admirabili arte ac judicio  
in terra effecisse, contrarijs Zonis, quām  
aptissimâ ad concordiam locatione dispositis:  
(A) *Quarum que media est, non est habitabilis aetate:*  
*Nix tegit alta duas etotidem inter utramq; locavit,*  
*Temperiemque dodit MISTA CV M FRIGORE*  
*FLAMMA.*

Prudentia, cuius Judiciorum forma utique  
quām optimo ordine constituta est, inter se-  
natores suos primum dicendi locum Timori  
assignat; velut inter reliquos consultores Se-  
niori, Amantiori, & magis considerato: &  
cuiuscunque demum generis & utilitatis opus  
sit, quod Cupiditas proponit: (maximè cùm  
id vel effectu difficile est, vel ubi non sine la-  
bore effeceris, facili ruinæ obnoxium) nun-  
quam pars affirmativa vincet, quamquam cal-  
colorum numero copiosa & potens, quamdiu  
Timor repugnabit; hoc est, quamdiu contra-  
rijs eius rationibus non fuerit satisfactum:  
quippe cuius natura, studium, & peritia est  
(multo usu acquisita) sollicitè eas in venire, &  
cum singulari orationis efficacitate propone-

te. Hunc in finem binos in fronte oculos habet, planè lynceos, sempérque apertos, tam acuto ac penetrabili visu, ut quocunque intendant. etiam id, quod non est, videant; dummodo possibile sit, id esse; ac multo magis si probabile sit eventurum. quin adeò (quod sapienter judicare, & sècurè progredi volentibus præcipue necessarium est) non minus earum rerum, quæ retro sunt, quam quæ ante ipsum, etiam eminus est peripicax. Quia in re Timor, qui re ipsa non est aliud quam amor, haud dubiè ipsi præstat. hic namq; cum in gaudendo totus sit positus, non nisi cæcorum more discernit, palpando bonum illud, quod sibi præsens habet: at verò Timor, totus in providendo occupatus, mala etiam longè distantia coram intuetur, & ventura prænuntiat, & vias accessusque ostendit. maturèque ad defensionem se componit; ita ut nullus Geometer tam peritè proportiones tractare sciat, nec Philosophus ex Suppositis conditionibus tam certò concludere, quam Timor.

Demus deinde, auditis jam reliquis Prudentiæ Senatoribus, decretum esse, id in opus deducere, quod Cupiditas proposuerat; namque etiam tunc negotium Timori dabitur temperandi mandata, & Audentiæ potestatem certis legibus definiendi, appositis velet ad custodiam Circumspectione, ne quod damnum incurritur; & Advertentiâ, ne quid periculi ad sècuritatem negligatur, hoc enim factos

facto, tum demum feliciter à Consilio ad res patrandas pervenitur. Quippe eo prorsus modo necesse est negotia ad bonum finem, sicut navem ad constitutum portum perducere. Ingentes linteorum sinus ( seu Desiderij cupiditates) grandis ventorum impetus ( hoc est, audentiae fervor) post paucos passus eam inclinabunt in latus, evertent, & in profundum mergent, nisi Timor, velut saburræ pondus, nimiam caularum desuper agentium violenciam, in imo ad quandam æquilibij moderantiam, refringat: ita ut eius unius resistentia profectò navem erectam firmamque sustineat, dum aliorum studia, ardentius illam quam securius propellentium, ad quandam regulati & æquabilis cursus normam conditifacit, & clavo parere jubet, quem Prudentia gubernat.

Hinc est, quod Plato, dum quam optimam atque assequi cogitando posset, reip. formam voluit depingere, in re aliâ nullâ longius contentiusque, sicut nee in ullâ utilius elaborârit, quam quemadmodum inseparabili concordia Senum Timorem cum audaciâ Juvenum; prudentiam eruditiorum cum animositate fortium; frigidorum illorum in deliberando tarditatem, cum ardentium istorum ad agendum præcoci perniciitate colligaret. Quare cum neque soli primi per se quidquam valeant efficere, utpote manuum ministerio destituti; neque alteri quidquam de se soli bene expedi-

pedire, quia capitis directione laborantes; eos insolubili mutuae indigentiae nodo perquam valenter constrinxit & copulavit, dum neque robur potest consilio carere, neque robore consilium: non minus arctè ea inter se commixta revinctaque esse desiderans, quam filia recta staminis. cum transversis tramæ licijs, mutuo complexu ita inter se inseparabiliter intricantur, ut in unam omnino telam confluant ex duabus matalaxis.

Quodsi alteruero eorum defici necesse foret, aut ego hallucinor, aut res ipsa nimioclarè ex ijs malis demonstrat, quæ tunc existere contingit, cùm illi rectæ rationis limites transcenduntur; longè minus periculi ab Timore, quam ab audentiâ metuendum. Verum quidem est, illum, quia pericula cautiùs declinat, novi nihil acquirere: cæteroquin acquisita conservat; id quod eius quasi centrum est, circa quod totum suarum sollicitudinum Orbem convolvit. Econtra Audentia quandoque fortunam habet in consilio, & lucrum facit: plurumque tamen si non totum perdit, saltem haud parum amittit. Atque Dij dent, ut nosterum, quibus tantò plus animi, quantò minus consilij est, (quia neque metuentibus, neque providis futurorum) semper magnus sit numerus, qui sub clavâ fatuorum Principis, hoc est, seræ & inutilis pænitentiae, miserabilem tandem lessum lamentari cogantur. Plenæ sunt funestissimorum eventuum omnes histo-

historiæ: neque ullum pravi exempli genus est, quod non præceps ille ardor suo malo nos doceat accidisse; ubi cæco impetu progressi mortales, non antè oculos aperuerunt, quàm ubi malo jam præsente, non auxiliari amplius, sed illacrimari duntaxat stultitiae suæ potuerunt. Veruntamen nunc etiam de illo timore eiusque proprietatibus dicendum est, qui non est advertentia, & frænum quoddam bene consultæ prudentiæ; sed naturale quoddam frigus spiritu um, sideratio cordis. & ut ita dicam, animarum hyems: quas tametsi forte aliqua generosi operis cogitatio subeat, non aliter eam illa elidit, quàm bellicis Trajani Imp. navibus in Istro accidisse legimus, eas non solum medio in decursu, frigore astrictas constitisse; sed tantâ vi glaciei compressas fuisse, ut velut Antæus inter Herculis brachia nexusque intercluso spiritu præfocatus, diruptæ sint. Sed jucundum fuerit, ante omnia vide re quàm languidam vim Cupiditati excitan dæ spes Utilitatis & Honoris admoveat, quando non sine difficultate operis expectari possunt.

An unquam per somnium dormientibus occurrit, velut si ab hoste diffugeretis, jam fatale ferrum capiti intentante? vel tauro à canibus agitato, & rabidis cornibus in vos irruente? aut rapidi torrentis impetu eversos, in præceps trahi? neque tamen, omni licet viuum contentionem, possibile esse, longius pendem

dem promovere , quām si curtissimæ compedes , aut dolentissima podagra palo lectove alligatis gressum intercepissent? dūmque nullo profectu plurimū laboratur , tantum angoris sudorisque sustineri , quantum ne bene longa fervēnsq; decursio expressisset? Hunc planè in modum non minus laboriosè , quām inutiliter timaces scip̄i exagitant , cùm ad grandium terum apices magis pervenisse cupidi , quām pervenire animi vilitate opprimuntur: neq; tantum roboris habent , quo obstantium difficultatum agmen perrumpant ; quæ unica via sunt , qua ad glorias & fastigia pervenitur. Perinde me hercle , ut si brevis & biremis lembulus , sub uno remige contra fecociam torrentis enitatur : quantumcunque iste totis brachijs humerisque incumbat , sudet , ac rumpatur propemodum , frustra tamen speret eum altius posse provehere: sed ubi totum diem exhauserit , multūm sanè profecerit , si vespere ibi se reperiat , ubi manè consenserat.

Generosiss Hannibal , imbellis Xerxes , uterque constitutum habebant , ille Italianam , iste Græciam sibi armis subiçere : sed ubi in aggrediendo negotio tantam in ambobus animi differentiam perspexeritis , abundè id sufficerit , ut extemplo etiam de differente amborum belli exitu divinetis ; scilicet de illius gloriōsis victorijs , & istius foedissimis cladibus atque fuga. Verūm uterque alibi nobis memoran-

morandus occurret; igitur solum de ijs innu-  
isse impræsentiarum satis sit. Objiciebant se  
animoso Pæno nubivolaæ alpes: non iæ circa  
expavit, non retro se vertit, non ad fugam  
respexit; sed eas inscendit, itaque perdomuit,  
ut ubi prius ne quidem angustus trames pa-  
tebat, amplissimam viam aperuerit. Moraba-  
tur Xerxis iter primus fortunæ limes, inter-  
jectus mons Athos: & ignavus ille, tantæ al-  
titudinis transmeandæ pertæsus, minacibus  
literis ei imperat; facesset ex hoc loco, sibi-  
que transitum quam largissimè cederet. Mi-  
graret hinc usque cum imis radicibus; &  
quocunque alio placeret, trajectus, relinque-  
ret ipsi planum & æquabilem, propemodum  
etiam dixerat, floridum ) campum, ad posses-  
sionem Græciae adēundam.

Nec quicquam ergo eam mercedem expe-  
ctat, quæ seu Musas, seu Martem, literas aut  
virtutem sectantibus, quocunque demum  
pretio solvit, seu opum, seu famæ, aut ho-  
noris: frustra eam, inquam, desiderat, qui  
non in seipso per fortitudinem superat Timo-  
rem, quo retrahitur, ne se audeat per medias  
difficultates, & laboriosas contentiones, ad  
cupitam meritorum metam penetrare. Pro-  
inde nunquam ed ignavi pertingunt: qui cum  
non velint pedem proferre, nisi in plano &  
pavito, ve minus jam subsistunt; contenti,  
propositum terminum sterili saltem desiderio  
utque oculo libasse. Ajunt etiam ipsi (& ut  
putant,

putant, cum singulari prudentiâ ) quod facer-  
tus ille Orator, Sabinus Atidius : qui, cùm  
non sine verborum phaleris, coram confertâ  
concione, plenum illud generosissimi spiritûs  
dictum prædicâsset, quando Leonidas, (C),  
instante jam innumerabili Xerxis exercitu,  
cui non sine cruento horarum aliquot certi-  
mine transitum erat prohibiturus, trecen-  
suos Spartanos ad curanda corpora invitav-  
prandete, inquiens ; *apud inferos cœnaturi* : Ego ve-  
rò, gravissimâ voce subjunxit Atidius, illi ad  
*prandium promisi fessi*; ad cœnam renuntiâssim. Quid  
autem fiet hisce meis formidolosis, ubi for-  
tan spei blandimento decepti, aut necessitatâ  
violentia adacti, in arma & aciem intrave-  
rint, pro libertate, patriâ, aut Religione di-  
micatur? Bellissimum sanè contrapositum  
insuperabilem Equitum Rhodiorum virtu-  
tem, de quibus paulò antè disserebam: unde  
& his fortitudinis suæ gloria cumuletur; &  
illorum iners timiditas tanto magis ex con-  
trario ad vituperium publicum dilucescat.

Nunquam equidem credidi Palladio (D)  
scribenti, tonantis ætheris tumultu adeo ex-  
ternari cervorum hinnulos, ut propemodum  
exanimetur. Plinio tamen facile in eo assen-  
sus sum, quodd (E) *tonitrua solitariis ovibus abortum*  
*inferant*: cui prohibendo remedium sit, congregare  
eas, ut cœtu iuventur. Igitur pavidi illi, qui, non  
dico, ad ardentia fulgura & armatos bombar-  
darum tonitus, sed unius tympani sonitum  
abor-

aborsiuntur, animumque teu infelicem fœtum deiiciunt, adeò ipsis ovibus ignaviores sunt, ut cum istæ tunc solum, cum solitariæ sunt, abortare soleant, isti etiam numeroso suorum septi exercitu, animum perdant. Verum quid pavidos intuemur, velut in acie & prælio stantes; cum nimiopere verum sit illud miraculum, quod Euripides cum ijs evenire scribit; (*F*) *Timidos*, in pugnâ præsentes abesse & ipsaque eorum umbra, quam ibi prælentem habent, eatenus solum cunctetur se hinc, quia in longissimè queat, fugiendo proripere, quatenus metu inhibetur: ubi id tutò possint, fugam sibi pro victoria dicant: & velut hosti opulentissimam gloriissimamque prædam subduxissent, dum victoris è manibus evaserunt, triumphum agant illi patrem, quem M. Antonius duxit, semivir ille (an semimulier?) certè scotia nominis Rom. cum hinc aspectu Octaviani Augusti exterritus, inde Cleopatrae blanditijs evictus, aciem destituit: & Amasiam strenue prosecutus, (*G*) suam fugam, quia virus exierat, victoriam vocabat.

Alexander, quando suos contra hostem in ordines educebat, (*H*) omnibus difipi dorsuales loricæ jubebat, velut jam nunc ad mortem condemnans, hostium telis lanceisque configetidos, quicunque atsus esset ipsis tergum obvertere. Hac ratione totum animi robur illis in pectus coibat, omnisque fiducia in armatas manus prætinebat: ut illud sibi ma-

ximè honorificum putarent, quod & maximè proficuum, intrepido vultu in hostem ire, & adversarium potius occidere, quam retro verti, & ab eo perimi. Atenim ad cohibendā illorum fugacitatem, quibus tantum in sanguine frigus est, quidnam remedij satjs sufficerit, nisi pedes ac genua succidisse? ut discant id, quod fortissimus Antroclidas, respondere: (I) qui cùm ligneo pede fultus in pugnam procederet, à commilitonum aliquo risu exceptus, aspernantis potius, quam indignantis habitu ad ipsum conversus, tūne, inquit, me jocum facis, quodd pede uno te minus habeam, qui duobus cares? etenim non ad dimicandum, sed ad fugiendum comparatus, quatnū tibi pedes optas, ubi mihi ad configendum vel unus abunde est, non solū loco cedens nescio, sed ad standum etiam, velut implantato & radicato. tum monstratis ipsi fortiter mīnibus; isthæc membra, repetit, in milite attendere oportet, quibus lepores, & cervi egent; aliter tam bene pedibus, actu, instructi; utpote quibus itidem armatura in pedibus, & fugiendi celeritas pro victoriâ est.

Anno 1594. & seqq. A. Metam. 1. B. Plut. de primo frig. C. Sen. Suas. 2. D. Mensē Mart. tit. 9. E. lib. 8. c. 4. F. Meleag. G. Vell. Patrc. l. 2. H. Poliem. 4. Strat. I. Plut. Apopht.

## THERMOPYLÆ.

VITIA SIMUL OMNIA VINCI  
NON POSSE; UBI SINGU-  
LA IMPUGNENTVR,  
SVPERARI.

**I**D quod Plinius de smaragdis, rubinis, adamantibus, aliisque pretiosis lapidibus asseveravit, (1) totam naturæ maiestatem in ijs quasi in nodo collectam latere; ego potius joco dixerim de istic, haud utique aspectu jucundis, quin potius horridis rupium scandulis; non tamen vos aut laboris, aut asperi itineris, per quod demum huc evasimus, pigere debere: namque hic aut major, aut melior pars bellicæ Græcorum gloriæ inclusa jacet. Et si rubinos, adamantes, smaragdos velim, facile reperirem pulcherrimi sanguinis florem, indomabile robur, generosam immortalitatis spem, quam trecenti illi Spartani in memoriam posteritatis habebant repositam: quorum nomina pretiosissimis laudibus coronata, coram grandibus incisa literis videtis in his ipsis vivi faxi laminis, adæque per eorum famam nunc illustribus, atque antè obscuris, mündoque incognitis.

Jam intelligitis, credo, istic famosas illas Thermopylas esse, antiquitus à calidarum aquarum, quæ erumpunt, scaturiginibus appellatas, Herculi consecratis. Rupes, quæ hæc

parte nobis imminet, (B) ab summo jugo usque ad calcem, ubi adstamus, velut ad perpendiculum præsesta; pars quædam & latus est montis Oetæ, in quo Poëtae Alciden combusserunt. Hæc altera priori peræquè similis: cuius in præcipitia Callidromus desinit. Via, quæ per medium inter hæc prærupta montium iter pandit, ubi in arctum stringitur, vinti non amplius pedes in latum habet; maximè patet, sexaginta: ad stadia triginta excurrit, hoc est, paulo minus quam duas leucas. Extra hanc transitus nullus est, ubi vel pedem figas; sed omnia acutissimæ cautes, scopuli naturâ præcisi, & immania alpium juga, visu horrida, invia trajectu. hæc ergo duntaxat aditus patet, Græciam, quæ meridiem spectat, intrare volentibus. Volebat Xerxes; & per has fauces statuerat septingenta peditum millia, quadringenta equitum traducere; in redditu non modo omnia sibi aperta, sed universam Græciam in potestate fuâ fore pollicitus. Verum præter expectationem eas angustias à Leonidâ cum trecentis Lacedæmonijs, (flore Spartani exercitus; qui ad sustinendum ferocissimum torrentem, imò mare barbararum gentium, freti more Græciæ campos inundare parantium, etiam soli credebantur sufficere;) tam fortiter infessas invenit, ut si cum desperatis veniendum ad manum esset, videret superbus Rex, aut demoliendas sibi illas rupes esse, viamque, ut paulo

paulò antè per Athi montis viscera, ferro apriendam, aut retro signa vertenda; pudore potius quàm armis devicto. Igitur vix eas fauces intrare paraverat, cùm validissimo Spartanorum objectu subsistere coactus est; stupore quodam animi ita extra se positus, ut cum otioso exercitu quadriduum ibi exegerit, neq; pugnam retentare ausus; neq; sibi ipsi credens, (quod oculis intuebatur) tam paucis tantum animi fuisse, ut tam multis se opponere non vererentur. Ubi deinde collecto animo turpius sibi fore judicavit, metu quàm armis superari, Medos ferociter irrumpere in obstantes jussit: quos tamen confestim majore, quàm intraverant, impetu reiectos concisosque recepit. Iстis phalanx successerat, virtute, ut credebatur, insuperabilis, summo apud Persas nomine, atque *Immortalis* dicta. Verum si id unquam habuit, hīc certe & opinionem, & titulum amisit. Ipsamet sibi cadaverum suorum multitudine viam, quàm ante fuerat, impeditiorem fecit. Quare Xerxes, qui ex editiore tumulo suorum cladem speculabatur, amentis habitu ter exilijsse de sella dicitur; complosisque manibus, & oculis in cælum sublevatis, solem patrio more invocâsse; incertum, suisne vitam, an sibi mortem deprecatus. Ita (*C*)*Divina & humana impellentem & mutantem, quidquid obfiterat, trecenti stare iusserunt.* Quare pudore quàm damno miseror, male cœptum iter reliquit: ipse sibi ex infausto principio au-

Gg 3

gura-

guratus , qualem demum res foret exitum  
habitura. Quid deinde proditore Ephialte se-  
cutum sit , qui per occultos , sibique notos cal-  
les , inter montium circuitus Persas in subli-  
me eduxit , parte copiarum à fronte , parte à  
tergo in Spartanos inductâ , nostri consilij non  
est describere: quippe nobis orationem ad mo-  
rum correctionem fingentibus , locupletem  
sanè materiam præbet infallibilis illa , quem-  
cunque numerosissimum hostem vincendi ra-  
tio , quam loci opportunitas cum animo , aut  
vincere , aut mori parato , pugnantibus in ma-  
num præstat. Id nunc breviter vidistis in Per-  
sis ostensum : videte id ipsum paulo fusiùs in  
vitijs demonstrandum.

Antiquissima apud Babylonios lex erat, (D)  
Herodoto teste , ut , quicunque aliquem de suis  
degrum haberet , eum in plateâ publicâ expo-  
neret : neque fas esset , cuiquam illac præter-  
gredi , quin priùs ex infirmo de morbi specie  
percontatus , integrâ fide aperiret . quidquid  
vel in se , vel in alijs contra id morbi genus u-  
tile esse , aut secus habere cognovisset. Me  
quidem si quis roget , quanquam pessimarum  
& irrobortarum affectionum multitudine  
prope ad desperandi necessitudinem labo-  
rans , quâ ratione quâm optimè consanari pos-  
sit , extemplo id occurseret , quod in huius-  
modi infirmis nunquam non felicissimè suc-  
cedere deprehendi: nimirum id , quod Spar-  
tani egerant , facere juberem ; hostium suorum

-4-

paucos aliquos sibi pro unâ vice defutnere; & primò quidem cum his configere, qui periculosis incumbunt: cæterorum (liceat ita nunc dicere) interim non plus rationis habere, quām si non adforent: atque idipsum profari, quod trecentis illis Spartanis Pompeius Silo apud Declamatorem Senecæ Patrem (E) suggestit: *nihil refert, quantas gentes in nostrum Orbem effuderit, quantumque Nationum Xerxes secum trahat: TOT AD NOS PERTINENT, QVOT LOCVS CEPIRIT.*

Profectò enim, si Aphorismus ille, quem militiæ Rom. Magister præcipit, uspiam locum habet, ut (B) *qui secundos optat eventus, dimicet Arte, non casu;* certè hoc in puncto locum habet: modicis viribus magnas vinci; & ingentes copias, in brevem contractas numerum profligari oportere: quo documento Alexander in Assyriâ Darium, & prope Salaminam Xerxem Themistocles concidit; quando, ut alibi memoravi, in angusto sinu cum paucis navibus innumerabilem armatarum & onerariarum classem, vietas in fœdissimam fugam conjectit: quod Barbarus nō nisi paucas unâ, quot nempe angustia brevis campi admitteret, inducere in pugnam potuit. Vitiorum turba, quæ animo male affecto dominantur, non unicum & commune collum habent, quale Caligula Urbi Rom. optarat; (G) quo succiso, omnia simul uno iictu truncantur: sed uti magnus ille bellandi Magister Sertorius (H) militibus

suis ardentiis, quam consultius pugnam poscentibus, agendum ostendit: qui valentissimum adolescentem jussit equo vetulo debiliisque caudam detrahere. quam cum ille universam unam non potuisset, licet omni conatu, evellere; equum deinde robustum valentemque produxit, & caudam ad miraculum spissam: quam ei puer invalidus facile deraravit, pilis sensim & particulatim subtractis. Adeò etiam ad hortorum culturam Columella consultum putavit, arçolarum divisiones in minutulos quadrantes partiri: quod ipsa suā parvitate non modo laborantium curam non terreat, sed industriam provocent; ubi exadversum vel aspectus tantum ingentis soli, quod laborare necesse sit, jam ante labore vires enervet ac frangat: (I) ipsa hortorum descriptio, quando est minoribus modulis concisa, fatigatum velut miniat; & stimulat eos, qui opera moluntur; & ad festinandum invitat: nam ferè vestitus ingentis laboris, animos debilitat,

Jam quod ad modum attinet contra sua vita decertandi, hoc est, quænam primo loco impugnanda sint, quænam postea; haud necessum est, multis rationibus demonstrare, uti ex hostibus eum, qui vitæ nostræ est infessimus, ita ex animi vitijs illud, quod maximè noxiū nobis infestumque est, primitus ad excidium aggredi oportere. Qui cum tribus inimicitias gerit, à quorum singulis impeti bello potest, eum cum uno pacem facere,

re, cum altero inducias pacis, cum pessimo bellum gerere prudentissimus ille fortissimusque Mediolanum Dux jubebat: ubi enim hunc superaverit, jam quasi ex dimidio alterum quoque debellatum fore. Istud nempe est, (quod Tarquinius fecerat) virgâ papaverum capita decutere, si quæ alijs vivacijs eminuissent; tyrannicæ dominationis arcanum in illo superbo politico; hic verò documentum pariter & justum, & sapiens: uti illud quoque alterum ab ijs doctoribus celebratum, qui non alios nisi Tarquinios sibi discipulos volunt; *si vis regnare* (dicerem ego, *si vis vincere*) divide. Et si in materia bellica (quandoquidem hinc exordium huius orationis sumsimus) placet propositæ rei quandam imaginem videre, recordamini illius tam vulgatae omnibusque notæ Victoriae, quam tota Roma, uniusduntaxat bellatorum suorum ferro reportavit; à T. Livio non minùs amoenè quam graviter (qui perpetuus eius mos, & propria ars est) ita ad vivum repræsentatam, ut eam legere, non tantum sit verisimiliter ex historiæ legibus depictam videre, sed verè, ut gesta est, quasi oculis intueri. Tres Curiatios, patriâ Albanos, fratres uterinos, sicut totidem Horatios Romanos, in campum, inter duos exercitus medium, ad duellum prodire; spēstante utroque populo, eatenus solum otiosè, quatenus quisque suis civibus favore clamorèque opitulabatur; eandem, quæ cuique suorum

num obvenisse, fortunam participatus. quando in istis paucis, communis totius populi aut salus, aut servitium sub incerto discrimine agebatur. Quare ita eos hortabantur, ut meminisse juberent, (K) Deos patrios, patriam ac parentes, quidquid demum civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus. Jamque dato tubis utrinque signo, movebant illi in se, paribus in manu armis, & in pectore tantis animis, quantos accendere tam gravis causa, & periculi magnitudo proterant. Et sanè mox in primo congressu patuit, quām veris odijs ea pugna patraretur. quippe tres Albani saucij, ex Romanis duo interemti, uno tantum (quæ Rom. populi fortuna fuit) incolus integrōque. Sed quid spei esset in uno corpore, trium gladijs undique obfesso; quorum mucronibus à fronte, latere, & tergo petetur? Atenim ecce artem, quam in ipso facto docendam mihi sumsi: ut universis solus nequam par, sic adversus singulos ferox. Ergo ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam. Et illi quantâ possunt, pedum velocitate post eum; inæqualibus tamen spatijs, prout quemque sua vulnera magis debilitârant. Ita in divisos reversus, uti viribus animoque singulis erat superior, facile unum post alterum confecit, (L) ADDITO AD VIRTUTEM DOLO.

Tantum refert dividere, & in divisione ab uno ad alterum ordine progredi: ubi, qui simul omnia invaderet, haud dubiè opprimeretur,

retur. Quod non minus in vitijs ita se habet, quam in inimicis. Qui unum solum expugnare constituit, contraque illud omnes corporis & artis vires evocat, ceteris tanti per ad breve tempus sepositis; ubi istud subegerit, tum verò in secundum feratur: & me hercle, nisi id jam in primo semivictum deprehendet, & ante pugnam vacillans in casum. Neque metuat, ne labor primo adhibitus in tedium versus, vires ipsi exhauriat, ad secundum, & tertium, & mille sequentia prælia non amplius duraturas. Nam Victoria nec fastidium parit, nec fatigationem: quin potius pulso fastidio, mirâ voluptate animos mulcet, & corroborat. Ita in seipso expertus, tanto certius affirmare potuit fortissimus ille Coriolanus; quando acie Volscos superavit. Pulvere sudoreque sordidus, neque minus suo quam hostium sanguine perfusus, cum adhuc in acie persisteret, non minus strenue militis munia, quam Ducis defungens, fuere, qui eum hortarentur, reciperet se tandem ad tabernaculum, & necessariam quietem captaret: quibus ille perinde, ut si nunc primum ex castris ad pugnam accederet, animo corporaque vegetus, respondit; (*M*) N O N E S T V I N C E N T I U M, F A T I G A R I.

Dixi (& ut spero, non injucundum erit, etiam fusius iteratim cognoscere) primum, & suorum vitiorum maximum vicisse, idem esse, ac etiam primo proximum, quin immo reliqua

qua omnia ex dimidio superasse. Etenim pravam aliquam animi concitationem expugnare, reapse non est aliud, quam seipsum devincere; eamque sui partem, quae naturâ animalis, usu etiam bestialis facta erat, ad honesti regulam & rationis imperium condocefacere. Jam uterunque sit de duobus appetitibus, sive concupiscentiæ, ut vocant, sive irascentiæ, cuius furiosi impetus in ea violentiore perturbatione virtutis studio enervantur; jam ille, ubi semel in unâ fuerit perdomitus, etiam in posterioribus alijs commotionibus, impressam sibi eius potestatis memoriā atque metum conservat, à qua ad moderationem ac obedientiam erat adactus. Adhæc non minus vitia, quam virtutes, mutuò sibi, proximum diversitate, auxilia ac suppetias ferunt: unde cùm in eo, quod prævâlidum erat, amputata fuerit præcipua illa radix, ex quâ plerique cætera, aut non pauca, succum vitamque ducebant, necesse est, eodem iectu, istis quoque vires vitamque præcidi. ac id ipsum quisque comperit in sui ipsius victoria evenire, quod olim Roma in oppugnanda capienda que antiquissimâ Syracusarum urbe experiebatur. Multum ibi (neque enim negari potest) sudatum fuit: quippe ea civitas ita situ, operibus, omnique ad defensionem apparatu communita fuerat, ut reliquæ omnes totius Insulæ Civitates, huius unius respectu possent mapalia videri. Triplex murorum cinctus;

totu-

totuplex ad interiora receptus : tria validissimi operis propugnacula frontem emuniebant, tum inexpugnabile ingenium , & prodigiosæ machinæ Archimedis; insuper Insulanæ peregrinæque militiæ flos ad tutelam delectus. Nihilo tamen minus virtuti Marcelli ea urbs succubuit : & ex templo, sicut capite pro trito, simul etiam reliqua membra emoriuntur ; ita cum hâc unâ civitate omnium cæterarum vis extincta, bellumque finitum fuit : (N) tota enim Insula in unâ urbe superata est. Pari modo ubi terribilis ille R. Mithridates , & ( ut eum Velleius nominat ) (O) odio in Romanos, Hannibal, sublatus fuit, longo tempore Romanus exercitus gaudium egit, ludis, sacrificijs & solennibus epulis indulgens ; (P) in uno Mithridate, infinitos hostes periisse rati.

Quantum porro animi vigorisque una victoria ad prosequendas reliquas subministret; quis nescit , superato hostium potissimo, fiduciam animumque augeri, ad minores tanto facilius exterminandos ? Testatum id nobis faciat magnus ille, seipsum vincendi magister , Socrates Atheniensis : cuius uxorem Xantippen alij feram , alij furiam appellant ; neutri sat bene, cum ea utrumque fuerit ; superba , garrula , arrogans , morosa , obstinax , & tantò indies persequendi viri contumacior , quantò ille in sufferendarum iniuriarum asfuetudine duratior : adeò ut cum illa videret , ad sibi , quod Borealis auris accidere , glacie

ciale mare per plantibus, quod pro eo, ut commoveant, magis consolidant; maiore in eum indignatione debacchabatur, fiebatq; ab eius virtute deterior. Igitur invictâ eam tolerantiâ Philosophus supportabat: (Q) ipsaq; domus sua ipsi perpetuâ pro palæstrâ erat, ubi cum irâ suâ luctando exerceretur: saepe exclamare auditus, incredibile quantum sibi talis fæminæ convictus prodesset; & quâni illa præcellens virtutis magistra esset! Nam sicut, qui indomito & pervicaci equo impositus, tantò magis condiscit firmè dorso considere, & stapedibus consistere, quanto ille in omnem partem protruendo, subsultando, subnitendo petulantius lascivit; ac postea securius alio quoque mansuetiore vehitur; ita Socrates intollerabilis fæminæ consuetudie mollitus, nihili faciebat sive populi opprobria, sive æmularum ex alijs sectis maledicta & fannas.

Hucusque ergo ab utilitate probavimus, primò omnium illi vitio frænando incumbendum, quod è nostris potissimum est; aut illi perturbationi, quæ nobis majore cum damno & periculo dominabatur: quod sic unâ victoriâ complures hostium subjungentur; & domito eo, cui plus virium terrorisque inerat, cæteri quam facillimè leges & imperia admittant. Nec sanè aliter aggredi rem oportet. Interim etiam prudentissimum illud Xenophontis documentum, (eius, qui Cynegeticum scripsit) suo consistere loco patiamur:

non

non debere canem juvenculum sub æmulatiōne adulti expertique, in patente campo in venationem admitti. ubi enim & pedum, & virium imbecillitate, neque socium assequi, neque prædam potuerit, eum seu verecundiā, seu desperatione evilescere, ac segniorē fieri. quin potius intra non maximum seprum, lepusculum includunt, qui huius institutionis peritiam habent: eoque in cursu incitato, tum demum canem tam aptè submittunt, ut non magno labore prædam consequatur: quo pacto eum mirificè animari, & ad venationem aptari aiuht. Similiter ubi fortè erit, cui non sit tantum roboris, ut cum ferā aliquā, & immani bestiā, cuiusmodi sanctū erit, quod vitiorum eius maximum est, contumax, inquietum, rebelle, & longæ dominationis consuetudine imperare affectans; experiatur ille se cum alio quopiam minùs valido: & ex ipsâ victoriâ, quam de isto refert, illud præcipue addiscat, non ita rem se habere, uti sibi pusillanimes imaginantur: sed ubi viderit istud vinci posse, sumto fortiore animo, audeat etiam alia superare.

Redactâ jam in potestatem cā Insulâ, quam Hispaniolam vocant, (R) ab Eximio viro Columbus detectam, (S) cùm Castilianî ad alteram S. Joannis, itidem unam ex plurimis illius Oceani Insulis, victoria arma transtulissent, non plus opus fuit, quām ut ducenti eorum, ad pompam simul ac terrorem egregiā armas

armati, barbaros duello provocarent. eo enim factō hi tantopere consternati animis fuēre, ut confestim se suōsque arbitrio victorum permetterent: audacissimae insanit̄ esse rati, subjugatā jam Hispaniolā, cui ipsi nec locorum amplitudine, neque hominum numero pares essent, victoribus se audere opponere. Verum quidem est, nihil ad eos subigendos plus valuisse, quam illorummet falsa quædam persuasio, Europæos ex Oriente advectos (nam cùm ipsi longè magis sint occidui, noster occidens illis pro Oriente est) filios Solis esse, & corpora habere naturā cælestia, privilegio immortalia, opinantium: idque hanc ob causam, quod armatos ipsi ferite haud possent, barbaro solūm more instructi, ligneis hastis telisque in ferri vicem aut saxo præfixo, aut osse, aut sudibus flammā in acient duratis: neque aliud nudis corporibus munimentum, nisi queritus asser pro scuto objectus. Posthæc tamen satrapis & magnatibus Insulanis dubitatio mentem subierat. quare indicto secreto concilio, frequentes coeunt. ibi post longam philosophantium disputationem, tandem decretum, in communem rem expediens videri, nunc quidem Castilianis haud aliter parere, quam velut indubie immortalibus: interim an verè tales essent, debere eius tēi cum tempore irrefragabile aliquod experimentum peti. Aderat eā tempestate Urajoanus, Provincia Jaguacæ Regulus, homo versutus, & gerenda-

rendarum rerum apprimè intelligens; præsertim verò communis libertatis longè omnium studiosissimus: qui tantæ rei comperendæ negotium in se ultro recepit. Neque eum diu occasio destituit: quando per ipsius ditionem fortè Salsedus quidam, Juvenis Hispanus, iter faciens, in eius manus defertur. Hic barbarus tempore utendum ratus, primò hominem omni humanitatis simulatione occupat; comitati dehinc ipmet aliquamdiu; demum de servitio suo ad viginti juvenes, per honoris & securitatis speciē ei adjungere, lacertis validos, & de toto consilio, quām probissimè per omnia loci, temporis, ac modi momēta subornatos. Hi, ubi ad flumen Guaratum pervenēre, Juvenem in humeros sublatum, ut magnatibus fieri mos est, vado transportant: donec, ubi alveus maximè altus erat, nihil tale suspicantem, in vortices repente violenter excutiunt, omnésque certatim pedibus tamdiu luctantem conculcant, ac in fundo tenent, quoad pridem extinctum esse necesse erat, si mortalis esset. Tum verò in ripam extractum, circùm adgeniculantes, velut adhuc sentientem, veniam rogant: & mille excommunicationum titulis allegatis, tum saxonum, tum ipsiusmet jacentis offendicula, & torrentis imperium causati, hortantur, surgeret; cæptumque iter porro prosequi vellet. Ubi Salsedus nihil se movet, ut qui revera esset mortuus, barbari veriti, ne illa tantum animo

Hh

debi-

debilitati species foret, auribus propriis se admovent, totaque vocis contentione eadem inclamant; sua ei obsequia, pedes, humerorumque in viam appromittentes. Verum non plus clamando proficiebant, quam postea etiam in pedes erigendo. ita triduum morati, opperiebantur, si quod forte spirantis indicium motu, vel halitu prodidisset. Inter haec unum de suis ad dominum ablegant, & quid egissent, nuntiant: adolescentem non modò nullum viventis signum dare, sed in tumorem versum, foedè jam in vultu deformari: neque jam satis tolerabilem esse foetoris magnitudinem. unde illum haud dubiè vere mortuum videri, & putredine corrupti cæptum. Iste in re tanti momenti haud quam alijs, quam suis met oculis credendum ratus, confessim eodem approperat: variisque experimentis usus, non cessavit de morte vel le certitudinem habere: donec jam palam saepe cadaver diffuebat; & metus erat, ne viventes ipsi quodam mortalitatis contagio ladderentur. Igitur haec tenus solùm tam falsæ persuasionis religio, metus & subiectio durarunt. Confessim namque ab uno Satrapa ad alios tam optatae rei missi nuntij: tandem certis experimentis in uno Orientalium compertum esse, eam quoque gentem haud immortalem esse. Quare consilio inter se habito, ferciter conclamant: quid ultra morandum esse, quin extemplo universos occiderent, quando jam consta;

constaret, mori posse? Nec sanè longius dilatares est, quām concurri ad arma posset, & in improvitos impetus fieri: quo factō abolitā stultissimæ opinionis fide, se, suos, Insulāmque in carissimam libertatem postliminio vindicarunt. Jam verò quām multi longè pessimæ servitutiſ catenis innexi, hoc est vitiorum passionūmq; tyrannide subjugati, non audent ad libertatem suspirare, eò solum, quòd de intimis illis inimicis suis eam opinionem conceperē, invincibiles esse? neque unquam experiundi gratiā, manum cum ijs voluere conserere? quin ne in minimo vitiorum suorum, & quasi puellulo, virium suarum periculum facere, id deiçere, sub pedes mittere, premerē, & suffocare; ac demum in uno perspicere, ne reliqua quidem potioris conditionis, & insuperabilia, vel immortalia esse. Huius rei ex se ipso exemplum Plutarchus proponit, omnium, qui de morum & politicæ gubernationis præceptis tradiderunt, longè sapientiā, facundiā, doctrinā præstantissimus, & Trajanī Magister, qui cùm vehementi naturæ ardore, supra modum iræ tyrannidi sese obnoxium videret, cæpit contra suam ignaviam excandescere: & modò hunc, modò alium furoris, quo exstimulabatur, impetum, prout quisque primò occurserat, per gulam prehendere; & indignabundas illas voces, in quas expirare pectoris flammarum parabat, intra fauces elidere: quo ex tempore nunquam amplius victor-

riæ dubius conflixit. (T) mihi igitur, ait ipse met., postquam semel atque iterum iræ restitisse, accidit id, quod Thebanis: qui cùm primùm repulissent Lacedamo-nios, tum ut videbantur invincibiles; postea nullo in prie-lio ab his superati sunt.

Restat nunc, ut exponam, quinam sit, aut quemnam existimem teneri modum debere cum vitijs depugnandi, victoriæ in primis cer-tum. Varij de hoc argumento tractatus cir-cumferuntur: verùm, ut eiusdem Plutarchi amoenissimo verbo utar, (s) eorum magna pars quibusdam odoramentis sunt similes, quæ plurimum robustissimæ acrimoniæ ha-bent; ideoque ad excitandos eos, qui apople-xide aut comitiali morbo sensum amiserant, multum valent; malo tamen minimè meden-tur. Huius ferè modi sunt pulchræ quædam bonæque considerationes: quæ tantum vigoris animo subjiciunt, ut frequenter eos, qui col-lapsi sunt, sui memores efficiant, & à casu se surrigere: cæterū ut non denuo labantur, quoties ea pestis eos incesserit, id verò non ef-ficiunt. Ut igitur tale malum radicitus evel-latur, plusculum aliquid, maiorisque effica-citatis adhibere oportet. quod si delicatis ac renitentibus stomachis acrimoniæ quidpiam, imò acerbitalis habere videbitur, meminisse debent, non eis ceu catillonibus dulciarias cupedias præberi, sed medicinam.

Veteres proverbio dicebant, (V) eum, qui olivetum arat, quasi precando id exoratum velle

velle ad fructum ferendum ; qui stercorat , id ipsum rationibus ei persuadere ; sed qui ferro cædit , ac rigidusculè putat , vi adigere . Volo dicere , rigoris aliquid adhibendum esse , quò vos terribiles vestris vitijs efficiatis ; ita quidem , ut ubi solum imperaveritis aliquid , expavescant imposterum , & ceu semivicta manus dent : quandoquidem usu compertum est , illa non valde absimilis Crocodili naturæ esse , de quo Historicus affimat : (X) TERRIBILIS CONTRA FVGACES hæc bellua est , FVGAX CONTRA SEQVENTES .

Igitur tempestivum nunc videtur , illud dicendo exequi , quod tunc , cum ante Matrem in anchoris stabamus , enarrare distuleram , quemadmodum Princeps Oratorum Demosthenes totum se ad stuporem usque reformaverit . Fœda in primis erat , perpetua illa humeri unius succusio , velut oneris quidpiam identidem abijcentis . Hunc nævum tali remedio emendavit , ut prius eum sibi detraxerit , quam necesse esset , illud frequenter adhibere . fuit autem huiusmodi . Speculum erat , quod illi pro magistro serviebat ad gestus motionesque corporis ritè conformandas . Ante hoc nudum expediebat humerum , suspenso desuper gladio , nec acuto nimium , nec obtuso ; sic ut pungeret magis , quam feriret . Ita quidquid erat , recitans , sicubi sui propositi oblitus , supra quam decebat , humerum extulisset , in mucronem gladij offendens ,

dens, admonebatur erroris: & possum id vobis quām certissimā fide confirmare, quām paucissimos dies intercessisse, quibus ei impressa doloris memoria, jactabundi humeri licentiam tam constanter compescuit, ut postea, etiam cū opus esset, eum aliquantō assurgere, non nisi iterato imperio levaretur. Quare si pari modo incompositi animi motibus dolorifera quædam castigatio admoveatur; volo dicere, si desumto ad disciplinam certo vitio, quoties contra propositum errare contingeret, fragilitatem nostram supplicio aliquo plecteremus, (quātō ad sensum acriore, tantō utique ad correctionem amplius profecturo) dubitare haud licet, quin intra breve spatiū, non sine nostri ipsorum admiratione, eo malo nos liberos deprehenderemus: præsertim ubi inter delictum & pænam nihil intercedere temporis sineretur. credi enim vix potest, quantum ista ad futuri remedium conferant; præsens ob oculos culpa, pudor, exprobratio, & propria contra seipsum indignatio.

In bubus nonnunquam pervicaces habemus, qui inter arandum medio in fulco obstinatissimè restitant: quos si agricola & clamore ciere, & stimulo perurgere institerit, additâ ad audaciam pervicaciâ, ultro se in terram prosternent. Hic tu, (Columella (1) rusticum affatur) ne ante tempus desperaveris; neque tamen ita excandelcas, ut ferro ac igni doman-

domandam bestiæ obstinationem putes: quippe cui citius cornua de fronte, quam vecordia de cerebro excusseris. Sed id age: ferocem ab aratro ablaquea, & jugo collum exime: tum eodem in loco, ubi procubuerat, robustis funibus pedes colligato; jacentem relinquito. ubi jacendo fessus erit, surgere connitetur; sed in cassum: commugiet etiam, velut temeritatis veniam postulans. at tu ne ob id misericordiâ movearis; sed ibi eum finito, usque dum fame, molestiâ, contemtu, & dolore plus etiam quam satis, fuerit maceratus. tum demum eum exolvito; ac videbis, nunquam eum deinceps restitorem futurum: ita ei omnis sulcus videbitur ille ipse esse, ubi priorem temeritatem tam cardo piaverit.

Quodsi fortè eveniet, ut vitium aut animi perturbatio semel domita, audeat denuo ad insolentiam reviviscere, ex Veteribus Scytharum memorijs discite, quemadmodum eas celeriter facilèque liceat ad pristinum modestiæ jugum revocare. Bellum illis fuerat unum alterumque: quod uti patrarent, per multas Asiac regions procul domo, non minus septem annis, vagabundum circumduxere exercitum. Rebus demum ex sententiâ confectis, ubi fessi laborum, quamvis victoriâ prædâque graves, patriam repetebant, ecce in finibus suis aditum sibi à proprijs servis interclusum reperiunt, quos ante septenium ad gregum domorumque custodiam optimâ fide

reliquerant. Hi namque dominorum oculis  
 ac metu liberi, ad herilem fortunam aspirare  
 ausi, conspiratione factâ, formidabiles con-  
 traxerant copias; quasi non jam pro furto, sed  
 patrimonio decertaturi. Neque dubium erat,  
 si res armorum discrimini permitteretur, du-  
 plo maiores vires pro rebellium parte statu-  
 ras. Verum uni illorum raræ, & consultissimæ  
 sapientiæ consilium in mentem venit; uno ab  
 omnibus animo approbatum: quod illis ex-  
 templo bellum ex integro confectum dedit.  
 Id fuit, in tam indignâ belli causâ, belli quo-  
 que gerendi aliam suscipi rationem oportere.  
 Proin debere eos (*I*) mutare genus pugnæ: memo-  
 res, non cum hostibus, sed cum servis præliandum: nec ar-  
 morum sed dominorum iure vincendos. Verbera in a-  
 ciem, non tela ferenda; omissoque ferro, virgas, & fla-  
 gella, cæteraque servilis metus paranda instrumenta.  
 Nullâ unquam memoriâ bellum vel à parti-  
 bus conditione tam disparibus, vel armorum  
 genere tam inæquali, vel magis justâ & glo-  
 riosa victorij gestum fuit: cum hinc Domini  
 non aliâ re armati, quam virgis, scuticis, lo-  
 ris, catenis, easque in alto cum sonitu quaßfan-  
 tes incederent; velut non aliud, quam callo-  
 sa servitij sui colla in Ordinem, & sub anti-  
 quum jugum missuri: illinc latronum tende-  
 ret exercitus, arcubus, lanceis, ac sagittis va-  
 lidè instruetus, numero etiam multis vicibus,  
 illorum copijs antecellens. Cæterum ubi pri-  
 mū in conspectum venere, hi veteris metus  
 confue-

confuetudine, & conditionis recordatione oculos perstringente, oblii, militatum se venisse, abjectis confestim animis atque armis, latè in fugam se effuderunt. Nec morati sunt domini illorum vestigia premere: *adeoque illos perculerunt, ut quae ferro non poterant, metu verberum vincerent: fugamque non ut hostes victi, sed ut fugitivi servi capesserent.*

Omnia vitia conditione vivunt servili, contra rectæ rationis justum dominatum rebellia. Quantumcunque animi & audaciæ in nobis aggrediendis monstrant, ipsa tamen vi- lissimæ qualitatis suæ conscientia, eadem in fugam coniicit, ubi primùm flagra & virgas conspiciunt, ad quas nata, & quibus aliàs suo cum dedecore à nobis subagitata se meminere. Ex æquo cum illis velle procedere; nudis ensibus, hoc est, cum æquitatis prætentu, & rationibus agere; id vero est ea in honore ponere, & fastu ad contumaciam provocare; nobisque ipsis periculum accertere, ne ea unquam superemus. Nam neque ipsis suæ de- fensionis argumenta desunt, naturæ fragilitas, occasionum violentia, exempli vis, necessitatis angustiae, iuventutis ardor, & similia, ipsis pro excusatione, hoc est, pro armis ser- vientia: quæ tam peritè tractare sciunt, ut frequenter prævaleant. Baculum non sustinent: sui confestim meminere: ponunt audaciam, armisque projectis, tergum Victoribus præbent.

A. Præfat. l. 37. B. Herodot. l. 7. Livi. Dec. 4. l. 6.  
 Strabo. l. 9. Æmil. Prob. in Themist. C. Sen. de benef.  
 l. 6. c. 31. D. Clio. l. 1. E. Snafor. 3. F. Veget. pro-  
 leg. l. 3. G. Dio. in Calig. H. Plutar. in Sert. I. lib.  
 4. c. 18. K.. Liv. Dec. 1. l. 1. L. Flor. l. 1. c. 3. M. Plu-  
 tar. in Coriol. N. Flor. l. 2. c. 6. O. lib. 2. P. Plu-  
 tar. in Pompei. Q. Laërt. in Socr. R. Hist Ind. l.  
 26. c. 8. S. Ramus. 10. 3. fol. 174. T. de cohib. ira.  
 V. ibid. X. Colum. l. 5 c. 4. Y. Plin. l. 8. c. 25.  
 Z. lib. 6. c. 2. Aa. Iustin. l. 2.

**XXIII.**

# T H E S S A L I A.

## SEMIHOMINES ET SEMI- BESTIÆ.

**F**Atigatio, quam difficillimo enixu per hæc  
 confragosa suscepimus ; & amœnissimi  
 theatri aspectus, quod se circum montis hu-  
 ius latera undique aperit ; ad considendum,  
 & tam rarae voluptatis opportunitate fruen-  
 dum nos invitant. Ecce has duas vicinas ru-  
 pes, quæ de grandibus humeris, inter densam  
 silvarum caliginem, nudi saxi asperrimos ver-  
 tices in sublime protollunt : hi sunt famosus  
 ille Pindus, & terribilis Othrys, antiqua La-  
 pitharum statio. Sed alter ille, in austrum ob-  
 versus, tantopere nobis eminens, ut vertice  
 etiam ventos ac nubila transcendat, etiam si  
 nihil ego dixerim, per se ostendit, montium  
 se Regem, & Olympum esse. Nunc oculos  
 demittamus ; & ecce limpidissimi fluminis

tra-

tractum, inde usque jugi allapsu montis im-  
lambentem; donec per magnum terræ spati-  
um evolutus, multo aquarum fastu tumidus,  
adversum nos adpropinquat, famosissimo no-  
mine Peneus dictus. Ibi verò quos de longè  
montes videtis, misto horrore amoenos, (ne-  
scias, claustra sint, an apertura regionis) per  
quorum præruptas crepidines Peneus se de-  
voluit; ille omnium ore & calamis decanta-  
tissimus Græciae Paradisus jacet, quem Tempore  
vocant: merum nemus, semper virentibus  
lauris consitum; mera umbra, & umbræ so-  
cium frigus, quod perpetuæ rivulorum ve-  
næ alunt, per omnia scopulorum latera pro-  
slientes. Nusquam maior jucundissimi aspe-  
ctus varietas: cùm identidem post centum  
vix amplius passus, novæ silvularum facies,  
& intercurrentium collum, pratorum, rupi-  
umque vicissitudo, aliam aliāmque promo-  
veant scenam, mirâ curiositatis voluptate;  
majore etiam quam credi possit, ludentis na-  
turæ miraculo, ubique gratiosum cum hor-  
rido, delectabile cum incondito, artificiosum  
cum nativo, tam arête jucundéque copulan-  
tis, ut nullum artis ingenium ne millesimam  
diversissimarum cogitationum partem peni-  
nicillo assequi possit: adeò, ut qui in singendis  
camporum regionumque vultibus quantum-  
cunq; peritus & artifex, si elaborare ad nomi-  
nis excellentiam quidquam velit, nunquam  
meliores idæas apud se excogitaturus sit.  
quam

quām hīc loci veras formas sit inventurus. Il-  
lud autem minimē amōenum , sed terrifi-  
cum potiūs , quod non inde procul oculis se  
subijcit, excidij spectaculum, ad pēdem illo-  
rum collium , quibus Scotusſa accumbit; ſeu  
verius , magna rudera non maximē urbis.  
Illic Pharsalicus campus tenditur , omnium  
gentium memorā celebratus : ubi Roma ge-  
mini capitis monſtrum facta , Cæſaris ac Pom-  
peij, funeſtissimo prælio utrumque collifit: do-  
nec uno in fruſta comminuto , alteri coronam  
porrigeret ; utpote confortij , id eſt divisionis  
non patientem.

Ex his , quæ hactenus vobis explicui , ſatis  
intelligitis , hanc regionem eſſe Thessaliam :  
& hunc montem , cuius in vertice affidemus ,  
Oſſam eſſe. Oſſam , inquitis ; & Thessaliam ?  
ubi Centauri ſtabulantur , ſemiviri & ſemicaballi , Ixionis progenies ; omnium circa popu-  
lorum terror & clades ? At ego vos bono eſſe  
animo jubeo. Centauros nunquam veros iſta  
vidit Thessalia ; ſed illa imaginatitia , in cere-  
bro Poëtaruin nata. Iſti , ut noſtis , alium  
mundum habent , ſibi proprium : igitur eſi  
in hoc noſtro egeni ſint , famelici , ac mendici ;  
in illo tamen ſuo tar. cā cum potestate domi-  
nantur , ut quidquid ibi habere cupiant , con-  
festim ibi ſit ; nullā ſanē morā : cùm iſpum fa-  
cere non aliud ſit , quām fingere. Ars tamen  
ſingendi geminum modum habet : unum ,  
cùm merum imaginationis opus , velut in aē-  
re

re subsistit: alterum, cùm labor veri nixus substantiâ, arte prodigia molitur; perinde ut si ingens rûpes super lûdis apice implanitata monstraretur. ex hoc secundo genere Centauri sunt. Quippe qui hunc montem antiquissimis ætatibus habitârunt, (& deinceps horum imitatu universa Thessalia) primi institere equos domitare, & ad belli usus adhibere. Hinc poëtæ sumtâ (ut ijs semper fas fuit) licentiâ, equos cum hominibus in unius corporis habitum congesserunt; quos Centauros vocitârunt. Quod si tamen vobis lubido est, non ad pascendam modò oculorum curiositatem, sed ad morum utilitatem quandam, intueri tam inconditam semibestiaz & semihominis, in unum aliquid coniunctio- nem, convertite sanè hîc circùm oculos: & dicite mihi audacter, an non omnes quaqua- versum regiones deprehendatis esse quandam Thessaliam?

Atque utinam id ita foret: vah, quantò melius mundo ageretur! Nam ut verum proloquar, ea hominis medietas, quæ in Centauris spectabatur, alteri, quæ bestiam referebat, ceu inferiori ac subditæ superposita imperitabat: ubi autem Ratio sensui submittitur; & ea pars, quam cum animalibus communem habemus, equitem agit, ac dominatur, (id quod hominis proprium est) ex tam conturbatâ partium coordinatione, quis vel cogitandi assequi, vel pingendo re-

pres.

præsentare possit, quām abſonæ, ac deformes  
monſtrorum formæ ſint prodiuitaꝝ? Ego mihi  
indubie persuadeo, ſi Diogenes, quando ſub  
iſpſum meridiem cum philoſophicâ ſuâ lam-  
pade forum Corinthi obambulavit, ſollicito  
adæquè oculo, ac pede, in denciffimo populo,  
qui illi in re tam novâ circumfundebatur, ho-  
minem quæritans; & obvios quoſque velut  
animalia, non minū turpiſſimis figuris, quām  
ſcediſſimis vitijs horrentia abominans; ſi in-  
quam, eo in opere quempiam obvium habuiſ-  
ſet, qui ab eo ſeu verè ex animo, ſeu joco pe-  
tiſſet; enimvero quando tu nos adeò conſi-  
denter pro animalibus habes, edic ſodes, quā  
nos ratione velis denuo in homines reforma-  
re? ille, ut erat in jocando argutus & comis,  
ſine morā respondiſſet; ſi vos invertero, ho-  
mines fecero. Cūm enim contra rectum na-  
turæ ordinem, Animalis appetitus in vobis  
Ratione ſit ſuperior; ubi vos ſurſum deorſum  
ſtatuerο, proſecto ad naturalem illā habitudi-  
nem, quā ferri hominem decet, vos reduxero.  
Et ſanè Natura, quæ non ſolūm vivendi nobis  
mater eſt, ſed etiam magistra recte vivendi;  
ubi ſtudiosè eius arcana penetrare volueri-  
mus, clarè id nos tunc docuit, cūm oſtendit,  
quomodo herbæ, cūm in alienam ſpeciem (ut  
aliquando fit) degeneraverint, emendari cor-  
rigique poſſint. *Mentha domēſtica*, ait (4)  
*Columella*, cūm forte depravata, ex nobili in  
*menthaſtrum ſedi odoris silveſcet, inverſis ca-*  
*cumi.*

suminibus superficiem depange in terrā, radices in sublime promitte: confessim, quas deinde cymas fecerit, teneræ, optimoque odore erunt: ita sine alio impendio, quam ut statū eius comutes, ex ferā denuo mansuetam habebis.

Hem (compellat Lucilium suum Stoicus) (B) an non ita esse videmus, ut omnis natura ac rerum species, quiddam ab alijs diversum, sibi tamen peculiare habeat, ceu propriam dotem; verum ac legitimum pretium, quo se efficerat, ac triumphet? Omnia suo bono constant. Vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas serum. Quare sortia dorso iumenta sint, quaris? quia eorum unus hic usus est, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere & invadere. ID IN QVOQVE OPTIMVM EST, CVI NASCITYR, quo censetur. In homine optimum quid est? Ratio. hanc antecedit animalia, Deos sequitur. Quod deinde egregiè prosequitur, ijs dotibus in exemplum adductis, quæ in homine sunt; planè quidem suæ, sed non item suæ optimæ, quod non in ipso solo reperiantur. Homo, ait ille, robore, spiritu, animositate pollet: verum & leones, formâ & pulchritudine excellit; pariter & pavones. Cursu valet; sed illum equus consequitur, & se parem contendit. Neque enim nunc de victoriâ loquor in his rebus, quæ ad qualitatem, vel quantitatem pertinent; neque pugno, quid in homine magis sit, sed quid in homine solo sit, inquiro. Habet ille corpus; euidem;

sed

sed quanta sint arborum, pinorum, abjetum,  
quercum videte. Habet, ut appetere aliquid,  
moveare & convertere se pro libitu suo possit;  
at non minus id omni animali competit; quia  
& veribus. Quid jam de voce dicemus?  
quantò clarior ea est in canibus, penetrantior  
in aquilis, profundior in Tauris, suavior &  
volubilior in Philomelis? Igitur inter tot ac  
tantas eius dotes, (quæ tamen ita duntaxat  
eius sunt, ut etiam aliorum sint) quid in ho-  
mine proprium? Ratio. & ita quidem pro-  
pria, ut ex eâ ne minimam quidem particulam  
vel animalia participant, vel plantæ, vel aliæ  
quævis rerum istarum visibilium, sive simpli-  
ces sint, sive compositæ. Hoc ubi ita compro-  
bavit, stringit ille demum ratiocinationem  
suam hâc deductione: si illa solùm res in suo  
genere dici felix potest, quæ perfectè potitur  
optimo suo: & optimum cuiusque, pariter  
& proprium illius est: propria autem hominis  
est Ratio: Ratio vero Honesto perficitur: Ho-  
nestum certè tota hominis felicitas. Ita ille  
juxta Zenonis sui scholam; in hoc ex parte di-  
versam à Peripateticâ; ab Epicureâ verò pen-  
tus alienam.

Quod si jam totum id, quod in animalibus  
boni reperitur, collectim sumtum, non potest  
hominem meliorem facere, quia non in eo,  
quod hominis est proprium, perfectionem fa-  
cit; qualem se igitur homo efficiet, ubi om-  
nia animalium mala, hoc est, naturalia illo-  
rum

rum vitia, ob quæ in infamia sunt, in se collegerit? Et sanè liceat illa, ad maius eorum odium, nominatim percensere; ursorum voracitatem, Taurorum æmulationem, inertiam asini, luporum rapacitatem, ovium stoliditatem, immunditiam porci, canum inadvertiam, furias Leonis, serpentum malitiam, implacabiles Tigridum iras. Nam fraudulenter agere, non est (ut Spartanus Rex Lysander, in excusationem perfidiæ ac simulationis suæ dicebat) vulpini pellem ad pauxillum tempus dorso injicere; sed est cor ipsum cordi inserere, & in vulpem transmutari. Atque utinam eam artem scire, ac docere valerem, quâ materiâ, aut figurâ confici ea specula possint, quæ monstruosas vitiorum figuras, quibus hominum mentes tam stœde deformantur, sub illorum animalium facie, quibus illa per naturam propria sunt, sub oculos & aspectum proponunt! quam multi forent, qui in sui ipsorum tam calamitoso intuitu, extra se rapti, animo deficerent? gravius sanè, quam in fabulis Jo, quæ in Juvencam transformata,

(C) nova ut confexit in undâ

Cornua, pertinuit, sesequi exterrita fugit.

Et ecce, prosus tempori, unam quampiam contam speculo plorantem, & inter profundos anhelitus exanimandæ similem. (D) Sabina est, Romanæ Aulæ Cleopatra, Neronis conjux: nam ex grandibus, me hercle, argenteis

conchis illam agnosco, quingentarum asinorum lacte plenis, quæ bellè pastæ, ad ipsius obsequium, de mille uberibus, fontes & thermas fundebant, in quibus lavari, & tenerum ac succosum servare corpus posset. Et quid eam flere arbitramini? id ego ex paucis eius verbis intelligo. In speculo se non satis bonâ formâ, & pauxillulùm defectam, graciliorémque conspexerat: ob id in extremo luctu & lamentis est. cùmque ei molestissima cogitatio pensandum obtulisset, qualis olim senicula futura esset, cana, rugosa, edentula, pallida, informis, instar floris elanguidi; hinc animo excruciat, cohorescit, plangit, mente linquitur, & mori priùs omnibus votis exoptat. Præstat, inquit, bellam mori, quam turpem vivere. Et sanè ex merito digna fuit, quam citissimè voti sui compos fieri. Unus calcis ieius, quo certius eam suæ quingentæ asinæ ferire non potuissent, illam tanto metu expedivit. Namque Nero, ille etiam magnarum bestiarum maximus, gravidæ tam fortiter pedem in ventrem illisit, ut exanimato quamprimum foetu abortiens, animam simul effuderit. Ergóne tantum horroris illa ex vultu suo conciperet, paulo minùs quam bellissimo; & nullum ex animo longè plus quam turpissimo, hoc est, penitus bestiali? quippe Juvencula, & sponsa; sed tamen vel jam tunc inventata & putida meretrix. Quod si se illa in Veritatis speculo esset contemplata, magis quam,

quām illa, de quā paulo antē, Inachia Juvenca, per seipsum exterrita, seipsum quoad licuerat, fugere studuisset.

Protrahamus nunc in medium aliud par monstruosorum Centaurorum, quō nobis sui spectaculum præbeant; utique non minus utilē, quām aspectu grave futurum: ad eum modum, quo (E) Spartani servos suos vino inebriare, & sub filiorum conspectum adducere solebant: ut isti visâ brevis huius amentiæ, & quæ illam comitantur, indecentiæ ac improbitatis turpitudine, bene animo eam speciem imprimenterent; quām spurca & contaminata res sit, homo ebrius. quo pacto illud planè consequerantur, quod volebant: ut juvenculi vinum non mitius, quām magicum quempiam potum abominarentur, homines in bestias transmutantem. Sed ut primum horum monstrorum tantò commodiūs in lucem producam, viam mihi autoritate Solini (F) complanavero, Taprobanam (quam hodie Somatram dicunt) jam suâ ætate celeberrimam, & inter Indiae Orientalis Insulas propè maximā, describentis. Hanc memorat, in longum septena stadiorum millia excurrere; in latum quinque millia protendi. Transversim flumine secatur: duarum partium una, nō aliud quām terribiles bestias nutrit; altera hominibus habitatur: ita ut ipsa quoq; inter Insulas quidam Centaurus sit; h̄c bestia, illic homo.

Prodeat nunc foras Imp. Tiberius, & videbimus,

bimus, quām prorfus similem ipse Somatræ speciem gesserit, unā sui parte homo, alterā nihil præter bestias habens. ita enim abbreviator Dionis (G) de eo tradit; poteratque omnino ceu Epitaphium, sepulcro eius incidere: *Tiberius, Homo Magnis Virtutibus præditus, & Magnis Sceleribus coopertus. Ambobus pariter usus, quasi tantum in altero se exercuisset. Vixit annos LXXVII. Regnavit XXII. Atque hic recordor;* quām graviter tunc errārit Tiberius, quando per versutissimam simulationem odium gubernationis præseferens (quam tamen ardentissimè anhelabat) amicis & assentatoribus, non minori figmentorum artificio identidem rogitantibus cederet mundi votis, & acceptaret orbis Imperium; *nescitis, respondit, quanta bellua sit Imperium: (H)cùm verius dicere debuisset; nescitis, quanta bellua sit Imperator.* Profectò enim tam vasta erat bellua, ut si pro mundi securitate arctè satis concludi debebat, ne quidem ea cavea suffœcta fuerit, in quā miserrimus Imp. Baizetes, ascensuro in equum Tamerlano, pro scabello serviebat. Adhæc ex tam multis bestijs compositus, ut id non aliter possim exprimere, quām illud commemorando, (I) quod in equā contigit, quām Apelles depinxerat; scilicet ad illius aspectum caballos perinde, ut ad vivæ præsentiam adhinnisse: & in parabolā volo dicere; si Tiberius similiter expositus in campo stetisset, ubi omnium immundorum animalium stabulum fuisset,

fuisset, nunquam pejoris modi musicam audi-  
ri potuisse ; cum in eo viro quævis bestiarum  
suam propriam speciem recognosceret ; eique  
ad rugiret Leo , grunniret porcus , ulularet  
lupus , latraret canis , mugiret Taurus , rude-  
ret nescio quis ?

Sed ecce Centaurum alterum , Caligulam ;  
bene utique Tiberio adjunctum : et si enim  
passu uno post ipsum stat , quatenus illi in Im-  
perio successit ; in sceleribus tamen , totis eum  
parasangis præcessit . Qui de ipso scripsit , non  
aliter quam de Centauro scripsit : quippe du-  
as in eo partes contrarias complexus ; de ho-  
mione quidem per quam modicè pauca ; de be-  
stiâ vero , sine mensura ac numero multa . Ita-  
que ubi modicum illud , quod ad laudem po-  
terat , commemorâisset ; & ad reliquum , quod  
totum , nihil nisi horribile quoddam flagitio-  
rum & facinorum chaos est , accedere pararet ,  
commissuram his omnino verbis signavit : (K)  
*HACTENVS QVASI D E PRINCIPE ; RELIQA  
VT DE MONSTRO narranda sunt.* Atenim qui-  
bus partibus monstrum erat ? sive qualium  
vitiorum homo ? Liceat sanè verum dicere ;  
non mihi nunc succurrit , quomodo aptius  
magisque id ex primere possim , quam ante o-  
culos vobis constituendo Pyramides , olim ex  
Ægypto in Italiam delatas . Quanta ibi per  
omnia quatuor latera omnis generis animali-  
um , reptilium , volucrum , quadrupedum va-  
rietas cernitur ? scarabæi , bubones , simiae ,  
acci-

accipitres, noctuæ, sphynxes, & quædam aliquid hominis habentia, & homines ex parte bestiam referentes; & gryphes, & canum ritus, & avium rostra, & bestiarum manus, & oculi sine capite, & capita velut à torno rotunda; verbo, congregatio quædam rerum inconvenientium: nisi quodd in illius gentis sacrâ lingua non monstra erant, sed mysteria. Non aliud in modum vita Caligulae scribi oportebat; figuris bestiarum, quas in mundo reperire sit deformissimas, & naturæ suæ vitia significantes. Quanquam incertum est, an tota ars & ingenium Ægyptiorum Mystraum, qui illius hieroglyphicæ litteraturæ autores fuere, invenire scripturam compendiariam posset, ex tam peregrinis, absconisque bestijs configuratam, quæ vel duas solum illas lineas de vita Caligulae, ab Historico quodam relietas, posset adæque exprimere: solebat hominum frequentia (L) & alloquio delectari; mox verò solitudinem amare. Succensebat saepe ijs, qui nihil ab eo petiissent; alias rogatus aliquid, in furias exardesceret. Impetu quidvis aggredi; re nullâ perfectâ segniter desistere assuetus. Plusquam prodigus in effundenda pecuniâ; plusquam Fordidus in corradenda. Ut adulantium immodicè amans, ita veritatis audiendæ impatiens, & osor. Sceleratissimis quibuscque ignoscere; innocentissimos perire solitus; quandoque inimicorum injurijs toleratis, amicorum benevolentiam haud fecus.

secus, ac injurias puniebat. Omnino creditum Romæ pro vero fuit, idcirco Tiberium sibi illum pro successore substituisse, ut ipse pessimi metalli homo, in comparatione Caligulæ, adhuc pro auro haberetur. In quo, me hercle, non vanus augur fuit; nisi quod ipsa tam scelesti capitis substitutio, tam flagitiosa fuit, quam omnia substituti flagitia fuere. Quanquam nemo magis, quam ipsum illud infelix sæculum in culpa fuit: quod non de utroque istoc monstro id, quod (*M*) Hanno, fecit; quando Gorgonas (vel ut hodiè appellamus, Insulas Promontorij viridis) detexit. Cum enim silvestres homines, quibus illæ habitabantur, complures venatu cepisset, duobus pellem detrahi jussit, & ad posteritatis fidem in templo suspendi; quod deinceps constaret, quales ea Insula cultores habuisset; incertum an monstra, quæ homines credi possent; an homines, qui monstra viderentur: re enim verâ tam hirtæ squammosæque exuvia, Crocodili corio, quam hominis cuti similiores erant.

Equidem hucusque feci ad eorum instar, qui merces suas vendituri, ad notitiam faciendam pauculas aliquas, sed in signioris notæ, palam ad spectaculum proponunt. Quare non velim, malo reliquarum, quas non explicō, præjudicio eam suspicionem vulgari, quasi nulla mihi similium hominum, qui semibestiae sint, copia supersit; nisi eorum, qui balsamo

conditi, jam ab sedecim minimum sacerulis, vetustate carieque consumti sint, & teredignum iniuriâ infestati. Utinam tam felix mundus foret, ut, sicut Basilisci non nisi in vastissimis, nulloque humano pede tritis Africæ desertis nascuntur, ita nullos tales semiferos homines, nisi in antiquissimis Idololatriæ monumentis inveniremus. Neutquam fabula est, sed mysterium, Circe illa; secundum cuius litora navigans errabundus Æneas, audivit

(N) gemitus, irasque Leonum,

Vincla recusantum, & serâ sub nocte rudentum:

Setigerosque sues, atque in præsepibus ursos

Sævire, ac formas magnorum ululare luporum:

Quos hominum ex facie, Dea saeva potentibus herbis

Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum,

Circe est perturbatio illa, cuius dominatus nos permittimus. Illa phialam incantati liquoris offert, sive sensualis voluptatis; cuius venenata vis in quamcunq; bestiam transformare nos potest, cui nos bestialiter vivendo similes facimus. Quod si Stoicus ne quidem ad complementum beatitatis committere voluit, ut sensuum oblectatio adiungeretur; cum putaret, partium naturâ tam differentium compositionem, non posse non monstrificam esse; qualis apud Poëtas scylla fuerat, ex dimidio puella, ex dimidio piscis; unde exclamavit; (O) quæ invenietur tam discors inter se iunctura corporum? fortissimæ rei, inertissima adstruitur; severissimæ, parum seria; sanctissimæ, intemperans

*rans usque & indigesta* : quanto igitur maius potentum faciet , qui nihil omnino honesti in se habet, sed merum vitium est, & pura puta bestia ?

Egregium naturæ miraculum quotannis Ægyptus videt , quando Nili aquæ , quæ totam planitiem altè inundaverant , paulatim diffluunt , aut subsidunt. Ibi per omnem regionem passim animalium pisciumque ex luto species , velut principia quædam reperiuntur , magis , minùsve elaborata. etenim fœcundissimus Nili humor *etiam glebis infundit animas , ex ipsaque humo vitalia effingit ,* ( P ) inquit Pomponius Mela: unde ( subiungit paulo infrà ) *ex parte iam formata , ex parte terra visuntur Causa est , quod , cùm nondum aut pinnulis , aut pedibus adjuvare se potuerint , & cùm deficiente aqua decurrere , aut aliorum diffugere , id loci solummodo ad sui spectaculum & stuporem remanent ; dum omnes avidè mirantur animal , in quo*

( Q ) *Altera pars vivit , rufis est pars altera tellus.* Ita igitur in Ægypto per breve anni tempus contingit. Illud autem quām auditu visūque indignum , omni tempore & loco Señihomines reperiri , quod per naturam sunt ; & semilutum , in quod sponte se convertunt ? contrario prorsus modo , ac in Ægypto contingit . alienam affectantes naturam. Ibi enim id , quod inferius & duntaxat limus est , nobilitatur , quando melius aliquid , & animal existit :

hic verò id, quod in homine Divinum ac cælestē est, tantò deterius depravatur, quantò vilior res est limus, quo etiam abjectissima animalcula nutriuntur.

Et hem! quantus eorum est numerus, qui si oculorum exquiras de ijs judicium, foris omnino aliud esse creduntur? quod si etiam id, quod intus sunt, posset perspici, profectò necesse foret earum pectoribus inscribere, quod de Claudio Imp. eius mater Antonia dictabat; (R) eum esse PORTENTVM HOMINIS; nec *absolutum à natura*, sed TANTVM INCHOATVM. In quam multos id ipsum dixeris, quod Marcus Philippus, (S)cùm apud Amicum Calfrani diversatus, appositum ex vicino flumine Jupum cænitaffet? quid enim lutei saporis aliquid haberet, confessim quantum gustaverat, expuit: & peream, inquit, nisi piscem putavi: indicans, potius limum esse sub piscis schemate. Ita profectò cum hominibus usuvenit, ut aliud exteriùs apparent, aliud sint intus: & qui eorum periculum facit, jurare possit; ita me dij perdant, si hunc non hominem credidū: sed ut video, vulpes est, aut Tigris, aut lupus, aut bos, aut asinus, aut aliud obsecnum pecus.

A. l. 11. c. 3. B. epist. 76. C. Metam. l. r.  
 D. Xiphil. in Nero. E. Plutar. Institut. Lacon F. cap.  
 56. G. Xiphil. in Tiber. in fine. H. Sueton. in Tiber.  
 6. 24. I. Plin. l. 35. c. 10. K. Sueton. in Calig. c. 22.  
 L. Xiphil. in Calig. init. M. Solin. c. 60. N. Aeneid.  
 l. 7. O. Sen. ep. 92. P. cap. 9. & Died. Sic. l. 1. c. 2.

Q. Mo-

XXIV.

LIBYA DESERTA.  
QUI SOLUS EST, ET NON EX  
STELLIS REGITUR,  
PERIIT.

HÆc est sanè Libya, id est, maximum & ferocissimum ex omnibus Africæ monstribus; inconstantis soli pelagus: ita quidem mobile, ut ad venti flatum incrispetur, ebulliat, in fluctus convoluatur, & tempestates ciuat. Ægæis & Atlanticis non mitiores: & quod tanti mali pessimum auctarium est, nec portum habet, nec ostium, aut receptum alicuius scopuli vel Insulæ, ubi liceat insariantium elementorum furias declinare. Immensa, quam coram cernitis, planities, quam finire oculo, nisi in extremo cæli limbo haud potestis, nihil nisi sterile solum & arena est; Desertum, & emortua solitudo: ubi neque semen fructificat, neque herba ulla adolescit: cui neque sol vitam, nec aspectus stellarum sensum, neque temporum orbita fœcunditatem conferre possit.

(A) Temperies vitalis abeft. & nulla sub illâ  
Cura Iovi terrâ est: Naturâ deside torpe  
Orbis, & immotis annum non sentit arenis.

Neque tamen sterilitas ista maximum eius malorum est; immò mortalis ista inertia adhuc opta-

optabilis videbitur, si cum eius immanibus furijs comparetur, quibus effruescit, cum irritata fuerit: ita ut Oceanus quoque illâ adhuc mitior videatur. hic enim quantumvis montibus pares fluctus in altum levet, eos tamē extra se haud procul eiaculatur: ubi assurgunt, ibi denuo in planum ac seipso subsidunt: at verò hîc; ubi mobile fabulum in tempestatem excitum est, maris instar in auras sublimè evolans, medium ipsum diem densis tenebris obnubit. tum per horribiles turbines volutatum, tamdiu undique in unum condensatur, donec ad extremum ponderis vi, ventorum alas prægravante, subito rota procella in unam ruinam dirumpat. Tum verò miseros viatores! in quos volatiles illi arenarum montes præcipitant, vivosque momentose peliunt.

(B) *Ita etiam Continens naturam maris patitur; nec interest, ubi potius sint procellæ, cum ad exitium viantium elementis congruentibus, in terris flabra sœviant, in mari terra.* Atque hæc insuperabilis violentia Africi est, totam Libyam tam sœvâ tyrannide tenentis: quæ cum, ut alibi diximus, planissimo æquore tendatur, neque alpes aut montes habeat, quibus violentissimi venti cursus aut retardetur, aut inipetus elidatur; ille

(C) *Eolianam rabiem totis exercet arenis.*

Cum igitur numerosissimæ negotiantū turmæ, ad mille & plus capita, illac iter ineunt, cælo temperato, nullaq; tempestatis aut ventorum suspicione; quoniam nulla itineris restare possunt



sunt vestigia , quæ per illum infinitæ solitudinis campum viam demonstrent ; ipsiq; arena- rum montes de die in diem, pro ventorum ar- bitrio locum mutant , infidi utique viarum duces ; exercitato naviculario opus est , qui pariter ut in mati , continuo cælum respe- ctans , inde regulam petat huius deserti pera- grandi. ita (D) *quamvis terra pergentibus, ITER  
SIDERIBVS DESTINATVR : nec aliter  
cursus patescit.*

Mirabile atque utilissimum documentum pro ijs, qui per infaustum aliquod desertum, (cuiusmodi in humanâ vitâ occurrunt , hor- rida , longa , periculosa ) peregrinari debent. Quamvis autem non ignorem , eam , si bene considereretur , aliud non esse, quām continuum inconstantis fabuli desertum; eo quod hu- manæ res, tenuissimi pulveris instar levissimæ sint, & pariter uno flatu mutabiles; juventus, forma , vigor corporis, lenta illa mors, quam quotidie morimur , & vitam vocamus : atta- men hīc eas solum vitæ nostræ partes præci- puè attendemus, quæ etiam bonorum, ad sen- suum voluptatem pertinentium sunt steriles. Quare per Desertum certas quasdam extra- ordinarias calamitates intelligo , bona nostra devstantes ; in quas necessum omnino est , identidem velut ex transitu incidere. Ita huic amicorum quispiam moritur , in quo pæne magis, quām in seipso vivebat. Illi vetus jam amicus fidem fallit , in quo tamen plus spei , quam

quam in seipso habebat repositum. Alterirepentinus turbo domum funditus evertit; & infelix familia, heri adhuc beata, hodie sub ruderibus mendicitatis, & opprobrij contumulata jacet. Iste suum nomen, quod nuper tam fulgentibus famæ radijs inclarerat, videre debet fuligine obscuratum. Alius ex præcelso gratiæ culmine, ad quod non sine plurium annorum sudore, manibus pedibusque reptando eluctatus tandem fuerat, præter omnem metum, unâ horâ dejectus est; quin saltem scire possit, à quo protrusus, vel in præceps actus: & quæ alia sunt innumeræ ærumnarum formæ.

Vah; quam difficile & paucorum est, ubi in tantam solitudinem inciderint, animo non concidere; non seipso perdere, ubi via trita non extat, quam sequantur: non seipso infinitis implicare erroribus, ubi & afflictio, & periculi metus augentur; nisi ad reperiendum exitum, ut in locis Desertis fit, ductor de cælo accipiatur. Ut ne autem fines, quos mihi initio circumposui, moralis duntaxat doctrina transcendam, id volo per sublationem oculorum ad stellas significare, non debere quempiam animo viliter abiesto, humi jace-re: sed se potius salubri quamvis cogitatione, quarum copia magna facile præstd est, in sublime attollere; quæ quamvis forte non totum dolorem planè auferant, magnâ tamen ex parte diminuunt. Sicut enim, qui sub onere per-

incom-

incommode in humeros imposito , facile succumbit ; ubi verò id rectius juxta centrum gravitatis aptatum fuerit , jam rite locutus , ceu levius , decorè & cum aptâ corporis habitudine deportat : ita cum eo contingit , qui neque meliorum desperatione ; neque præsentis ærumnæ magnitudine opprimi se sinit : sed prudenti aliquâ consideratione subnixus , & se ad miseriam , & miseriam ad se accommodat . O quantò jam ille se minus gravatum sentit ! quam valenter se sustentat ? quam decorè gestitat ? adeo ut nihil pulchritus sit videre , quam hominem generosum , in adversâ fortunâ sibi constantem : qui cum meis peregrinis potius illuc animo circumit , ubi oculos defixos habet ; quam ibi corpore versetur , ubi pedibus ambulat .

Virtus non ut fortuna se gerit , quæ solùm splendet , cùm serenum est ; solùm comitatur , quo usque floribus via obseritur ; solum tamdiu blanditur , donec prosperitas arridet . Illa etiam cælo nubilo , & cùm res inter sacrum & saxum hærent , cùm in fundo sunt , & pæne spes omnis decollavit , tum verò clariùs affulget . fidelius assestatur , tenerius simul ac robustius consolatur . Num Phidias ( quærerit Stoicus ) celeberrimus ille inter sculptores artifex , artis suæ miracula solùm in auro , ebore , aut candidissimæ venæ Pario marmore , & non adæque in cretâ , æsculo , vel tilia faciebat ? ( E ) Et si abduc viliorem materiam obnulisses , secisset , quale ex illa

*illâ fieri optimum potest. Sic sapiens virtutem in divitius, si licebit, explicabit; si minus, in exilio. Quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illâ memorabile faciet. Ita est. Virtus suis ad Insulas Beatorum, & pariter ad Deserta miserorum, socia vadit: & ubique ipsa in illis; & illi in ipsâ prodigia faciunt. Quodsi tamen fateri verum volumus, ista alterius cuiusdam modi ac operis venustatem, & pretium habent: dum eos illa docet mentem ad tam sublimes cogitationes attollere, ad quas aut nunquam, aut perrard felices pertingunt.*

Maximo suo bono Philippus Macedonum Rex, & M. Alexandri pater, quondam ceciderat: & seu pulvis, seu lutum id fuerit, ubi eum lapsus ille, ad mensuram corporis, in solo extenderat; postquam à suis sublevatus est, convertit se: & formam sui attentè contemplatus, haud aliter, quam si Rex quidem cecidisset, Philosophus autem surrexisset; id, quod nunquam in Regali sellâ positus intellexerat, nunc se ostendit profundissimè penetrasle, in luto prostratus. Itaque ad suos, tanquam deterso errore, aspiciens, exclamavit,

(F) *Di boni! universum Orbem expetimus, tam exigua terrae portione nobis tributâ. Subsistamus hîc paullum: namq; iste hominis est quidam typus, qui nobis philosophandi campum aperit, si non cum summâ ingenij subtilitate, certè cum multò majore utilitate, si inde mensuram Animi magni deprehenderimus, quam dûm*

(G) *Pyr-*

(G) Pythagoras ex vestigio Herculis, in Olympicis Stadijs impresso, per regulas proportionum, totam corporis illius Herois positaram invenit. O bonam ruiam, quæ animum ad tam proficuae veritatis notitiam susollit! cuius auxilio, videte quæso, quantum falsæ miseriæ, & veri doloris pondus, animo calamitate oppressio detrahatur. Nos, nos uni miseriæ nostræ fabri sumus: qui putamus, illas felicitatis nostræ partes substantiales esse, quæ cupiditatis nostræ superfluitates sunt. ex quo evenit, ut cùm illa nobis vel ex toto, vel parte adimuntur, ncs inter miseros numeremus. Percontamini ex animo habendi avido; & videbitis, nec modum, nec mensuram in illius votis inesse: jāmque pro miseriâ censi, ubi quid non habet, quod vult; aut ubi quid eorum, quæ habuit, amisit. Postea vero natum interrogate: ista tam paucis contenta est, ut infinitos in omni vita conditione repetero, qui licet in omni bonorum genere ne miliesimam quidem partem eorum possideant, quæ vobis adhuc reliqua sunt, tamen cum illo modico elut semibeati, gaudio exultant ubi vos in mediâ abundantia, tanquam miseri ac deserti, lamentis insordescitis. Ita nempe fit: non qui plus habet, ille contentus est; sed qui minus appetit. imò copia est, quæ miseros facit. quippe (novum, & dictu incredibile, sed compertu nimis certum vulgatumque miraculum) quò plus devoratum est, gravior incre-

Kk

scis

scit fames ; ed quodd ex ipsâ rerum adeptione, etiam non adeptorum desideria existunt : (H) *& qualem dicimus esse seriem causarum, ex quibus neditur Fatum, talem & Cupidatum ; altera ex fine alterius nascitur.* An non igitur rem egregiam præstiterit, qui sibi quandam putatitarum misericiarum infinitatem præciderit, quando de suo casu intelliget, quænam justa magnitudinis suæ mensura sit ? atque illius rei jacturam, quâ tantopere excruciamur, non aliter in beneficio putet, quâm si quis ipsi prælongam vesterem, quæ inter deambulandum impedimento erat, & periculo, pauxillò breviorem fecisset ?

Nec sanè deessent homines maximo animo & sensu, qui de suis ruinis in omni misericiarum genere, sublimiter omnino secum ratiocinabatur. Ingressi in Desertum longarum, cruciabilium, & alijs intolerabilium ærumnarum, noverunt ibi non solum patientiam, sed etiam delicias reperire : sicut Seneca octennio in Corsicam relegatus ; ubi super exilio suo librum conscripsit, incertum magisne utilem, an ingeniosum : quem cum maximè, ut meritur, laudaveris, cùm dices Senecæ partum esse. Placet tamen unum duntaxat pro omnibus nominare, Agrippinum Philosophum : (I) qui, ut Epictetus de eo memorabat, quæcumque in eum calamitas cecidisset, sicut fossores auri intra cava sua se se defodiunt, ita ille ipsamet sua mala scrutabatur, si quid boni posset

set eruere , ad animum sibi magis locupletem ac beatum faciendum : tantamque eorum bonorum copiam inveniebat , ut de singulis , etiam gravissimis misterijs , eximias panagyres commentaretur . ita de paupertate , exilio , & ( quacunque demum horâ illa advenisset ) de morte perorabat .

Atque istud demum est ; in Deserto , per quod itur , non nisi pedes , hoc est . partem nostri infimam vilissimamque habere . oculis , cogitatione , mente ad stellas erectis : dum se animus earum veritatum aliquâ gubernat ; quæ non minus fideliter ducent , quam potenter ad tantam generosi spiritus sublimitatem extollunt , ad quam vel non pertingat ullus dolor ; vel ita depuratus & levis , ut sensu propriodemum percipi non possit . Aliter profecto , quam Lucanus fabulando voluit Pompeij animam stellis inserere , quando illi Achillas , hoc solo latrocinio notus , caput à corpore resecarat . quippe sero nimis eum facit ex æthere oculos ad terram declinantem ; videntem ibi , & deridentem eas injurias , quæ in eius infastum corpus exercebantur . Evolavit , ait ille . Magni illius animus ad cælum , ubi communis est Heroum mansio sub lunæ circulo : unde conversis deorsum ad nos oculis .

( K ) V idit , quantâ sub nocte lateret

*Nostra dies : R I S I T Q V E S V I L V D I B R I A  
T R V N C I .*

Forte autem mihi dicent , metantum polcen-  
do ,

K k a

do, nimis multum exposcere: ut quis lunæ in morem faciat: quæ, si quando in umbram Terræ incurrit, ac deficit, quamvis luce orba, incedit tamen, nullo ab orbita suâ exerrandi periculo: sed rectâ aduersus solem pergit procurrere; perinde ut antè faciebat, quando plena luminis erat. & quasi alter sol, nempe nocturnus. ut instar tragediorum agat in theatro: qui longè ab omni doloris sensu, aut infelicitatis opinione, ornatum ac personam commutant, prout chorago visum erit, qui singulis suas partes divisorat: unde fit, ut qui paulò antè in purpurâ & coronâ, cum sceptro, Majestate, & comitatu aulæ velut Rex comparuerat; post paucas scenas in habitu mendicî prodeat, solus omnino, & centonatus; aut etiam sub servi formâ, cum catenâ in pede, & stigmate in fronte, miseræ servitutis indelebili sigillo. Verum quod ad id attinet, ut quâvis forte contenti simus, id sanè Epictetus aureis illis verbis imperat: (*L*) *Memento, Adorem te esse fabula, quamcunque is velit, qui docet: si brevem, brevis; si longam, longa.* Si mendacium agere velit, & tunc ingens age: si claudum, si principem, si privatum. Ad te enim pertinet, datam tibi personam bene agere; eligere, ad alium. Ita sine aliâ, quam propriæ mentis philosophiâ, egit generosa illa Sisigambis: quæ ex Reginâ & matre Darij, facta Alexandri ancilla, professa est., (*M*) sepius se cogitare captivam esse, quam Reginam fuisse. Denique ut cor, sicut Adrianus. (*N*) caput lucum,

um , vel ad nullum incommodi sensum , vel omnis incommodi patientiam , assuefactum habeant : qui juxta sub ardentissimis Ægypti solibus , ac sub frigidissimis septentrionum nivibus , adduci nunquam petuit , ut vertice operto esset . Atenim eiusmodi cor in perpetuâ quâdam fortunæ varietate , non magis per extrema adversorum casuum agitatus , quâma semper magnanimus , R. ille Mithridates , habuit ; (O) aliquando fortunâ , semper animo maximus .

Quod si vero tantum exigere , nimium esse videbitur , utar eâ in miseros indulgentiâ , ut ijs indolere sibi , & flere permittam ; dummodo intra Convenientis & moderati terminos : *Lamentationes* , ( (P) Seneca ab exilio ad Helviam scripsit ) & ululatus , & alia , per quæ fere muliebris dolor tumultuatur , amove . Nolite esse ( & utar ad hoc figurâ , quam Dantes alio in negotio adhibuit )

Ut viridis stipes , qui partem tostus in unam Fumigat , & stridulo lacrimam de cortice fundit :

Ne vestri causâ antiquam illam Lyciorum legem renovare opus sit : (Q) qui ad moderandam suorum in adversis lugendi intemperantiam , ceu parum virilem , decreverant , ut quisquis acerbitate malorum victus luctum pararet , id non nisi muliebrem indutus stolidam perageret : ut deformitate cultus commoti , maturius stultum proiscere macorem velint .

Quamvis igitur vobis quam verissimè dictum illud competenteret, quod ad explicandam miseriariū suarum magnitudinem Diogenes usurpabat; (*R*) *imprecatio*nēs tragicas, inquiens, *sibi occurrisse*; hoc est, dies obscuros, noctes inquietas esse; intus fāthēm, extus nuditatem; desuper Jovem tonantem, infrā sterilitatem dominari: vel ignotum, vel à suis contemtum, patriā se egere & domo, nullo receptu, totius mundi exulem, peregrinabundum, erronem, mendicū; qui & fugiat, & fugiatur: denique & mortem, ed solum, quod effictim sibi in votis sit, impendiō negari; non tamen supra modum excruciarī vos velim: sed eam moderaminis legem præscribo, quam Rom. Philosophus vobis tradit. & sanè si quæ ulla est, ea est quam maximè universalis ac solida: (*S*) est aliquis, ait ipse, *ET DOLENTI DECOR.* *Hic sapienti servandus est.* Quantum ætati, gradui, vitæ conditioni, lugentis qualitati, denique mali magnitudini convenit, dēdecere non potest: quin imo apud prudentes, & rerum pretia sapienter pensitantes, nescio quid mirificæ venustatis habet: eius omnino modi, quæ in actionibus scenicis relucet, ex decoro factis; tunc quidem rarer ac difficilior, sed siccirco etiam laudabilior, quando causa subest animi immoderantiū concitandi: & indifflando pectoris æstu id, quod perturbationis est impetus, videtur remedium naturæ esse.

Cuius rei in exemplum capiamus sanè par-

no-

nobile hominum : quorum unum Poësis ; alterum Historia nobis considerandum proponit ; de industriâ & sexu , & conditione diversos ; hoc est , illam quidem Virginem simplicem ; istum autem Virum , & Philosophiæ , & belli artibus perinde inclytum : in illâ decentissimum quendam timorem crudelis , & jam imminentis lethi ; in isto dolorem de irreparabili malo , jam præsente . Uterque autem cum tantâ perfectione leges Decori servabunt , ut vel meritopares sint ; vel si quæ erit differentia , ea duntaxat erit , quod veritas figmento superior sit futura . Et quantuni est de Poëticâ Virgine ; videtur Manilius (cuius illa inventio & labor est) cùm eius effigiem commentaretur , non tam intendisse Andromedam depingere , catenis ad scopulum diligatam , & in momenta horribile monstrum de marinis fluctibus præstolantem , cùius unguibus dentibusque in escam lacerata , etiam humanâ sepulturâ careret ; quam mentem , in præsentis quidem periculi contemplatione defixam ; ita tamen affectibus bellè compositis , ac seipsâ superiorem , ut ne gestum quidem unicum notari in se sinat minus condecorantem , qui que eam deformet , & non potius ultra omnem comparationem magis pulcram venustamque efficiat : Ita ut illud non tam poëticum figmentum , quam moralis Philosophiæ documentum credi possit .

(T) At simul infesti ventum est ad litera ponti,

Kk 4

Mol-

§ 20    *XXIV. Liby'a Deserta.*

*Mollia per duras panduntur brachia cautes.*

*Adstrinxere pedes scopulis, iniectaque vincla,*

*Et cruce Virgineâ moritura puella pependit.*

*Servatur tamen in pñâ vultusque, pudorque;*

*S V P P L I C I A   I P S A   D O C E N T.*

Ita nempe potest dolor intra fines modosque cohiberi; & præcisis illis ad insaniam usque, aut animæ defectionem, desperabundè lamentantium deformitatibus, alia ei gratia, vultus, actio indui: ita ut plus generositatis in afflita anima appareat, quam doloris: in eam omnino formam, quam de bellissima suâ sponsâ, Gallici generis puellâ defunctâ, Italus Poëta cecinit:

Dulcis in Idalijs errabat somnus ocellis,

Ultima quem stulti fata, necemq; vocant.

Verum est; illam animus reliquerat. At tamen ipsa

Mors, in tam pulcrâ bella fuit facie.

Jam autem & ad alterum quoque veniamus; possitne aut virtus cum majore animi moderatione, aut Decorî venustas cum ampliore gratiâ, in maximo ac justo dolore expectari, quam Xenophon ostenderit, vir bello ac pace, armis & literarum studijs clarissimus; cum de morte filij, in acie perempti, funestissimum nuntium intellexit? (V) Stabat jam senex pater ad aram facturus, cum victimâ in manu; quando accepto tam inexpectato nuntio, Sacrificium de manu aræ imposuit, & aliquamdiu immotus, ac in seipsum collectus, silensque

que substitit, velut secum ipso in re tam acerbâ ratiocinaturus. tum succussis leviter humeris, non aliud paterno dolori indulxit, quâm ut capiti coronam detraheret, placidêque ad altaris pedem deponeret. Interim qui hoc nuntiârat, mille laudibus Juvenem extollere: eius in certamine robur ac fortitudine in prædicare; quâm multos hostium ille Orco ferox demiserit, priusquam occisorum cumulis, & circumfuso sanguini viator super incubuisset. Id ubi senex audivit, vultu serenum renidente coronam reprehendit: & inter generosissimi sensûs dicta, denuo capiti imposuit, sacrificiûmque absolvit. Nulla scena etiam ingeniosissima, quamvis multo cum studio meditaretur affectuum, & actionum humanarum specimen proponere, posset virum quempiam, cum majore Decori observantiâ dolentem effingere, quâm res ipsa atque veritas in Xenophonte exhibuit, dignissimè Socratis discipulo; patrem, senem, repentinô, & gravissimo, quâm in hominem evenire ferme possit, casu obrutum. quis enim addendo, aut demendo, formam magis concinnam invenerit, ad exprimendas primas, id est q; fortissimas tantæ ægritudinis incursiones?

Succurrit mihi nunc illud celeberrimi Romanorum Oratoris encomium: ) (X) qui plurimum in decoro corporis motu repositum credens, pene plus studii in eodem elaborando, quâm in ipsâ eloquentiâ affectandâ impendit. Itaque nescires, utrum cupidius

*ad audiendum eum, an ad spectandum concuereretur: sic  
verbis, Oratoris aspectus; & rursus aspectu verba ser-  
viebant. Et sane singularis artis est (imò obsti-  
natissimæ industriæ studiique) ex decoro to-  
tum corpus, vultum, oculos, omnem gestum  
motumque, tam concinnè ad dictiōnēm ad-  
aptare, ut id ipsum quod auris audit, videant  
oculi: quod propemodum idem est, ac effice-  
re, ut etiam surdi, duntaxat videndo, totum  
intelligant. quem in finem quis non videt o-  
pus esse, ut idem homo continuò in aliū at-  
que aliū se transmutet; & ad omnem etiam  
diversum, aut contrarium affectū, mentis  
suæ propensiones configuret, celerrimā, sed  
hēm, quād diffīcili metamorphosi? Inter mille  
omnis generis Oratores, prodigio vicinum erit  
vel duos reperire, qui ad hanc laudē proceſſe-  
rint, ut in vili materiā non ad comicos, in affe-  
ctuosā non ad histriones deflestant: id quod  
tantò peius est, quād inconcinnè rusticēque  
agere, quantò simiæ bubus deformiores sunt.  
Quod si tam arduum ac laboriosum est, Deco-  
rē imitari velle, quid demum erit, quidpiam  
ita ex verò agere? Et si hoc per quam pauco-  
rum est, & non nisi longo studio, meditatāque  
exercitatione acquiritur; quā ratione id sibi  
jam quivis ausit promittere, nullo etiam in  
perdomandis, & ad rationis obedientiam af-  
suefaciendis animi perturbationibus, labore  
impenso; cùm tamen ratio sola sciat, quan-  
tum, & quomodo quidvis juxta Decori leges  
sit*

**sit factitandum? Qui tamen auxilio generosæ  
constantiae eò demum pertinget, illi profecto,  
ut alibi ostendemus, etiam subiti casus pro ex-  
pectatis advenient.**

Quare, ne aut viam, aut nos ipsos, per se-  
rumnarum, quæ in humanâ vita multæ ma-  
ximæque occurrunt, solitudinem circumva-  
gando amittamus, non parum proderit, quod  
initio admonui, oculos ad cælum attollere,  
stellas pro ducibus capere; id est, illarum ve-  
ritatum luce se gubernare, quas longè cla-  
rissimas fidelissimásque sibi resplendere sen-  
tiet, quisquis oculos in Rationem defiget.  
Ita de nobis perquam congruenter poterit  
intelligi, quod poëta de viatoribus scripsit,  
per deserta Africæ ac Libyæ iter facienti-  
bus; (r)

*Iamque iter omne latet: nec sunt discrimina terra  
Villa, nisi ætheria, medio velut æquore, flammæ:  
SIDERIBVS NOVERE VIAM.*

A. Lucan. l. 9. B. Solin. c. 30. C. Lucan. ibid. D.  
Solin. sup. E. Sen. ep. 85. F. Plutar. de exilio. G. Aus.  
Gell. l. 1. c. 1. H. Sen. epist. 19. I. Stobæ. serm. 48. K.  
lib. 9. init. L. Enchirid. part 1. c. 22. M. Q. Curt. l. 5.  
N. Xiphil. in Adri. O. Vell. Patrc. l. 2. P. Consol. ad  
Helvi. c. 3. Q. Val. Max. l. 2. c. 1. R. Plutar. Consol. ad  
Apoll. S. Laert. in Diog. T. Sen. ep. 99. V. Astron.  
l. 5. X. Plut. cons. ad Apoll. Y. V. Max. l. 8. c. 10. Z.  
Lucan. lib. 9.

A N T I C Y R A.  
SAPIENS COMMONITIO TEM-  
PORI ADHIBITA, EX FA-  
TUO SAPIENTEM FACIT.

**A**D hunc portum & Emporium, facilè unum de celebrioribus Græciæ civitatibus, non idcirco vos perduxí, quod vel infinitas opes, vel superba palatia, aut geminos populos monstrare vobis possim, unum ex statuis, alterum ex hominibus; & illos quidem præ iustis pretiosiores: talium enim prodigiorum, si quæ vobis videndorum cupido insedit, non procul Corinthum habetis, & paucas leutas ulterius etiam Athenas, ubi explere abunde hæc vota poteritis. Hæc porro, quam intamus, urbs Anticyra est; diversissimâ, sed incomparabili præfusa prærogativâ nobilis; quod Universi mundi Valetudinarium est: sotque miracula facit, quot infirmos censet. Namque illa tam universalis, tam magna, & in paucis curabilis ægritudo vitiati Cerebri, infallibilem hic reperit medicinam. Circumferte pauxillum oculos: quotquot peregrinas naves in hoc portu adspicitis, proris ad terram conversis fundatas, aliæ ab Africa, aliæ ex remotissimis Europæ Asiaque regnis accessere; non alterius mercimonij gratiâ, quam quod utique pretiosissimum est, Judicij. Et quos ibi raptari in catenis videtis, furiosos, infa-

fanientes, rabidos; ac item alios illos, paulo  
mitius habitos, proprijs quidem pedibus ince-  
dere; sed hunc pueriliter nugari, hunc sidera-  
ti in mōrem stupere, illum secum ipso dispu-  
tare, cantare alium, alium obmutelcere; om-  
nes fatuos esse; eosdem post duas hebdomades  
videre possetis capite iterum cerebri pleno;  
cuius id prioribus nunc prorsus inane est, al-  
teris magnā ex parte vacuum. Quare Italus  
ille Poëta, qui sibi Equitem super dorsum ala-  
ti gryphis ad cælum Lunæ evehendum sum-  
psit, ut inter infinitas ampullulas illam repe-  
riret, in quā Herois sui infatuati mens ac sen-  
sus, sub arctâ sigilli custodiâ servabatur; lon-  
gè expeditius (nisi quodd Poëtæ semper levis-  
simè volant per aëra) eum Anticyram perdu-  
xisset, herum extemplo sanum habiturus: idq;  
vi saluberrimâ naturalis cuiusdam magiæ,  
in unâ tantùm dosi hellebore comprehensâ:  
cui tantùm virium inest, ut homines sibi ipsis  
restituat, qui in tot aliarum naturarum spe-  
cies erant transformati, quot stultitarum clas-  
ses sunt, quæ illos perversæ imaginationis vio-  
lente ludibrio, & mente deturbat, & seipso facit credere, aut vitro, aut aëre constare, aut  
florem esse, aut urceum; hunc testudineum,  
aut volucrem; illum jam fato functum, & ca-  
pitis minutum: nullum tamen videas, qui se  
putet cerebri esse inopem. atque id necessa-  
riò quidem; quando id iij. solum de se luspican-  
tur, qui cerebrum habent, & quandoque per-  
abunde.

Vc-

Vérumtamen scire vos velim, helleborum non de eo herbarum genere esse, quas plenis vorare buccis liceat; sive album sit, ex monte Aetha; sive nigrum, quod ab Helicone & Parnasso laudatissimum venit; fœcundioribus hellebore ad purganda stultorum capita, quam ad coronanda Poëtarum tempora. Præparare id autem ex artis Regulis oportet: quam sanè scholas omnes alias Anticyra, velut Magistra antecellit. Adhæc obseruant, ne cuiquam cælo nubilo præbeatur; secus medicinam potius in venenum transire compertum habent. neque nisi stomacho prius saltē per septendium expurgato. nec dementibus album propinant; quod tetræ illæ nigrantis pituitæ fuligines, ad nigrum duntaxat, ob quandam similitudinem adhærescunt. neque in tam modicâ massulâ, quæ conturbare soluimodo malum, & angores pectoris ciere, non expellere pestem, & sanare ægrum possit: (*A*) cum celerius erumpat, quò largius sumitur. Unde Erophilus, medicinæ rates, ut illum Historicus appellavit, helleboruni Imperatori comparare solebat: qui ad depopulandam Urbem ingressus, ubi tantum compilavit, quantum voluit, idemmet prior egreditur, in vestigio totâ eum prædâ iubilente.

Denique non magnopere ea res anxiosam bere debet, ubi Convulsiones, deliquia, angores cordis, furores, variaque symptomata succedere advertebis, ad quæ robustissimum dicimus

dicinæ virtus hostem suum , (B) MAGNO TERRORE FAMÆ quasi adigit. Namque hæc ipsa indicio sunt, illam cum inimico consertis manibus in arctum certamen descendisse: unde quod periculosior & atrocior pugna fuetur, cù celerior gloriòsiorq; victoria subsequetur.

Atenim quâ morum utilitate hæc non parca, de naturâ & proprietatibus Hellebori, enarratio? videamus, si in istis illas ostenderemus valebo, quas salubris Admonitio habet, si prudenter, sive (ut artis vocabulo utar) Canonicè fuerit adhibita: non minus illis auxiliatura, qui cordis intemperie dementantur, quâm Helleborum illis medeatur, qui cerebri morbis laborant. Neque mirabile vobis videatur, quod ægritudines inter se æquiparavi. Nam si Philosophus Jamblicus (C) jure potuit syllogismum nomine Hellebori vocitare, quod illo Dialectica, mentium expertissima medicatrix, eas ab erroribus repurget, conceptus animi tam pravè pervertentibus, ut dum Philosophari volunt, quâm pessimè desipient quanto potius id ipsum mihi, respetu mentis concedendum est, quam bona prudensque admonitio mille erroribus, & morum vitiosis redundantijs evacuat? quas nempe tot illæ stultitiae generabant, quot utriusque appetitonis concitationes sunt, quarum effrænatis motibus aut penitus, aut magnopere turbatur, ne vel sentiat, vel agat, uti hominem condeceret. Hinc enim exilit, ut fatuorum

orum instar ac stupidorum, quæ minime  
convenit, proloquantur: per falsa imagi-  
menta delirantes, pæne ad phrenesin ex-  
descant: amoris vehementiā non perfunc-  
tiè stultescant: irâ propemodum usque ad  
biem inflammentur; cupiditatum immo-  
rantiā haud obscurè desipiant; in rebus fa-  
tis infantiliter prorsus exultent; ad summam,  
tani multa pro insano faciant, quam multa  
præter normam rationis.

Multo tempore, & pari patientia opus es-  
set, si totum moralium medicorum, de cu-  
randis animi morbis disputantium Collegi-  
um, viritim audire vellemus. qui, cùm omnes  
eius valetudines, vitio prædominantis alicu-  
jus insolentis perturbationis, in alterutro ap-  
petitu oriri dicant, easdem reducunt ad cor-  
ruptæ mentis delirium, ad intelligentiæ de-  
ceptæ errorem, ad puram putam stultitiam:  
tantæ etiam inter naturalia & moralia sym-  
ptomata similitudine vel parilitate, ut Sené-  
ca vobis audeat in unam manum robusti cha-  
lybis compedes porrigeret, in alteram nigri  
Hellebore poculum, in Anticyra præparati;  
producturus extemplo illinc hominem phy-  
co furore percitum, hinc alium gravi iracun-  
diæ correptum: certoque sibi pollicetur, fore  
ut spectato externo habitu, facie, sermone, ac  
gestis, dijudicare non possitis, utri eorum, ve-  
lut desperato & incurabili, catena debet attiri;  
utri credi possit, haud dubiè posse cerebrum  
belle-

helleborò reconciliari Audiamus illum : & quia paulò longiusculum sermonem meditatur, quò ab omnibus intelligatur, euge mutuum ei præstabo lingua mea obsequium. Sic igitur infit : Reputate mecum animis, an quem ira cepit, & quem dementia invasit, in aliquo sint dissimiles : & utriusque mores atque habitudines inter se diligenter conferte. Quippe qui physico malo furunt, tam certa sui morbi produnt indicia, ut nemo eos videat, quin cognoscat : ferox ijs & minax aspectus, frons truculenta, oculi & tristitia turbidi, & ira obliquum ciente tumidi; incessus quoque præceps & varius; tum brachiorum agitatio; ipse color non unus, atque stabilis & demum frequentes, & ab alto subducti antelitus, oppressæ animæ & languentis testes.

Idem omnino irati habitus, eadem figura. Oculi ardentes, ac propediem scintillas vibranti: vultus calore sanguinis, imo de pectoris bullientis, ceu flammâ subjectâ, rubeus: labra incertum cur trementia, loquine nesciant, an non possint: os, etiam clavis dentibus, aliquid non sine stridore rodens; seu iram, seu hostem, in quem fremit? ipsa capillatura atrociter inhorrezens: spiritus sepe interclusus, & vacillans; semper tamen contentior, & velet ab camino fumans: multa membrorum contorsio; manuum præsertim, usque ad articulorum crepitum, resupina contritio: pro sermone mugitus, aut dimidiatae voces, perpetuis

petuis gemitibus interceptæ : tum & palmas  
videbitur sonorè complodere ; & humum  
pede ferire ; totâque corporis agitatione mi-  
nas furiâsque portendere : ad summam ; spe-  
ctaculum de se præbere adæquè horribile , ac  
visu deformem neque facilè forsan dixerim , ma-  
gisne monstrifica sit talis vitij species , quæ in-  
tus est , an quæ extrâ appareat . Ita ille de eo vi-  
tio quod plurium antiquorum phrasî , (D) bre-  
vem *Insaniam* appellavit : brevem fortè in com-  
paratione perpetuæ ; de reliquo , me hercle ,  
sanatu perdifficilem : ita quidem , ut ipsemet  
putârit , eius curationem non minùs quam no-  
naginta & quinque sumptionibus Hellebori  
curari posse , quot nempe ille capita tribus suis  
libris *de Ira ad Novatum* , complexus fuit : in qui-  
bus Naturam , Principia , Effectus , & Indicia  
huius moralis stultitiae descriptsit ; ac simul to-  
tum artificium usumque philosophicæ suæ  
medicinae exposuit . Nunc autem , ut id quo-  
que referamus , quemadmodum Admonitio  
utiliter fieri debeat , aio , me eam etiam propte-  
rea Helleboro comparâsse , quod eadem con-  
ditiones ac leges , quas illud dementiaæ anti-  
dotum exigit , etiam in hoc universalí prava-  
rum concitationum , & ad stultè operandum  
nos trahentium , Alexipharmaco observan-  
dæ videantur . dum verò id ostendo , stabo pro-  
missis : neque in Concionatorum fines intra-  
bo , qui de Corrigendo fratre . Autoribus alijs  
utuantur , & testimonij , & stilo .

Primus

Primo autem illud est animadvertisendum, non omni ægritudini convenire Helleborum; uti Stoicus submonet: (*E*) *insanire omnes stultos dicimus; nec tamen omnes curamus Helleboro.* ita pariter non ad omnem minimum errorem adhibenda est Admonitio. quid enim aliud est, aliquis frontem ad verecundiæ ruborem, qui admonendo prolicitur, aussuefacere, quam illum effrontem reddere: & tam iterato verecundiæ remedio illic demum perducere, ut vel non erubescat amplius, vel ruborem non sentiat? sicut in remigium turbâ nulli insolentiores sunt, quam illa mancipia, quibus dorsum ab quotidianâ fustigatione incalluit. Ita Princeps medicorum Augusti Imperatoris, Cornelius Celsus annotavit; (*F*) cendum, ne unquam stomachus medicinis asfueret: neque ipsâ frequentatione natura eas sibi tam familiares redderet, ut ex remedio transeant in cibum: & quæ prius sine necessitate usurpabantur postea etiam, cum necessariæ sunt, nihil adjuvent. Quippeni; si denique plenis phialis mortalissimum toxicum ingurgitatur? uti eius rei in se periculum fecit, suo quidem bono, quamdiu vivere voluit; pari autem malo, cum perire maluisset, Mithridates ille, non minor medicus, quam maximus Rex: jam usque à crepundijs ed asfueratus, ut teste Gellio, (*G*) *ultra, & ostendandi gratiâ, venenum rapidum & velox sæpenumerò causerit; atque id tamen sine noxa.* Unde cum de-

mum jam senex, post tantas victorias devictus, profligatus, & in fugam conjectus, quām posset, longissimè se Pompeio properaret subducere; jāmque desperatā omni aliā evadendi viā, mori decrevisset, & venena violentissima festinanda necis gratiā frustra expertus esset, suo se ipse gladio transegit. Tantundem de Correptione oportet existimare. Cūm necessitas urget, adhibenda est: extra eum casum si usurpare illam consueveritis, verissimum esse sentietis axioma illud; *ab assuetis non fit passio*. Sæpe satis fuerit obliquo oculo percussisse: & tacendo illud dicere, quod Neptunus Ventis;

*Quos ego! Sed metos prestat componere studium.*

Alias notitiae quædam signa dare: frequentius ne quidem ostendere, te quid scire: sed eorum more, qui ferali rogo, in quo defunctus comburendus erat, ignem subiiciebant; manum quidem ad mœstissimæ pietatis obsequium extendere, vultum autem in contrariam partem avertere: sicut qui dicit, se non esse illum, qui id facit, quod non videt. Certè nonnunquam tonitru sufficiet, sed inerme, & quod non aliud faciat, nisi paululum contremiscere. Nam vetustissimorum Augurum Tuscorum Doctrinā tradebatur, Iovem fulminibus manum non admovere, nec ea cuiusquam damno excutere, nisi prius duodecim Deūm maiorum Senatu habito, & rogatis sententiis.

*Atq; hoc iis dictum volo, qui mirificè aliorum*

sum bonitatis procurandæ solliciti, retamen  
 verâ magis eam desiderantes, quâm pruden-  
 ter procurare scientes, ubique necessitatem  
 prætendunt: ita scilicet minima quæque res,  
 speciem aliquam mali habens, iis sufficit, uti  
 confessim ad Helleborum Admonitionis cur-  
 rant; idque neutiquam avaro pondere pre-  
 beant. Sed quia hoc non magis virtus est,  
 quam vitium animi, nimis plus calentis; (*H*)  
*ex prærapidâ celeritate apparet, illos non ire, sed proiici;*  
 uti Stoicus de illis fatuis ignibus dixit, quos  
 stellas cadentes appellamus. Et si huius isto-  
 rum ( vocemus sanè ita ) instinctus officium,  
 tribus expressum vocibus ( ad quod aliâs mil-  
 le non sufficerent ) placet cognoscere, eas no-  
 bis Plinius mutuas concedet, eo loco usurpa-  
 tas, quo Myricæ, silvestris plantulæ naturam,  
 vires, & qualitates depromit; *eam (I) scopis*  
*tanum natam esse pronuntians.* Ita isti viden-  
 tur toti ad hoc facti, nec aliud scire aut posse,  
 quâm omnia ab sordibus munda servare. Ec-  
 quamquam unus de maioribus Herculis la-  
 boribus fuerit, ideóq; tantum semel Heroi isti  
 imperatus, Augiæ stabulum, non sanè maxi-  
 mum, repurgare; istis lubido subit, immen-  
 sum illud, quod universus mundus est;  
 & ob tantam bestiarum intus stabulantium  
 multitudinem, omnis generis spurcitarum  
 plenissimum, ad eam munditiem concinnare,  
 quam ne speculorum lævor atque puritas et-  
 quaret. Verum quantumvis per omnia sco-

pæ sint, ad istud tamen gradissimum nūtūte nihil omnino servint. Quia enim eorum desiderium ita semper integrum manet & insatiable, ut ei satisfieri nunquam possit; ubi vel in pauculas feces, quidpiam vitij olentes incurruunt, cum tantâ linguae asperitate, & virium contentionē in illum, in quo id labis deprehenditur, irruunt & incumbunt, quæ vix toti mundo repurgando deberet impendi: tam robuste illum defricant, tanique crudè perpoliunt, ut miserculus totus pudore perinde ac sanguine perfundatur.

Et ecce, dum hæc ego proloquor, unus istorum in publicum proruit, Philosophus Menedemus; sed alio prorsus habitu, quam Philosophi; immo ne hominis quidem figuram induitus. (K) Solebat ille, quam posset maximè, in similitudinem Furiæ se convestire. itaque caput pro crinibus, implexarum inter se hydrarum cumulo obvolutebatur: nigerrima horrebat facies, & inquinati cruento oculi; ex humeris grandes volabant alæ: par nudo corpori habitus, squamis hirtus; & ocularibus maculis, qualibus draconum picta corpora visuntur, interstinctus: in pectore grandis flammæ species emicabat; ardens dexteram facula armabat. & quod per omnia posset Furia credi, jam nec animum in illo furiale defideres: ita rabidos voluntare oculorum orbes, insanum agitare caput, furiosum stridere dentibus, rapi potius quam ire, & in quamcumque

qui liberet, domum incur sare, ex Inferno se  
venire vociferans, ab Judicu m ternario mis-  
sum, cum potestate & officio publici peccan-  
tium admonitoris ; quodsi à sceleribus non  
desisterent, etiam accusatoris futuri. Hæc ubi  
in unis ædibus declamitârat, mox iterabat in  
alijs, donec eo labore fractus, aut raucedine  
prohibitus, ne fastidiosissimam continuaret  
comoediam, ad scholam suam revolabat, splen-  
dido blandimento sibi ipsi os, animûmque ob-  
linens ; nunc scilicet toti Eretria, ubi scholam  
aperuerat, primæ notæ Helleborum se insu-  
disse, & uno die urbem virtute philosophicæ  
suæ stultitiæ, ad prudentiam reduxisse. Ve-  
rū longe aliud plerûmque con sequebatur ;  
nempe ut omnes Philosophiam pro furore a-  
nimæ, Menedemum verò præfano haberent,  
Interea tamen, si verum. Iudum est, erat  
ille in suo genere stultitiæ, adhuc centies pro-  
babilior, quam in suo, prorsus contrario, He-  
raclitus : qui dies ac noctes aliud facere non  
sciebat, quam alienis erroribus dolentissimè  
illa erimari, homo, (ut & bona eius, pariter ac  
mala profiteamur) Senecæ quidem sententiâ,  
(L) miti animo, sed imbecillo. Quia namque incu-  
rabilem illorum arbitrabatur dementiam,  
quibus nihil remedij alterius, præter animi  
cruciabilem ægrimoniam impendebat, profe-  
so & ipse inter deplorandos erat. Quantumcun-  
que aliquis ferociat, indomabilis & bestialis  
appareat, neutquam tamen pro desperato ha-

bendus est. Adhuc restat Anticyra: tibi seu de-  
lo, seu violentia dosin unam Hellebori aeger  
acceperit, poterit ad sanitatem restitu. Id ex  
scipio Philosophus Polemon testabitur, cui per  
omnia vitiorum & impuritatum genera, ne-  
que prius forte, neque postea multis annis pa-  
rem Græcia habuit: ebrius adhæc eo ipso die,  
quo floribus redimitus, & delicijs omnibus  
emolitus, scholam Xenocratis intravit, non  
aliud, nisi sapientiam optimi Senis delusurus.  
Id si Heraclito evenisset, in quæ non ille lamen-  
ta & planctus prorupisset? nec utique in  
minores risus & ludibria Polemon. Atenim  
nunc totum aliud & Xenocrates dixit, & Po-  
lemon fecit. (M) Ille à questione, de quâ tunc  
disputabat, dexterrimè ad aliam, præfere-  
cessitati magis convenientem digressus pro-  
pit de honestatis pulchritudine, & impunitatis  
fœditate, copiosissimâ oratione, nikkii am-  
nus, quam sub monitoris vultu, gravissimum  
monitorum agere: simul Iste veluti musicâ in-  
cantatus, avidissimè illum & audire, & quan-  
tò amplius audivisset, tantò magis, etiam in-  
ad vertenter, transformari in alium. Igitur  
rejecto à vertice unacum stultitiâ, omni co-  
ronarum nemore, & à reliquo corpore caten-  
rà muliebris mundi pompâ, totus in animo  
fieri alias, atque novus; velut ex se ipso renas-  
sus; quamquam aded nunc ab se ipso dissimilis,  
quantum & melior. Ita nempe cùm intra-  
set fatuus, horæ unius spatio Philosophus  
vit;

wit; pari deinceps & virtutum, & etatis progressu: donec in eadem cathedra Magistro Doctor successit, non solum severissimam sed & gravissimam omnium sectar, quae tunc Athanas occupabant: atque hanc moram contemporatissimam harmoniam ita per omnem postea vitam conservavit, ut Xenocrates in Polemone renatus esse crederetur. Eant nunc Heracliti isti, pusillamines ac desperabundi: sequique ipsos maxime deplorent, velut aliorum bono planè inhabiles: dum Xenocrates quispiam facto ipso demonstrat, nullam fatuatem tam desperatam videri debere, quam Hellebori vis, seu prudens Admonitio, medicari non possit. Sequitur nunc, ut illa quoque præcepta proponamus, quæ servare oportet, ut ne medicina in venenum evadat.

Asclepiades, nescio an sincero animo ac prudenti, an potius ostentandi sui gratiâ pronuntiavit, hoc officium medici esse, (N) ut Tused, ut Celeriter, ut Iucundè curat. isto tamen textu melior est Celsi glossatio: *Id rotum est. nam ferè periculosa esse nimia & festinatio, & voluptas solet. Eumne medicum censeretis prudentem esse, an potius crudelem carnificem, qui misero infirmo, dum in summâ febris accensione totus extuat, ardet, furit, atque animo linquitur; refrigerandi cordis ergo, venam ferro aperire, & bullientis sanguinis vellet cyathum educere? latrocinantium ista pietas est: & tantundem id temporis brachium lanceolâ ferire, quam*

candem eius gutturi defigere ; juxta certissimum illum aphorismum : (O) si vehementis febris arget, in ipso imperio eius sanguinem matere, hominem ingulare est. EXPECTANDA REMISSIO. Jam quid aliud agit, qui in aliquem illatus, primo adhuc iræ fervore tumentem, qui, ut eum Seneca paulò antè descripsit, fumum ab ore, & scintillas ab oculis exhalat, scipsum manibus cædit, & vnguibus dilacerat, lymphato ore ardente proflat spiritum, spumat, & planè sui imposcet ; subito manum ad medicinam, id est, ad rubiginosæ simul & acutæ linguae tormentum admovet, & ineptissime prius arbitratur, se cum, cum reprehenderit, admouerit, coarguerit, mox ad pristinam animi tranquillitatem posse retrahere ? Aedepol, nihil unquam minus effecerit. Imò quid inde eventurum putatis ? Illud planissime, quod stulto illi, qui aquæ venam obturaturus, quam de humo videt subsultim ebullire, ora illa, salientesque fistulas, & undulantem in circuitos crystallum, pergeret velle palmis contundere : num hac ratione putatis, fonticulum tranquilliorem, & non multò amplius turbatum fore, excitatâ insuper naturalis cursus indignatiâ, quem injecta retardatio violentum fecit ? (P) Non tu erubescis, ajches quidam talis imprudens monitor Cleofratus, tunc forte ebrio, tam foedum de teipso spectaculum præbere ? Cui exemplo reponit Cleofratus: neque te pudet, tam insigne stu-

sticie

titiae tuæ specimen dare , qui ebrium corrige-  
re insistis? Verissime omnino: quandoquidem  
is , qui ebrius est, seu vino, seu cholera , aut  
aliâ quâcunque violentâ animi concitatione,  
non est ille ipse, qui prius fuerat, sed alius pla-  
nè homo; tamque ab seipso diversus, ut post-  
quam ad se redierit , veluti somno excussus,  
ad eorum, quæ fecit aut dixit, contuitum ob-  
stupescat ipsem et, nec sese agnoscat in illis.

Per hoc tamen non cogito asleverare, debe-  
re huiusmodi misellum furori impetuosarum  
passionum prorsus relinqui ; ne quidem, cum  
illæ in supremo ardoris gradu exæstuant. Imò,  
me Hercle , etiam tam difficulti tempore via  
est, quâ ad captandam utilitatem evadas; sci-  
licet divertendo turbati animum, ac longiu-  
sculè ab dementiâ abducendo ; veluti pisces  
lino aliquantum permisso, paulatim ducimus.  
Id certè medicina cum aliquibus morbis usur-  
pat , qui plus incensionis habent, & acuti vo-  
cantur: contra quos adeò nihil remedia primò  
proficiunt, ut non modò inde non mitigentur.  
sed etiam vehementius exasperentur. Igitur in  
eo tunc artis apex laborat, ut expertos navi-  
cularios imitetur: qui, cum irrefragabilis ven-  
torum glomus in eos incidit, omnes velorum  
sinus , magnos parvósque deiiciunt; submit-  
tunt antennas ; quin & malum ipsum ampu-  
tant , ac navem rectâ jubent turbinis viam in-  
sistere , nihil obluctantes , sed velut obsecun-  
dando se conservantes. At ubi furor ille Æo-  
lius

lius remiserit, tum verò omne licebit genus rationum proferatur, quibus non modò te ipsum tueāre, sed impugnando etiam debilitatum ægri animi impetum devincas. Ita planè (Q) nulla alia spes malis magnis est, quam ut impetum morbi trahendo, aliquis effugiat, porrigiturque in id tempus, quod curationi locum præstet. Id ipsum ergo artificium cum ijs usurpandum, qui præferoci aliquâ affectione, ceu tempestate oppressi sunt. Nam robur Rationis contra robur passionis velle componere, non plus ad salubritatem propositum, quam suavis cantus ad surdum aliquem leniter captandum; vel pulcrum spectaculum ad cæcum detinendum. Robusta enim passio quid nisi cæca, ac surda est? Potius id agendum, ut suaviter apprehensâ manu, à præcipitio, ad quod ruebat, jam unum, jam alterum passum seducta, cohibeatur. Interea ubi se ardor proflaverit, eat ille sanè in auras, id est, in vana futuri proposita; dum tamen nihil in præsens agatur. SIC EXPECT ANDA REMISSIO, donec bullitio illa considerit, locumque admonitioni indulserit: quam tunc geminâ vestrâ laude facietis; tum quia non importunè; tum quia temporis. Verè enim de illâ id estimandum est, quod Antiqui de Gratijs dicebant, eas Horarum sorores esse: namque ut bene fiant, cum tempore fiant oportet.

Quod verò ad quantitatem pertinet, quâ Helleborum jam præparatum, medica proferre manus debet, magnus se mihi dicendi

cam-

campus aperiret, in vituperium vel nimis par-  
cæ, vel nimis ponderosæ & liberalis mensuræ:  
quandoquidem medicina non solum cum  
magnitudine mali comparari debet; sed etiam  
utriusque robur cum viribus infirmi: cuius  
ægra viscera pro campo sunt, in quo duo illi  
inimici depræliaabuntur; uterque ad versando  
fortissimus; quod alter in aggrediendo sum-  
mè sit violens, alter in resistendo maximè ob-  
stinatus. Ego tamen præcipue locum dabo  
ultimæ legi, & inter alias ipso usu magis fa-  
mosæ, ideoque etiam majoribus literis in An-  
ticyrana Academiâ descriptæ eo loco, ubi me-  
dici, qui pro sanandis stultis conducti sunt, de  
Helleboro utendo præceptiones tradunt: (R)  
*Cavendum est felici quoque curâ, NE NVRILLO DIS-  
DETVR; quippe imparibiles cruciatu[m] existunt.* Quan-  
do dies non serenus, aura placida, cælum ri-  
dens, sol limpidus, omnia tranquilla, vah in-  
fortunatum illum stultum, qui sibi hellebo-  
rum inglutit! scelestissimum illum medicum,  
qui id eâ tempestate præbet! quantumvis e-  
nim ille forsan ad se redeat, & amissum sen-  
sum recuperet, tamen infelix mortalis eas cor-  
dis angustias, viscerum contorsiones, tremo-  
tes cordis & deliquia patietur, quibus ipsa  
mors neque longius, nec acerbius tormentum  
habet: præterquam quod periculum sit, ne  
Hippocratis Aphorismus verificetur; (S) con-  
trario ex hellebore lethalis.

Ita de propoſito circa admonitionem sen-  
tien-

tiendum. Avertat Deus, ne illam cælo nubilo, id est, animo turbato; modo in ameno, cum vultus austerritate, verborumque acrimoniâ aut contumeliâ faciatis. Tametsi misellus extracto de visceribus nocivo humore sanitatem reciperet, cogeretur ille tamen pari contra vos sensu exclamare, quo Poëta, cum Romæ in amphitheatro, gravidæ feræ ventrem vidisset tam vasto vulnere laceratum, ut per illud immaturus adhuc partus in lucem proficerit:

(T) *O Lucina ferox! Hoc peperisse fuit?*  
 Crudum, nec tamen iniquum fuit Platonis votum, quod libro de Rep. tertio vulgavit, ut omnes medici, in ætate Juvenili, omni morbotum genere conflictarentur: quod per experientiam discerent, (sive remedia, sive modus illa præbendi spectentur) de curâ similium ægrorum prudenter divinare. Jam vos ego interrogo, qui tam rigidos Machaonas agitis cum eo, qui immoderantiâ nimium calentis affectionis in dementiam lapsus, ideoq; commiseratione dignus est; nunquamne in his annis vel eadem, vel simili aliquâ, aut etiam pejore stultitiâ, vobis corrupta mens fuit? quod si tunc fortè supervenit, qui ad sanitatem vestram collaboratus, eâ spiritus acerbitate, tam crudo & implacido agendi modo, eâ vultus austerritate, & verborum asperitate usus est, quam vos nunc usurpatis, idne animo satiæ quo tolerare potuistis? Etsi adhuc hodie quis-

quispiam in vestros, neque admodum raros, neque omnino levissimos errores, tanto cum furore involaret, uti vos in alienos, num id palato vestro saperet; & non potius majore pervicaciâ adacti, etiam ingratii tam importuni correctoris, in majora forsitan flagitia profiliretis?

Egidem haud ignoro, quod paulo ante allegatus Plato dicere solitabat, (*V*) difficile esse, *Intemperantibus bonam voluptatem, Egrotantibus salubre invenire*: neque illud, (*X*) Pythagoram Juveni cuidam Taurominitano, qui duabus vehementissimis affectionibus, amoris, & Iræ, ad insaniam usque exarserat, integrum planè sensum, non alio quam Cytharæ remedio restituisse: cù mei carmen grave lentissimo spondæorum incessu, recantari iussisset. Iterum hoc quoque scio, talia uti facile scribuntur, ita nusquam nisi in chartâ spectari solere. Cuiusmodi etiam illud est, quodd ursa suum partum, qui (*I*) *malè viva caro est*, non scapello acutissimum dentium vel unguium, sed molissimæ, & flexibilis linguae blandimento, & materni amoris artificio excusat ac perpoliat; tamenque effiguret, qualem cupit, sibi persimilem. Sed utique verissimum est, ubi amor sit, ibi & ingenium, & dexteritatem esse, si necesse sit, etiam miracula in aliorum salutem faciendi; nihil iis minora, quæ de Pythagora & Ursâ perhibentur: & ego unum duntaxat commemorabo, quocum videbitis ne quidem in

in comparationem venire posse factum illud  
medici cuiusdam , tantopere à Seneca cele-  
bratum : (Z) quem ait , cum Regis filiam curare  
deberet , nec sine ferro posset dunc tumentem mammam  
leniter sovet , scalpelum spongeâ rectum induxisse , repu-  
gnante puella remedio palam admoto . Unde verissi-  
mum illum aphorismum collegit , non minus  
in animi , quam corporis curationibus fre-  
quenter pensandum ; **QUE DAM NON NISI  
DECEPTA SANANTUR.**

Sedebat fortè Alcon venator , inter densa  
prunorum dumeta abditus , feris insidias pa-  
rans , quarum exitio iam paratum in arcu ia-  
culum tetenderat : nec inde procul filiolus  
per herbas effusus , liberum in umbrâ capta-  
bat somnum ; quando pater seu casu , seu men-  
tis occultâ diuinatione , conversis illuc ocu-  
lis , videt nigerrimum draconem , geminate  
volumine circa pueri collum irrepsisse ; quo  
fine , nemo ab serpente requirat , cuius volu-  
ptas est mordere ; & natura , occidere . Quis  
iam , nisi ipsem pater sit , assequi cogitando  
possit , quam graves & contrarij affectus misé-  
rum Alconis animum in eo aspectu strangu-  
lariat ? iam ille abiicere spem atque animum ,  
iam resumere : modò desperare , & mox ite-  
rum audere velle : donec ubi res tempus lon-  
giori consilio non permittebat , statuit sanè  
filium discimini . etiam cum maiore periculo ,  
creptum ire . quippe iam nunc suppetias ac-  
currere , oppidò tardum erat ; aliud vero au-  
xilium

xilium, quod non nisi eminus afferri posset, debbat esse quam dexterimum; scilicet serpentem in ipso gulæ complexu tam certo sagittæ iactu configere, ut non modò puerum non laederet, sed ne tangeret quidem. Quam multa Poëticæ inventionis opera non sine spectantium plausu in scenâ repræsentantur, in id unicè collaborantis, ut inexpectatos gravium periculorum exitus comminiscatur: qui tam ne centesimam venustatis aut admirabilitatis partem habent, quam huiusce casus veritas, legentium mentibus subjicit. nam & arcum contra filium transferre, & tam rectâ oculi collineatione dirigere, tamque fortiter ejicere, ut in draconis capite deficeret, quin vel gulam pueri vel somnum etiam libaret; id totum celerius pater facere potuit, quam ego dicendo renarrare. Ex quo sagittas jaci captu est, ictus isto neque felicior, neque artificiosior extitit: ut haud dubiè arcus iste & sagitta digni fuerint, quos Apollini Pythio ad æternam facti huius. & Alconis memoriam su. pensos, tali inscriptione dedicarent:

(A) *Qui nato, serpentis corpore cincto,  
Plutumuit, dum succurrit: dum iactibus illisdem  
Interitum, vitâme daret; stabilemque teneret,  
Cor detremente, manum; totâq; exiret in artem  
Spe propiore metus: dans, inter membra duorum.  
Vnius mortem.*

Verum quod manus ista iaculum, corde liget tremente, tam firmè tenuerit; & oculus,

M m

quan-

quanquam erroris dubius , tamen ad metam tam certò collineârit ; nequaquam inter miracula repono : namque tam felix iactus non à sagittariâ arte profectus erat : (nec sane illum hæc sibi tribuit) non ille Alconis *Venatoris*, sed *Alconis patris* fuit. Intra ipsum sagittarium , Amor ~~et~~as, sagittarius extitit: quamquam nec iste tam felici jaētu fuerat, nisi Amor paternus fuisset. Itaque sicut alius Poëta in hoc factō Timorem præcipue celebravit, ita Manilius longè verius prudentiusque Amori id adscriptus; sub Augusti ætatem ita modulatus:

(56) *ARS ERAT ESSE PATREM. Vicit natura periculum,*

*Et pariter iuvenem somnoque & morte levavit,  
Tunc iterum natum, & fato per somnia raptum.*

Nemo nunc desideret , ut ad propositum meum ista ego applicem: omnia enim tam dilucida sunt, ut interprete non egeant. Ut innocenter, imò salubriter arguatur, qui peccavit, oportet vestrum cor in ipsius pectore respondatis; & affectu in ipsum patres sitis, quales naturâ non estis. Amor esse Magister debet, qui doceat , quibus telis instruenda lingua , quomodo dirigenda sint verba, quæ per ipsam ejaculamini. Duas ante vos habetis metas ; dormientem filium, & pestiferum draconem; id est Hominem, & Culpam: contra hanc, non in illum dirigenda & evibranda sunt spicula: hanc ferire necesse est, & occidere. O quam appositiè ad Alconis factum, in hoc ipso argumento

mento, cum eadem Hominis amandi, & Cul-  
pæ perimendæ distinctione, alicubi (cc) S.  
Augustinus peroravit! Quærat ex eo, qui vo-  
let: ego enim, ut promisi, hoc opus totum æ-  
qualiter volo ad finem perducere; sic ut pictu-  
ram agnoscatis, coloribus duntaxat terrenis  
absolutam.

A. Plin. l. 25. c. 5. B. ibid. C. in vita Pythag.  
D. lib. 1 de ira c. 1. E. Sen. lib. 2. de benefic. c. 35. F.  
lib. 1. c. 3. G. A. Gell. lib. 17. c. 17. H. Sen. nat.  
quest. q. 1. c. 1. I. lib. 16. c. 26. K. Laërt. in Mened.  
L. lib. 2. de irâ. c. 10. M. Laërt. in Polem. N. Corn.  
Cels. l. 3. c. 3. O. id. l. 2. c. 3. P. Stob. serm. 88. Q. Cor.  
Cels. l. 2. c. 5. R. Plin l. 25. c. 5. S. Sect. 5. aph. 1.  
T. Martial de spes. ep. 12. V. Stob. ser. 38. X. Iambli.  
in vita Pythag. Y. metamorph. l. 15. Z. lib. 3. de ira.  
c. 39. Aa. Sidon. Apoll. carni. 5. præf. Bb. Astronom.  
l. 5. Cc. Serm. 94. de temp. ERVDIMINI.

## XXVI.

TERRA INCOGNITA.  
QUI IN OBLIVIONE HOMI-  
NUM SEMPER MORTUI; QUI  
IN GLORIA SEMPER VIVI.

HIC neque vela subducere, nec otium dare  
remigio, neque anchorâ fundum quærere  
fas est: TERRA EST INCOGNITA. Eam vel  
nominasse sufficit, ut sciatur, quidquid de eâ  
sciri potest. Ecce vicina mari huius litora: o-  
culis quidem lustrata; sed humano nondum  
pede vestigata. Quodsi aspexisse duntaxat,  
Mm 2 tobis

vobis citra cupiditatem est; & placet, interrogando amplius loci periculum facere; euge, illuc proram advertite, & clamate; Ohe incolæ; qualis est hic mundus vester? quæ regio? quæ tellus? Veréne Insula mari circumdata? an potius Continens, & firma tellus? Tum quos illa homines alit? quâ linguâ, moribus, religione utitur? quale numen colit? Regesne habet, & magistratus, & populos: hominum numerosos cætus & urbes? an palabundè, sparsim, ac incertum vivitur, ut vaga Scytharum natio folet? Et ecce, nemo prodit, qui vocem reddat: Sed responsi vicem altum silentium tenet: quod tamen ijs, qui bonas aures habent, vel maximè pro responso est, dum enim de hac regione tacetur, de eâ jam diei potest, quid sit; nempe *Terram esse Incognitam*.

Num autem putabimus, ad Existimationem naturæ pertinere, quod etiamnum tam magna Orbis pars, extra notitiam jaceat? Quasi aliter, (uti Stoicus de Universi magnitudine philosophans, affirmavit; (*A*) pufillares *Mundus est, nisi in illo, quod querat, omnis mundus habeat*) si inciperet mundus nihil sui amplius occultum habere, simul nobis desineret mundus fieri; arbitrantibus, mundum rem exiguum esse? Num idcirco sibi semper tam multum reservat in Septentrionibus, tantum in meridie Incognitum, tantum quâ parte ad mare vergit; tot Insulas, quasi paryos mundos,

*separa-*

separatim per immensitatem Oceani sparfas; sicut Democritus & Epicurus in philosophicis suis somnijs, maximos mundos intra infinita vacui spatia perspexerunt? Ita nimirum opinabimur Terram permagnam esse, postea quam verè dici potest, tot jam saecula, (quot nempe Tempus in Annalibus suis numerat) in patefaciendis eius partibus laborasse homines; & tamen adhuc sequentibus saeculis, (Deus scit, quām multis) locum querendi superesse. Dum igitur ita paulatim sese nobis aperit, & semper vivum sui nescendi desiderium alit, nec satietate obruit, nec de sua estimatione quidquam deperdit. Quod sanè licet mihi vestrā veniā, velut in mysterio exprimere, Taciti verbis adhoc adductis; quibus malitiosè quoddam Poppææ factum interpretatur, quantum aliàs foris pudibundæ, tantum intus inverecundæ mulieris, etiam priusquam in thorum Neronis intrasset: (B) rarus in publicum egressus; idque velatā parte oris, NE SATIARET ASPECTVM. Verum hunc in modum de Terrā ratiocinari, quid foret aliud, quām nelcio quæ phantasmata Poëtica finge-re? abstineamus ergo longius in hisce imaginamentis orationem perdere: sed ex instituti nostri præscripto, ad morum utilitatem vestigandam studium convertamus.

Quantum mihi quidein licet augurari, Terra Incognita omnium Orbis partium longè maxima est, maximèque populosa. tantus

Mm;

scili-

scilicet perpetuū eorum accusus est, qui densis agminibus eam intrant, & sine revertendi animo, inibi sedes figunt;

(C) *Quām multa in silvis, autumni frigore primo,  
Lapsa cadunt folia: aut ad terram gurgite ab alto  
Quām multa glomerantur aves, ubi frigidus annus  
Trans Pontem fugat, & terris immittit apricis:*

Et quamvis tam innumerabilis ēd commigrantium multitudo sit, nullus tamen metus est, ne illa unquam cultoribus plūs æquo opbleatur: quin imo sicut flumiua omnia in māre decurrunt; ita maximus quisque populus non modò ibi locum reperit, sed se planè amittit. Atque hinc venit, cur illa nunquam repleatur, quod illuc intrare non aliud sit, quām se amittere. Mēā quidem sententiā illuc infinita eorum turba intrat, seque ibi perdit, quos mundus unquam vixisse nesciit, nisi quia mortui sunt: ita nihil laudabilis & durabilis operis post se reliquerunt, unde apud homines illorum ceu hominum memoria permanisset: nunc quia aliud non fecerunt, nisi sterile vivere, omnia moriendo amisēre.

Malē agit, qui inter homines vivens, de virtute haud secus disputat, ac si homines adhuc mera Promethei creta forent, aut Deucalionis saxa, nondum optimè in carnem ac vultum transformata. Sic autem de ēā disputant, qui eam se solā contentā faciunt, neque extra se curantem aliquid, aut sollicitam: circulorum more, qui, ut Plutarchus ait, circa suum duntaxat

taxat Centrum vertuntur, nec ad hoc aliquid  
externi spatii requirunt. Natura non minùs  
provida, quām amantissima mater, cum ijs  
actionibus, quæ ad conservanda individua,  
& multo magis, quæ ad stabiendas rerum  
species sunt necessariæ, inseparabili nexu vo-  
lupratem copulavit: velut præsenti mercede  
studium illud remunerans, quod cùm in no-  
bis ipsis conservandis, tum in relinquendâ po-  
steritate impendimus, à qua post nos, ac no-  
stram in vicem, mundus iste habitetur. Quod-  
si illa pro bono eius partis, quæ in nobis igno-  
bilior est, (utpote cum animalibus commu-  
nis) tantum providentiae gessit, num eam, quæ  
sola eximia est, itaque hominis propria, ut per  
eam ab animalibus discernatur; hoc est, ex ra-  
tionis dictato agere, juxta Honesti princi-  
pia vivere; num, inquam, credibile est, hanc  
ipsi curæ non fuisse? Ergone sola virtus, quæ  
sanè optimum, si non totum hominis bonum  
est, nihil voluptatis illicii habebit, quo nos ad sui  
exercitationem trahat: nihil saporis, quo in  
nobis non tantum famem exfuscit, sed etiam  
orexin accendat? Præsertim cùm eius bonum  
plus perpetuitatis habeat, latiusque pateat;  
ita nimirum, ut saepe ad totius speciei emolu-  
mentum pertingat? Quod si igitur ratio id  
evincit, necesse est, aut nullum virtute di-  
gnum oblectamentum existere, aut id in glo-  
riâ esse repositum, quæ ex merito pronaisci-  
tur; quæque illi velut pro secundâ vitâ est,

nempe nominis Immortalitas, in sacerdotum  
omnium memoriâ perennatura.

Clamitet sanè, quantis potest præcordiorum viribus, Stoicorum Secta (homines in hoc puncto parum humanitatis olentes) Virtute non iē tam profundè demittere, ut ad ullam voluptatem respiciat, præter solam boni operis conscientiam : id credo haud persuadebunt, nisi pauculis quibusdam suo de numero insensilibus statuis. Monstret etiam grandis illa Scipionis Anima Juveni suo nepoti, ad ipsam inter stellas ope Philosophici somnij Ciceronis asportato ; hinc terræ habitæ angustias, illinc memoriæ rerum humana- rum excidia, diluvijs, terrarum concussionibus, pestilentia, bellorum vastitate, & quod omnium loco tantumdem etiam solum potest, temporis edacitate inuecta: hinc tamen plus non concludas, quam gloriam virtutis præmium non esse : haud item, eam non saltem illius fructum esse, ita quidem exquisiti saporis, ut meritò nos alliciat ad eam nobis virtutis studio promerendam. Et si ad id, quod in rebus ipsis solet accidere, volunius, ut par est, advertere animum, illæ tam arcto mutuae inter se productionis vinculo connexæ sunt, (quod virtus ab amore Gloræ, & Gloria ab virtutis merito nascatur) ut ubi una in contemptum venerit, confessim etiam alteram despiciam esse necesse sit. quapropter à prudentibus illis viris, suggerente Tacito, (D) magno cum

cum iudicio pronuntiatum fuit, perinde uti  
verum est: optimos mortalium altissima cu-  
pere; ita usū constare, **CONTEMPTU FAMA**  
**CONTEMNI VIRTUTES.**

Quo de argomento ne, quæso, molestum  
vobis sit, breviter disputantem Divinum Pla-  
tonem audire: qui cum prius probare studuis-  
set, eos, qui indipiscendæ famæ essent incurij,  
socordes, inutiles, sui oblitos, fungos magis  
quàm homines esse; econtra qui in nobilita-  
te spiritûs, magnitudine animi, generoso ho-  
nesti amore, heroicarum virtutum exercitio,  
aliquid quasi divini saporis sentiunt, eos ma-  
xime illius cupidos ac studiosos esse: inde cum  
multâ ratione deducit, profectò non extingui  
in homine, sed post mortem quoque remanere  
portionem illius meliorem, hoc est, animam:  
& consciam esse laudis, quam opera post se  
utiliter, sive ad usum, sive ad imitationem vi-  
ventibus relicta consequentur: eiusque dul-  
ci quodam sensu tangi; maximè quod earum  
virtutum propagatione in hominibus  
quasi seipsam multiplicet, quoties ex eius recte  
factis quædam imago bonæ operationis desu-  
mitur. Alias enim natura, quæ nihil frustre  
facit, (ita ut ne unus quidem musculus, aut  
minimi nervi filium, non venula, non pellicu-  
la quæpiam, non ossiculum, aut quidvis aliud  
in corporibus nostris, proprio suo fine ac mini-  
sterio careat.) cur talem animo cupiditatem  
ingenerâset, etiam à morte in famâ, virtutis

Mm 5

meri-

merito comparatâ supervivendi , si vel anima  
tunâ cum corpore emoritur ; vel, ubi semel  
aliò abscesserit , ibi nullam amplius huius  
mundi notitiam accipit , quidque homines de  
ipso sive in laudem , sive in vituperium pro me-  
ritis sentiant , ac loquantur ? Sed age , ipsum  
magistrum audiamus : ( E ) *Cura habenda est tem-  
poris subsequentis. Fit enim natura quadam , ut ignavis-  
fimi homines nihil curent , quae sit de ipsis futura opinio.  
Probatissimi autem viri cuncta faciunt , quod futuri sœcu-  
lis bene inter homines audiant. Quare ego conjecturam  
facio , esse aliquem sensum iis , qui mortui sunt , rerum no-  
strarum ; quoniam optimi animi sic fore divinant ; de-  
terrimi autem nequaquam. Validiora autem sunt divi-  
norum virorum *Præsagia* , quam aliorum .*

At enim priorum perpatius est numerus ,  
alterorum infinita copia , quorum mors illis  
navibus est persimilis , quas immanis aliqua  
tempestas , in medio immensæ solitudinis , id  
est , Oceanî superobruit : & primò huc illuc  
pro arbitrio procellarum , & ventorum ludi-  
brio iactatas , demum ubi resistere tantæ vio-  
lentiæ non possunt , eversas aut confractas pro-  
fundò mergit , nemine adeò vidente , qui mun-  
do aut tempus , aut locum infelicis sepulcri  
indicare posset . Vah , quam multis par omni-  
no interitus continget , quos nunc ante nos  
contuemur fastu & gloriâ sublimes , pari om-  
nium metu & reverentia potentes ! hosce aurif-  
tam plenos , ut fabulosum illū Midam æquent ,  
qui propemodum vivam intra ipsa viscera  
metal-

metallifodinam habuit: illos plurium figurarum monstra in familiae suae insignibus ostentantes, quām in Āgyptiis Pyramidibus formæ Hieroglyphicæ spectentur: istum pluribus titulis oneratum, quām Imp. Commodus gesit; (F) de quorum numero duodenis anni mensibus nova nomina appellavit: alios cum tanto antè retrōque famulitij obsequio, ut Sol ipse & splendore, & stellarum comitantium numero, victum se fateatur: hos in tantâ habitus maiestate & pompa, ut Rex ipse Cræsus, quo die se contemplandum Soloni præbuit, potuerit inops & centonatus videri. Omnes isti, sicut plerumque amat contingere, famâ post tergum, & virtute infra pedes abiectâ; aliud non scientes, quām gaudere præsentibus; facto suo profitentur, quod (G) Tiberius ausus est etiam verbis profari; antiquum illud sæpe ingeminans; *Me misceatur igne terra mortuo*; neque post se ullius rei laudabili-ter actæ memoriam relinquunt. Sed quantumcunque nunc magnificè suis in palatiis vivant, illa tamen (etiam ipsorum ingratijs) nihil aliud, quām Hospitia sunt, & ipsi Viatores: quorum totus labor est, ad *Terram Incognitam* habitatum proficiisci; id est, desperatis rebus omnibus, in Oblivione, Oblcuritate, Silentio, & Ignominia sepeliri: quæ nempe quatuor magni illius mundi Plaga sunt.

Veniat nunc Seneca Philosophus, & describat nobis horribilia damna, quæ Terræmotus secum

secū infert: ob quæ dici quām verissimè potest, mundum supra scipsum ruere; imò scipsum devorare ac deglutire: (H) Non enim domos solas, familias, ait, aut urbes singulas haurit, sed gentes totas regionesq; subvertit: & modò in altam voraginem condit; ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse: sed supra nobilissimas urbes, sine ullo vestigio prioris habitus, solum extenditur. Ergo celeberrimæ urbēs integræ absorptæ: numero-sissimi populi in abysso conseulti; ipsa voragine, quæ eos ingurgitavit, deluper occlusa? adeōne & terrenum ita complanatum, ut hodie campus sit, quod heri civitas erat: & de eius habitatoribus ne vestigium restet, cuius indicio dici possit; hīc fuēre? Quāto autem verius id ipsum de ignaviā est dicendum; eam (quod sanè cum illius natura pugnantissimum videtur) cùm ad nihil efficiendum vires habeat, tamen tam horrendis calamitatibus posse orbem pessundare? Id enim quotidianiis ruinis monstrat urbium ac regnum, hoc est, maioris hominum partis, nullam sui ac futuri curam fuscipientium? obducta etiam deluper infausta telluris cicatrice, non sine titulo *Terra Incognita*: cùm revera ne vestigium appareat, unde laudabilis aliqua sepulturum memoria notari queat.

At enim sufficiant, quæ de magnitudine & infelicibus *Terra Incognita* qualitatibus hactenus dicta sunt. Nunc pauxillum aliquid de honesto gloriæ amore, quæ virtutis merito debe-

**debetur**, dicamus: cùm illa sola sit, quæ

Non sinit functos penitus perire:

Sed vel ex ipso rapiens sepulcro,

Redditos vivis, iubet in perenni

Nominis famâ, superesse fato.

Gloriæ nomen omnium, quæ mundus loquitur, idiomatum Vocabularia, grandibus ex auro literis scribunt. scilicet unus omnium sensus est, in eorum bonorum indice, quæ ad summam honestæ felicitatis adjici possunt, (sive illorum pretium pensetur, sive duratio, sive vis quæpiam, possidentem certo quodam modo beatum faciendi) inter omnia sine comparatione unam Gloriæ excellere: ita ut si cætera deforent omnia, illa sola cæterorum posset absentiam explere. Quem eius valorem inde æstimes, quod illam ij, qui maximè intelligunt, non tantum cæterorum omnium impendio, sed ipsius etiam vitæ jacturâ sibi emendam putant. Quod sanè non cujuscunque virtutis instinctu efficitur; sed illius, quæ omnium maximè generosa est, Fortitudinis: cuius decor, semper adjunctam habens difficultatem, etiam præquam aliae, pro præmio Gloriam reportat.

Adhæc ista vox, Gloria, aliud quidpiam sibi unicè proprium habet: quod vel sola eius pronuntiatio quendam dulcissimæ harmoniæ sonum habet, quo audientes trahit, rapit, ac suavissimè incitat. Paulo tamen postea videbimus, quantum illa ad recantandos fascinatos valeat;

valeat ; & quos ceu bestias reperit, plus etiam, quām in homines reformare soleat. Neutiquam tamen illam Poëtico Orpheo barbito similem existimetis : cuius amænissimus concentus indiscriminatim truncos cum hominibus, bubones cum aquilis, lepores cum Leonibus ad se pertrahebat. Invitatio enim ad opera gloria, quæ soli magnanimi poslunt suscipere & confidere, cytharæ famosissimi Timothei conferri debet : qui cùm militare carmen, & confligentium certamen animosè insonuisset, tantum bellici impetus ardorem in Alexandri M. pectore succendit, ut adolescenti non solum vultus inardesceret, & oculi fulgurarent ; sed necesse fuerit, hastam violenter de manibus extorquere, ne ardore in furorem verso, sui impos in amicos raperetur, ubi inimicos non invenisset. De hoc tamen incendio prudentissimè Dio Chrysostomus subnotavit, (1) eundem illum cantum, quo Alexander tam œleriter ac tantopere inarserat, milles etiam ab Olympo & Maruya, laudatissimis musicis recantatum, ne unam quidem fervoris Martij scintillam in corde Sardanapali excitaturum fuisse; ut qui vitio suo totus effeminatus, naturā etiā peior quām femina fuisset. Econtra ubi Alexander auditis chorearum modulis alçè indormisset, futurum fuisse, ut Sardanapalus vel è somno exergiceretur : nēc eum Regalis Majestas cohibere posset, quominus saltem manibus per aëra gestiret, si non etiam pedibus subfultaret. Uc

Ut nunc autem de pulcherrimis æquæ , ac mirabilibus effectis aliquid etiam dicamus , quæ Gloria vel eminus solūm spectata, in generosis pectoribus operatur, nolo, uti possem, tribus duntaxat verbis me expedire: atque totum hoc propositum ita duntaxat absolvere, ut dicam; DUM SPECTAT, INEBRIAT; id quod Sidonius per amœnè de Baccho dixit. Re enim verâ tam dulces , ac pariter robustos spiritus ita per oculos ejaculatur , ut in quemcunque illos figit, eundem ad se adtrahat; eum nimurum penitus inebriat. Sicut tamen Poëtas suus furor ad insolita , & vulgo ignota proloquenda incitat, ita Gloria magnas animas ad ea factitanda, quæ communi formâ viribusque superiora sunt, extimulat. Quis non ex veterum monumentis incomparabilem Pausiæ, Græci hominis, in pingendis figuris peritiam celebrari audivit: quos ille pæne cum naturâ ipsa certantes faciebat? Huic in arte pro magistro fuit amor Glyceriæ : quæ mira necendarum coronarum artifex , gratissimâ colorum varietate flores sciebat in seriem filatum disponere. Ita omnino Gloria agit ; coronas texens, quarum flores nesciunt languescere: sed immortali vigore rutilantes, etiam quos coronant , immortales faciunt. Adhæc illa omnes, qui eam aspiciunt, sui amore capit: eodemque pariter illorum operum, quorum illa opifex & magistra est, tam studiosos sedulûsne facit, ut eorum cogitationes

nes ab omni viliore negotio avertat, unicéque  
ad sua illa eximia traducat.

Ecce unum è milli; sed qui unus pro mil-  
li sufficiat; inclytus ille Themistocles: cui  
Athenæ & Græcia suam potentiam & sce-  
ptrum debuerunt, quæ illis Xerxes patabat de  
manu eripere, serviles pro ijs catenas impo-  
fiturus. Nemo facile explicet, fuitne ille in  
vivili ætate virtutibus clarior, an adolescens  
vitijs defamatiōr; insuper quid vitio potior,  
cūm per omnia æquè esset inquinatissimus. Id  
autem eatenus duntaxat, donec aliquando  
oculos attentius per Miltiadis trophæa cir-  
cumtulit: & in illâ triumphali coronâ deti-  
nuit, quâ illi militaris Gloria caput ornavit,  
eius merita tōto mundo fecit celebria, & im-  
mortalitati famæ magnum illum liberatorem  
Græciæ consecravit, ob victoriam, qua Da-  
rium Regem in Campis Marathonijs cæsum  
protigatūnique, finibus ejecit, uti vobis à  
principio monstrabam. Ab hoc aspectu sicut  
novum Cor in pectus, aut novus spiritus in  
cor Themistocli incessit, ita ab illâ hora exepit  
in alium hominem transformatus esse. Ille  
paulò antea dissolutus, mollis, otiosus, jam  
etiam necessariæ quietis erat impatiens: cūm  
ei perpetuè ante oculos verarentur trophæa  
Miltiadis, superiorem eius ætatem in flagitijs  
attritam, asperrimè objurgantis: semper clas-  
ficum & tubæ, ad pugnam invitantes, auribus  
insonarent: denique brevi*tempore* soporis, quo  
dehinc

dehinc utebatur, somnia, eundem continuò apud exercitus, in acie, in prælijs exercebant. Itaque eius innumeri amores, in unicum & in exsaturabile Gloriæ desiderium; multiplices illæ cupiditates, in eam unam cogitationem conversæ fuerunt, quomodo per arduos laborum calles ad Gloriæ adeptionem eniteretur.

(H) *Ita est profecto: insurgunt mente, qui non modò proximum tempus, lucemque præsentem intueri satis credunt, sed omnem posteritatis memoriam, spatiū vitæ honestæ, & curriculum laudis existimant.*

Profecto dici satis non potest, quām prudenter Romæ constitutum fuerit, ut in sacrâ humo victoriosi illi laurei rami depangerentur, quos triumphans aliquis dexterâ prætulisset. atque iij tam feliciter provenere, ut integra inde densaque silvula excreverit: ubi quot rami, tot coronæ virebant. pro illorum meritis, quorum triumphalis Virga in arborem plantata, in cortice incisum gerebat nomen, & memoriam velut perpetuò triumphantis. Illuc ad captandam in eâ umbra frigidam auram considerabant, quotquot ex Juventute Rom. generosiores gerebant spiritus; inde non antè discedere soliti, quām novo, & auctiore Gloriæ amore, ac Triumphi desiderio exarsissent; eodem ad laborum, sudoris, periculorum, vulnerum, spargendi sanguinis non modò contemtum, sed cupiditatem etiam egregiè animati. Hunc itaque prium ac potissimum effectum videtis in ijs,

Nn

quos

quos Gloriæ Amor profundiùs occupavit , ut sibi egregijs virtutibus maxima merita conquirant : non aliter quām si de ipsis Romanus agriculturæ magister Palladius scripsisset ;   
**(M) CUI PLACET CURAS AGERE SÆCULORUM,**  
**DE PALMIS COGITAT CONSERENDIS.** Fuerit sanè alicui in delicijs , præsentem vitam in desidjâ profligare , plantandis rosis intento , quas de die in diem legeret , eò quodd ultra unum diem durare nesciant : ubi tamen futuri cura animum illi invaserit , deditgabitur sanè manum , nisi ferendis palmis deinceps admovere. Num autem , uti in naturalibus , integro sæculo opus erit , quoad earum dulces gustare fructus liceat ? Imò verò , qui palmas grandium meritorum seminat , quibus ad memoriam sæculorum gloriam suam propaget , fructum etiam priùs , quām habeat , jam prægustat . ad quod sanè nunc probandum accingor ; utpote sine quo necquicquam omnem hactenus disputationem suscepero .

Non tamen hīc in auxilium fabulas evocabo ; in quarum mysteriis contemplemini , qualis & quanta oblectatio grandem illam Herculis mentem perfuderit , quoties ille cælum serenum intuitus , exclamabat : **(N) Victor è terris meos spectolabores :** cùm per ingens ætheris spatiū stellis , velut musivo opere , expictas monstrorum figuræ aspiceret , ab ipso perdomitorum . Sed potius fortunatum quempiam senem vobis memorabo , **(O) Diagoram :** (non qui-

quidem Atheum illum, sed qualemcunque alium) cui cùm repente tres filij superbissimo comitatu occurrerent, ut qui spectante universâ Græciâ, tribus Olympicorum ludorum certaminibus, luctâ, pugilatu, & pancratio victoriam reportassent; dum & ipsi patrem simul amplexu, osculis, & coronis suis obruunt; & ipse universos tenerè stringit; & gaudij plenus in lacrimas solvitur; & loqui vult, nec potest; omnium lœtitijs & gloriâ velut in tunnum cumulatis; impar voluptatis ponderi, inter filiorum manus expiravit: tali morte, quâ utique Beati morerentur, si mori possent: si quidem mori ut beatum, non nisi gaudio deseret accidere: ita tamen, ut simul vivere & florere perseveraret; quemadmodum Diagoras, in vitâ & gloriâ suorum filiorum. An vero non quid simile hic accidit, saltem si inexplicabilem illorum voluptatem attendimus, qui se operum suorum coronâ vident circumdatos, quorum merito semper gloriosi perennabunt? An non ita sensit magnus Thebarum Ductor Epaminondas: cui cùm exprobratum esset, eum totum aliquando emoriturum, quod posteritatem nullam haberet, in quâ superviveret; respondit: (P) *ex me Natam relinquo, pagnam Leuctricam; quæ non modò mibi superstes, sed etiam immortalis sit, necesse est.*

Pergrata, & totius mundi approbatione stabilita fuit, uti (Q) Historicus affirmat; illorum inventio, qui magnorum hominum statuas

quam maximè vivas, in ære aut marmore crexerunt; eorundem nominibus in basi exsculptis: nempe ne illa duntaxat in sepulcro legi deberent; in quæ tamen sola morti nulla est Jurisdictio: ita quidem, ut per ipsam primùm incipient Immortalitatem indipisci. Ubi autem iste, quondam ita æstimatus honor, & non nisi paucissimis tributus, paulatim communis fieri, omnib[us]que, nullo jam virtutis respectu aut concedi, aut ultro usurpari cœpit, ob id ipsum magnopere eviluerat, quod innumeris essent, qui minùs valerent, quam ipsorum statuæ; & hæ ipsæ plus honoris afferrent artificibus suis, quorum opus erant, quam defunctis, quorum imaginem referebant: Gloria in alium prorsus modum, suorum memoriam sibi perpetuandam sumisit; tam eximio quidem opere, ut metalla marmoraque, quantumcunque Praxitelis aut Phidiæ scalpro elaborata, nec quicquam sperent se illud unquam æquare posse. Id autem sunt clarissimorum Scriptorum membranæ, in quibus visibili charactere invisibles animorum vultus exprimuntur, mehercle ad vivum, id est, ex vero secundum vivorum merita depicti: quorum historiæ sub tam multis ac varijs aspectus gestu[m]que formis proponuntur, quam multæ sunt virtutum illarum species, quarum actionibus illi singulariter effulserunt. hæc enim sola veræ, & nunquam marcescentis animorum pulchritudinis lineamenta sunt. Adhæc non

non perinde, uti marmora ac metalla in statuam ducta, intra brevis fori aut theatri caveam, ad unius tantum populi satiandam curiositatem recluduntur; sed ipsorum theatrum totus mundus est; pro spectatoribus omnes nationes: pro luce autem, ad cuius radios videri omni momento possint, intus quidem suum ipsi meritum habent, quo ceu proprio fulgore resplendent; foris autem communes laudum applausus, quos ab omnibus jure suo reportant. Ad extremum etiam statuis sua mors incumbit; ac videri (quod est totum illarum vivere) desinunt, cum in foedâ membrorum frusta seu vi, seu ætate collabuntur: exadversum illæ animorum Imagines æternæ sunt, ac tam longè ab interitu remotæ, ut identidem per novas exemplorum formas, quas ab ijs petunt, qui virtutis æmulatione succensi sunt, multiplicatæ, semper de novo renascantur; non sine eorundem vivo spiritu, quorum effigiem repræsentant. Et qui non? quando & invitant ad imitandum, & objurgant, & persuadent, & consiliantur, & animos faciunt, cundémque virtutis amorem, cuius egregijs factis isti gloriam consecutifuerant, etiam ijs inspirant, qui eas attenius animis collustrant.

Age sanè, producamus istorum par aliquod. & quem alium primo loco, quam insignem illum Spartanorum R. Agesilaum? qui moriens vetuit sibi statuam poni. Res enim mortalis,

inquietabat, non est æquum virtutis præmium, cuius meritum immortale est. Pro statuis mihi facta mea sufficiunt, quæ post quatuor & octoginta ætatis annos, & regni quadraginta unum, relinquo. Ista mei effigiem longè verissimam ostentabunt; ut in quibus semper existere persevero: & vitam mihi conservabunt; quando non prius Agesilai memoria, quam virtutis amor in mundo extinguetur. Aliter enim ad quid proflunt statuæ, quam ut inter vivos mortuus, in inanimo saxo compareat? Verissime; ut etiam Romanus Orator assentitur: (Z) *unus Xenophontis libellus*, in eo *Rege laudando facile omnes Imagines omnium, statuasque superavit.* Alter sit C. Julius Agricola: cuius vitæ effigiem ab optimo penicillo, nempe Cornelij Taciti, profectam habemus: quam qui bene considerat, difficulter pronuntiare poterit, potiusne laudari debeat, quod ille pessimis temporibus bene vixerit, quando virtus pro maximo, quod esse posset, delicto habebatur; an quod eam tam bene hic autor representare scivit, qui merito etiam de se potuit sub pede huius vivæ Imaginis subscribere: *at vultus hominum, ita simulacra vultus, imbecilla ac mortalia sunt: FORMA MENTIS ÆTERNA: quam tenere & exprimere, non per aliam materiam & artem, sed tuis ipse moribus possis.* Quidquid ex Agricolæ amavimus, quidquid mirati sumus, manet, mansuramque est in animis hominum, in æternitate temporum, famæ rerum. Nam multos veterum, velut inglorios & ignobiles

*les, oblivio obruet : Agricola posteritati narratus, & traditus, superstes erit. Ita ille an autem videtis, eum dìgito nobis Terram hancce Incognitam comonstrare, dum tam multos obscuros & ignotos meminit, quos oblivio sepultos facit ?*

Verum enim verò ubi est præsens illa voluptas secuturæ gloriæ , cuius demonstrandæ gratiâ totam hanc, de caducâ corporum Imagine in statuis , & æternâ animi duratione in Historiâ , tractationem suscepeream ? Pro responsô duobus tantum verbis utar , quibus philosophus quidam Africanus , ( quicunque demum ille ) accusatori satisfecit , à quo arguebatur, quodd se in speculo videret : ( V ) *Pia-culum , inquit , decernis , speculum philosopho ! an tu ignoras , nihil esse spectabilius homini nato , quam formam suam ? Pergit exin de statuis , quin & de filijs dicere , qui sunt imagines nostræ ; illæ quidem mortuæ , hi autem vivæ : in quibus se inspicere magnam oblectionem habet . quanto pro in majorem , si te vivum in teipso vivo , intra speculum videoas ? Omnis imago alia , nihil nisi imago est : ista adèò tota ego est , ut non sit aliud quam ego ; nec ego aliud , quam ipsa . Ita ille , quantum ipsi ad suum argumentum opus erat . Vobis autem illa , de quâ paulo antè dixeram , in memoriam recurrat , sola vera , & semper viva animi Imago : quam tenere , & exprimere non per alienam materiam & artem , sed tuis ipse moribus possis : tam pulcram , quam potes ipsum et velle : ac dignam , quæ & ipsa , & per*

ipsam tu , in memoriâ & oculis mundi , in splendore gloriæ,& honore sœculorum sis superstes. Eam verò contemplari, num dubium esse potest, permagnæ id voluptati esse? Tantæ, me hercle, ut extra se nemo unquam tantam sit experturus. An non igitur bene ab me dictum reputatis , plurimum ad id referre, ut procul à Terra Incognitâ absamus, ubi illi se amittunt , qui præsentibus tantum intendunt, oculos mentemque in altum levare, ut ea, quæ remota sunt, videantur; & illud interminum, quod aliquando succedet, in pretio habeatur? illudque generosè dictum penitus in corde insculpere ; ( X ) paucis natus est , qui populum ætatis suæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum supersunt. Ad illa respice.

- A. Sen. nat. quest. l. 7. c. 31. B. Annal. l. 13.  
 C. Æneid. l. 6. D. Annal. l. 4. E. Ep. 2. ad Dionys.  
 F. Xiphilin. iu Commido. G. Dio. l. 58. H. Nat.  
 quest. l. 6. c. 1. I. Orat. 1. de Regno. K. Carm. 22.  
 L. Plin. l. 35. c. 11. M. Quintil. l. 12. c. 2. N. Plin. l.  
 15. c. 30. O. In Octobri. P. Sen. in Herc. Oct. Q. A.  
 Gell. l. 3. c. 15. R. Æm. Prob. in Epamin. S. Plin.  
 l. 34. c. 4. T. lib. 5. ep. 12. ad Lucei. V. Apulei. in  
 apol. pro se. X. Sen. ep. 79.

# LACUS AVERNUS. FLATUS PESTILENS MALE- DICORUM.

**V**NICUM nobis h̄ic deest indicium, quomodo  
nas omnia habeamus, sciamusque nos in  
sterili ripâ consistere illitus tam decantati,  
quam fugiendi Lacus Averni. nam quidquid  
de eo cùm Historici, tum Poëtæ scripsierunt,  
id omne, testantibus etiam oculis nostris, ap-  
paret esse verissimum. Ecce continentem il-  
lam montium coronam; in quorum vallè  
profundissimâ, centrum hic locus occupavit:  
ita depresso, ut neque mane, neque vespere,  
hyeme, aut aestate, sol illum aut reflexu quo-  
piam radiorum videat, aut ab illo videatur;  
unde infelix istud stagnum tam tristis caligine  
obsidetur, ut Inferni tenebras videatur mutuo  
accepisse. Jam & spississimus silvarum horror,  
undique pro sepimento adjectus, ingeminat  
densissimam umbrarum cæcitatem. Ita ex  
omni parte clausus, ne minimâ quidem rimâ  
potest tenue aliquod rivi filum foras effundere;  
quò vel tam levi motu ostenderet, se mor-  
tuum non esse: sed intra riparum caveam re-  
stagnans, planè ut cadaver aqueum, fœdopu-  
tore resolvitur. De Cimmerijs, qui proximi  
habitant, aliud non licet, nisi digito indicare,  
ibi sub terrâ, eorum cavernas stare. cætera vi-  
visint an functi, non liquet: cùm idem ca-

N n 5

vum

vum, quod illis cala est, etiam sepulchrum sit.  
**E**x altero tamen latere, in illo scopuli recessu nigrum atque horridum montis os, seu potius voraginem despicite. illuc intro se injiciunt, qui per terrae viscera audent velle vivi (si possint) ad Campos Elysios descendere; sin minus, (quod est verosimilius) ad Infernum.

**N**ihil igitur ultrà, quod videamus, deest, quam forte incautam alitum turmam, in densas hasce auras, quæ Lacui incubant, & pestilenti halitu infectæ sunt. temerario volatu irrumperem. Namque ubi dirum vaporem attraxerint, repente universas videremus uno impetu in undas præcipitare; incertum moritentes, an jam mortuas. Verum diutius sub hac infelicitis stagni spondâ consistere, ubi sulphuratus foetor & cerebrum nobis exedit, & gulam strangulat, tam indignæ curiositatis nimis carum pretium foret. Igitur proripiamus istinc gradum eò, unde accessimus: neque interim ascultare pigeat, dum vobis pro fabuloso Averno, verum ante oculos pono; majoribus etiam damnis periculisque horribilem; hoc est. Os maledicentiaz assuctum: cuius halitus pestilentibus dictis ita intoxicatus est, ut sive columbae, sive Aquilæ etiam procul prætervolent, eas de cælo ac sereno ære, ex ipso curius, quo super alios eminebant, felicitate abreptas, deorum trahat: idq; cum ijs faciat, quod paulò post non sine gemitu cernetis.

**S**i quis per annum dies est, aiebat Plato (4) in

in quo etiam maximè sobrijs inebriari fas sit, is sanè unus erit, quo festum Bacchi agitur, Inventoris vini. Sed quantò prudentius ille dixisset, si quis sit, in quem etiam optimus quisque licetè possit maledicta jacere, cum sanè alium non esse, quām qui ipsemet sit maledicus. sicut de rabidis canibus agitur: ubi unusquisque in merito ponit, si eum potuit bono publico immolasse: neque ulla tam impie pia manus est, quæ illi parsum velit. ubi aliud ad manum telum non erit, lapide ferit. Ita Maledicentibus faciendum; quibus aliorum mors in ore est: in omnes discrimine nullo irruunt: mordent, à quibus nihil offensu & mordendo etiam lethiferum, ac non raro insanabile salivæ suæ venenum infundunt.

Ut igitur primò pestilentissima horum natura, & quām iij omnium odio digni sint, perspiciatur, cogitemus. Leonum, Ursorum, Tigridum, Luporum, aliarumque ferarum atrocitatem, quā contra nos sœviunt, profecto ab minùs culpabilem videri, quod major necessitas est, quā ad illam ferociam irritantur. Natura illos ad venatum edidit: hinc illi robusti manuum ungues, prævalidi per immania ora dentes, immensum robur, ingens pernicietas, rabida audacia. Venatores sunt: & ita quidem, ut nisi rapto vivant, sint mortui. igitur non voluptati, aliorum mortes immolant, sed necessitatì. imò verò, cùm ab eorum insuatu securi sumus, (ut contingit in Leone catena,

catenato ) potius volupe nobis est , aspicere horribilem eorum animositatem , attendere silvestrem generositatem , admirari gravem ferociam, indomabilem audentiam æstimare. Quid autem utilitatis scelerata serpens habet, quid araneus , aut scorpio , cum hominem perimunt , cuius neque sanguine pascuntur , neque carne ; sed infixo lethaliter dente vel aculeo , transfusoque insimul veneno ac pernicie, abscedunt, occidisse contenti, & exatianta nocendi libidine hilares. Unde Ægyptij pro symbolico charactere, qui os significaret, serpentis formam ponebant : quod serpenti tota vis in ore sit, uti vetustissimus Hieroglyphicorum scriptor Horapollo (B) interpretatur.

Multus est Seneca in objurgandâ eorum vesaniâ, qui tantis sumptibus ac periculis, numerosam armatarum navium classem , sub velorum alis educunt intrepidè : & suas animas non minùs Ventorum perfidiæ , quam Undarum insaniae concredunt, ultra mare procursum: quo fine? ad inferendum bellum & exitium: quibus? genti , à qua non modò nunquam læsi sunt , sed quam ne oculis videbunt. (C) Hoc verò quid aliud quis dixerit, quam insaniam? circumferre pericula, & ruere in ignotos ; iratum sine iniuriâ , occurrentia devastantem ; ac ferarum more occidere , quem non oderis. Atenim ut feras suus pastus, ita militès honor victoriae, & utilitas prædæ illectat : ubi econtrario, si infelicitem

cem illam in perficandâ linguae scabie voluptatem demas, quid quæso, tristissimi lucri esse potest, quod Maledicentia suo opere emendaret?

Est enim vero: & primò quidē Infamia, num enim aliquid ad infamiam probrosius, magisq; dedecorum dici de quoquam potest, quām malae linguae hominem esse? Ulysses apud Homerum cū Thersite gravissimā altercatione collisus, (D) non illi vilitatem obscenissimi vultus exprobavit, & caninum rostrum, sīmāsque nares, non oculorum rotas fœdè luscentium, non ciliorum aggeratum nemus, aut scabri verticis calvitiem, & dorsi clivum, & pedes non simpliciter vitiosos, & quidquid aliud in ipso natura peccaverat: duntaxat *mala linguam* appellavit: & hoc solo convitio magis eum vituperari judicavit, quām si omnes animi labes, & corporis turpitudines, quibus monstrum illud scatebat, ei in faciem objecisset. (E) Infāustam & infamem Antiqui illam Urbis portam appellabant, per quam rei ad supplicium trahebantur: quapropter etiam reliquias urbis immundicias illāc efferri volebant: vitabatur ea vicinia, neque sas erat sacri quidquam illō accedere; non Sacerdotibus, non victimis transire tutum, quin pro contaminatis haberentur. (F) Verum infāusta quidem; haud dum tamen nocens; sicut illa Romæ, per quam trecenti sex Fabij ad pugnam contra Veientes egressi sunt: de quibus cū nullus

nullus in patriam vivus redijisset, illa ad perpetuam infamiam, sub titulo *scelerate* damnata fuit. Quid jam vobis de funesto illo ac pestifero ore statuendum videtur, per quod nemini transire tutum, ut non omnes pariter, sive innocentibus sint, sive innoxij, ad supplicium raptr? liberè quidquid vult, & vir honestus maximè nollet, effutieas; ac bonam apud homines existimationem, famæ celebritatem, & nominis dignitatem, quam omnis vir bonus ipsi vitæ parem, imò potiorem judicat; ignominiosè divexans? Ego liberè vobis meam sententiam aperiam; cuius optimam rationem mihi textus quidam Ulpiani in ff. (G) tit. de verb. & rer. significat. suppeditat: ubi sapiens ille Jurisp. definit, Titiones neque Carbones dici posse, neque Ligna; sed quid nescio tertium ex utrisque compositum; cùm reapse neutrum omnino sint. Ita ego quoque de obtrectatoribus censeo, quorum fœteratissima lingua fumat, denigrat, ignem suscitat: eos profectò Titiones esse; quodd neque Carbones, neque ligna; non Diaboli, non homines credi possint, sed aliquid ex hisce mixtum: quo nomine, dicat qui novit: ego enim id tantum scio, pessimum id esse nomen debere.

Et ecce præter Infamiam, alia non minor pæna succedit; (illorum tamen meritis quam maximè debita;) quodd omnes ab eorum consortio, quasi velis remisque, ut dicitur, diffugiant: cupiantque non aliger ab illis abesse, quam

quām navigantes infamia Circes litora devi-  
tabant ; ne, si illuc appulissent, cūm incanta-  
mento verborum, tum Magicæ Virgæ atta-  
ctu, ab illâ in porcos, ursos, simias, asinos, lu-  
pos transformarentut. Omnino enim simile  
est maledicæ linguae veneficum : quæ Virum  
probum in illius bestiæ similitudinem defor-  
mat, cuius vitia & effectus illi impingit. Ate-  
nim quid prodest, procul se velle ab his ho-  
minibus tenere, quando perversa hæc proge-  
nies proprium id habet, ut, queniquaque vo-  
lunt, et si nunquam viderint, præsentem sibi  
faciant, ore corripiant, dentibúsque collaee-  
rent ? ita ut hīc nihil valeat illud Senecæ con-  
silium ; (*H*) *Irasceris catenario cani ? Recede longius,*  
*& ride.* Cælius Metellus quoties Scipionem  
Africanum obvium habebat, vel alios de illo  
loquentes audiebat, aut ipse metu eius recorda-  
batur, oculis manibúsque in Cælum levatis,  
Dis gratias habebat, (*I*) quodd tantum, ac tam  
prudentem, ac fortē belli Ducem, non Car-  
thaginensem, Macedonem, Gallum, aut in  
aliā inimicā populi Rom. gente nasci volui-  
sent. namque vœ Lupæ Romuleæ, si cum Leo-  
ne illo Africano in rixam incidisset. At vero  
hīc vanum sit Deo gratias dicere, quodd ob-  
iectatorem non inimicum habeas : quando-  
ut pro inimico trācteris, non plus opus est,  
quām ut tui memoria in sermonem venias.  
Quapropter criminator omnibus odio est,  
quia in metu : ut à quen nullum seu longinquitas

tas securum præstet , seu vicinia , neque demum innocentiae sua fiducia.

An fortè Poëtarum relatu de periculo nauis Argūs accepistis , quando per Symplegades transiit , quā Bosphorus Thracius per angustissimas fauces , totum Pontum Euxinum admittit ? Ubi illa ventorum auxilio , jam proram intra formidabilem fluctuantum , & velut concursantium scopulorum segetem immiserat ,

(K) *Palluit audax Tiphys, & omnes*

*Labente manu misit habenas.*

*Orpheus tacuit torpente lyra:*

*Ipsaque vocem perdidit Argo.*

Et haud dubie conclamatum de illâ fuerat , nisi Pallas , cuius in curâ illa Puppis , & Velle-  
ris aurei negotium fuerat , illam repente in Columbam mutasset : pennis additis , qua-  
rum remigio de illis silicibus evasit . neque sic tamen tam integra prorsus & illæsa , quin illi celerius sele clauderent , quām ista in sublime erumperet , caudali syrmate mutilata . Huius figmenti sensus historicus iste erat , Argo ibi ad scopulum allisam , gubernaculum amississe , more tamen suo per Mylteria & symbola lo-  
quentes , docere volebant , ne Columbarum quidem candidissimam , & cōprobatam in-  
nocentiam , per ora mordacium oblocutorum ita innoxias transire posse , ut non aliquot pen-  
parum jacturam faciant .

At enim Regales Aquile ; volo dicere ,  
Prin-

Principes saltem supremi , ( utpote quibus cùm fulmen in manu , & ferire in arbitrio sit , terorem atque metum conciliat ) sui formidine horum Ora indemnes evadunt. Quinimo hi ipsi fortè sapienter fulminantur : quando ipsæ linguæ maledicæ eius generis fulgura sunt ac fulmina , quibus neque lauro coronati Vertices etiam Cæsarum , & de toto mundo triumphantum , in metu ac respectu sint. Et sicut lethifera Stygis unda , ( L ) quæ de nigra rupe prope Tœnarum malignis guttis exudat , ( cuius peste Alexandro M vitam Invidia sustulit ) non alio vase , quam asini ungulâ servari potest ; ita saepe accidit , ut ab aliquo lixâ aut nebulone pessimè traducantur ijs , quos omne Jus Divinum ac humanum exigit , summo in honore ac reverentia haberet. Neque infreuenter contingit , ut infelices isti etiam jactitare idcirco se audieant ; & Magnos se arbitrari , ac Magnis nequaquam impares , quando cum ijs ad verborum contumelias licentissimè progressi , hostes se ipsis profiteri posuerunt. Intuemini , quæfo , tres coronas , quas fœtens ille Sophista magis , quam P hilosophus , Phavorinus , sibi ipsi gloriabundus imposuerat ; nescio , an idcirco admirabilis , ut ipse credebat ; an potius superbus ; ( M ) Quod Gallus græcè loqueretur ; Quod Eunuchus de adulterio causam ageret ; Quod cum Imp. ( Adriano ) contendet , & rriveret : hoc est ( ut tantum ultimam paraphrasin addam ) quod culex in vastissimum

Oo

leo-

leonem involet, pungat, & stillulam sanguinis exfugens, dormientis somnum rumpat; Ille verò in istius corpusculo neque membra inveniat, quæ suis unguibus dilaniat; neque ossa, quæ dentibus minutim conterat. Hancne vos generositatem putatis gloriacione dignam? Virtutem, quæ stupore ac plausu excipiatur? & tamen excipitur: sed ab quo hominum genere? non volo, id ex me audiatis; sed à Plinio Jun. ad amicum suum Luper-cum, velut in imagine propositum adspiciatis: (N) *Vides*, ait, *qui per funem in summa nituntur*, *quantes soleant excitare clamores, cum iamiamque casu* ri videntur? Sunt enim maximè mirabilia, quæ maximè insperata; maximè periculosa, quæ grandi sunt subiecta discrimini. Ita fit cum istis, tam desperatè periclitari amantibus. Nemo eos in aëre videt, qui non obstupefacat, quod eos humi non videat tali casu affictos, unde nūquam surrecturi sint. Et sanè permultis ita evenit: non enim temeritas semper secum fortunam habet: neque mirum est, si qui diu cum fune lusit in aëre, eodem denique sine joco aut implacetur, aut elidatur, Non omnibus contingit mordacitatem suam tam leviter luere, (O) uti Philemoni Poëtæ: qui simul Cygnus Vulturem agens, in pauculis versibus, quam cantaras, non pauca vulnera Regi Magistrum faciem inflixerat. Sedi ite non aliter se effigieatus, quam ut armigerum mitteret, qui Rego gladio cervicem insapi tangeret soldum, nec

nec re aliâ factâ dictâ discederet: ostendens, quantò pronior esset ad beneficiendum magnanimi Regis animus, quàm ad maledicendum malefiderati Poëtæ lingua vel calamus.

Verum quidem est, *studium* illud, uti Columella (P) vocat, *locupletissimos quoque allatrandi*, compluribus pro arte vivendi usurpari; desperatiùs etiam contra Grandes in eum finem, ut, sicut canibus vel mordacibus, vel latrando importunis, ita ipsis objecto pane os obturetur: cùm enim quid accepere, tacent. At ubi eos fortè deturpandos sibi sumunt, à quibus neque metuant, neque sperent, id èò faciunt, ut apud alios metum sibi aut spem præparent; quò velut intempestum mare, eos cogant tantum jactum anticipatò facere, qui sufficiat ad redimendum submersionis periculum. Evidem aliud omnino speciosissimè obtendunt; ut qui optimè cognoscant, quàm infame & dedecorosum sit hocce *studium*: quapropter in id præcipue contendunt, ut quàm honestissimum colorem maleficio suo possint illinere. Verùm hic ita aptus est, ut vel talpâ magis cæcus sit, qui non advertat, Æsopicum asinum, licet rudendo se non prodat, tamen leonem non esse; quamvis eius pellem induxit. Prætexunt pulcherrimum Libertatis nomen: quam qui amet, ut ipsi faciant, nullius omnino rei respectu metuque, non posse id utique, nisi ab animo eximiè generoso, veréque magno profici sci; imò in ipsis à

tam vehementi ardore ( non tantum tenero quodam virtutis Zelo) oriri, ut si quem eorum videre contingat , necesse sit vel eminus proclaimare; viam cives; machina procedit: *Tertius è celo cecidit Cato*. Sicut Alcibiades fortè cum uno rixatus , qui & robore, & dexteritate prominebat, cùm se ab eius pugnis & amplectibus expedire vi nullâ posset, dentibus ei in faciem involavit. hîc alter exclamare ; hem canem ! itâne me ùt femina coñordes? mentiris, ajebat Alcibiades : ego te ùt leo mordeo. Ita hi magnorum obtrectatores, gloriösè de se perhibent, & ab alijs credi volunt ; neutiquam id caninam rabiem , aut muliebris vindictæ genus esse , quorum tota armatura in lingua & dentibus est ; sed generosi Leonis indignationem esse , qui in terrâ Iustitiae Custos sit, sicut in caelo Astræa, cui stat omnino vicinissimus; eâ utique de causa, ut in eos mordendo irrumpar , quicunque illam violare ausint. Ateniæ itâne ipsi vivunt procul ab omni culpâ, vites integri, vitiorum puri. ob quæ tantopere contra alios excandescunt ? (Q) Lingua nigra infirmi , medicorum judicio ; lingua maledicæ obtrectatoris, Plutarchi testimonio, malignitatem cordis significat, lethali ardore succedit, & ille apparenſ nigror fumosa quædam fuligine est, à corde exhalans. O si etiamnum Diogenes viveret ! quanto ille hos faniosos diabolos hîus caninæ Philosophiae dñeib[us] infestaretur , quam olim (R) Grammaticos percutiebat.

qui diu noctuque aliud nihil severius agitant, quam per singulos quasi passus, evagantis in Homeri Poëmate Ulyssis errores vestigare: cum interim pessimè concinnata ipsorum vita pluribus vitijs scateret, quam Ulysses toto intinere passus fecerat, donec à Trojā in suam Ithacam remeaslet.

Et hactenus quidem de ijs dixi, qui aperte maledicentiam factitantes, quamvis plus imprudentiae habeant, magis timeantur, & ubique exosi sint; re tamen verâ non itidem magis sunt alijs improbi ac damnabiles. Etenim quando compertum est, ipsos hoc alienæ famæ oblaedendæ opificium profiteri, & velut per naturam male linguatos esse, fit, ut calumnijs, quibus infamiam aspergere alijs conantur, tantò minus fidei tribuatur, quantò certius de ipsorum malignitate præjudicium communis opinio vulgavit. Pessimi omnium sunt, qui occulti: tantoque primis pestilentiores, quantò facilius est, se à professo hoste defendere, quam ab insidioso proditore. Horum perniciossima ars in eo desudat, ut judicij sinceritatem profitantur, merita percenseant, & egregias dotes infelicum illorum, quorum navem sibi perfodiendam sumserunt. itaque id, quod in ijs commendabile existit, illi non laudant modò, sed supra communem modum, usque ad culmen admirationis extollunt. Hoc modico mellis velut ad promulsiđe propinato, nequissimæ vespæ jam Oo 3 secu-

securè aculeum figunt, & tam acerbè noxièq;  
illius, paulo antè perquani ardenter celebra-  
ti famam dilacerant, ut prodigium fuerit, si  
quis tain perfidæ linguae jam non plus, quām  
proprijs oculis credat. Et tanquam hoc ad-  
huc parum sit, en fraudulentissimæ sincerita-  
tis ingenium, quo clavum semel fixum, à ter-  
go prævalide retundunt: estq; planè id ipsum,  
quod frequenter Seneca in Historicis repre-  
hendit; nec tamen destitit spem et factitare:  
(S) cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, tamen  
aliquam rem nolunt spondere; sed adiiciunt; penes auto-  
res fides erit. Satin' igitur verum est, quod aje-  
bam, alteram istam maledicentium speciem  
longè illâ superiore, quamquam pessimâ, de-  
deteriorem esse? tantò profectò, quantò verior  
ille Cornelij Celsi Aphorismus est; (T) acute,  
quām retuso telo vulnerari commodius est. Minùs no-  
cet gladius, qui gladij more ferit, quām qui  
baculi modo tundit: nō enim sanguinem fo-  
ras proliicit, ut curari vulnus possit; sed intus  
sinit, non sine mortis periculo computrefcere.

Philostratus Jun. in suis imaginibus eti-  
am ex eo celebrat pictoræ ingenium, quod  
vel cum ipsa cerussâ sciat Aethiopem ita ad  
verum expingere, ut nēmini possit affid,  
quām niger Africanus videri. (V) minutulus  
ille ac simus nasus, & oculi plani, & labiorum  
repandus tumor, & pellis infuscus nitor, &  
capitis densum crispata lana, nihil nisi candi-  
dus color sunt; neq; tamen Oedipo illuc opus  
est,

est, ut dicas, Maurum esse. Avertant superi, ne  
vos unquam talis peniculus simili colore de-  
formet; id est, infidelis lingua, candorem sin-  
ceritatis obtrudens, quo nigrum faciat; lau-  
dans, quod acerbius criminetur. Verum igitur  
est, quod, sicut ad extremum unus tantum  
scit, quantum alter; ita quantumcunque im-  
proborum malitia satagit se se abscondere, sa-  
pientum tamen oculi non minus in eam dete-  
genda sint lyncei: & hoc PESSIMUM INIMICO-  
RUM GENUS, LAUDANTES, (uti Tacitus (X)  
quosdam ævi sui homines appellavit) non pol-  
lit se ijs, qui vel parum cauti sunt, celare. sicut  
enim, cum Taurorum cornua auro & Coro-  
nis ornabantur, signum erat, eos ad victimarij  
securim destinari; ita cum isti gloriosè &  
præconicè de quodam prædicant, constat,  
illud tristissimæ accusationis esse exordium;  
trucidandi innocentis præparamentum; non  
sincerum honorandi desiderium. Prorsus uti  
Domitianum, spongiam illam humani san-  
guinis, audisse magnificis verbis virtutem  
Clementiæ celebrantem, ecce quam bellorum  
operum illud præsagium fuerit: (r) nunquam  
tristiorum sententiam sine præfatione clementiæ pro-  
nuntiavit: uti non aliud iam certius atrocis exitus si-  
gnum esset, quam principii lenitas. Et hem! quid  
non mereretur, qui encomia starum isto-  
rum fallacium contumelias, eiusmodi sar-  
casmo occuparet, quali Martialis Fescenni-  
am, bibacissimam mulierem perstrinxit: qua  
Oo 4 cum

cum omni horâ mero se perlueret, tamen quod turpissimæ rei notam evitaret, odoratos idem pastillos masticabat, fœtorem vini aromatum gustu emendans.

(2) *Notas ergo nimis fraudes, deprensaq; furtæ*

*Iam tollas; & SIS EBRIA SIMPLICITER.*

Et quantum est de pestiferi Oris Averno, sit hucusque abunde dictum. Prius tamen, quam finiamus, videntur etiam quorundam aures vellicandæ, tam libenter ijs vacivas præbentium, qui aliorum facta liberrimè criminantur: & ubi virili pugno sceleratorum ora deberent obserare, demonstratione voluptatis, quam audiendo percipiunt, eas latius aperiunt: nec fastidiunt, tam immundæ cloacæ vomitum suis auribus excipere. Si obrectatores, sicut sunt Basilisci, etiam eminus venenato flatu perniciem adspirantes, ita Basiliscorum instar exosi, omnium consortio prohiberentur, quam beata foret innocentia, beatus & mundus.

(44) *Ante venena nocens, latè sibi summovet omne*

*Vulgus, & in vacuâ Basiliscus regnat arenâ;*

Scripsit de hoc monstro Poëta. At ego debiliore quidem arguento, spero tamen plus efficaciam ad persuadendum me inventurum. Si enim oblocutoribus etiam anima fœtet, nunquid id morbi genus, cum ex natura venit, tam insupportabile videtur, ut in nullo honesto congressu eum quis vicinum sibi velit, cuius halitus olet? O miserum humanæ mentis stuporem, & in cognoscendis veris malis

malis prorsus obcæcatæ ! Itâne impudentissimus Obtrectator pestilens suum os , velut *Cloacam Maximam* , coram vobis aperire ausit : & tantam imminunditatem spurcitiemq; , quanta sunt ea mala , quæ de alijs narrat (& de vobis alibi renarrabit) vobis in os offundere : id que vos patiamini ; quin imo gratum jucundumque habeatis ? & hoc pacto ei audaciam , quam de se non haberet, subministretis ; imò auctiorem faciatis ? Accipite, quod de aspide, venenatissimâ serpentium, haud dubie verum est ; sed de maledicâ linguâ , nihil sanè minus pestilente, longè est verissimum :

(Bb) *Ipsa CALORIS EGENS, gelidum non transit in orbem*

*Sponte suâ, Niloque tenuis metitur arenas.*

*Sed quis erit nobis lucri pudor ? inde petuntur*

*Huc Lybiæ mortes, & FECIMVS ASPIDA MERCEM.*

Lingua maledicta tam infamis res est, & obtrectare negotium tam erubescendum, ut dubitaverim dicere , an calore, an audaciâ sit praeditum. Non reperitur , ubi regio est frigida , ubi nausea & fastidium eius audiendæ ostenditur. Ibi tantum nidulatur , ubi *Obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur*, uti principio suæ Historiæ Tacitus scripsit. Qui gustum inde monstrat , eam prolectat , invitat, ad se setrahit, non minore suo , quam aliorum malo ; facit aspida mercem.

Non mihi persuadeo , si id vobis accideret ,  
Oo s quod

quod pluribus cognovi accidisse, ut impene-  
trabile illud naturæ miraculum intueri oculis  
deberetis, quando mustela (quidquid demum  
occultæ violentiæ illud sit, quod eam ad hoc  
adigit) viva, atque ultiro, in os spurcissimi bu-  
fonis irrepit; ipsâ naturali commiseratione  
urgente, vos ab innocentis bestiolæ defensio-  
ne temperaturos, quin arrepto saxo voraci-  
simæ pesti caput & fauces elideretis: dum ista  
immobilis aperto rictu, fixisque in misellam  
trucibus adstat oculis, quæ huc & illuc trepi-  
dè cursitans, semper tamen propius, non sive  
stridulo ejulatu, suum in interitum raptatur.  
*Quod si tam* vilis animaculi miseratio vos tan-  
geret, tangat sanè multò justius hominis, con-  
tra quem venenata bestia, nempe obtrectator,  
feralem rictum aperit, ex eo pastum sibi factu-  
rus. *Servate* innocentis famam in columem,  
quæ ipsi præ vitâ suâ est carior. simul vos met-  
ipso servate, ne in partem tantæ inhumani-  
tatis veniatis: quod sanè fiet, si maledicenti  
animum addetis, sermone illius benevolis aú-  
ribus admisso. O quām prudenter Simonides  
eum repulit, qui ei referebat, multos ipsi apud  
se detrahere: (*Cc*) *ecquando tandem defines*, in-  
quit, *AURIBVS CALVMNIARI?* nam si minùs  
linguâ, auribus certè obtrectat, qui eas obtre-  
ctanti auscultantes facit. Denique si prohibe-  
re non licet, quominus ante vos linguae male-  
dicæ compareant, facere tamen cum eorum  
baiulis licet, quod Imp. Nero (*Dd*) cum Tiri-  
date;

date: qui negabat, se in publicâ célébritate, quâdo ab eo coronari Rex Armeniæ debebat, sine gladio comparere posse. igitur illi gladius clavis cum vaginâ confixus fuit. Ita Rex gladiatus, Imperator sine periculo fuit. Sit ita, non possit detractoribus acutissima lingua sua penitus avelli: at verò intra os illam religare potestas erit; illâ aspectus severitate, ex quâ intelligere debent, in vestrâ præsentia de alijs aut sibi bene loquendum esse, aut tacendum.

A. Laërt. *in vita Plat.* B. c.45. C. Nat. quest. l. 2.c.ult. D. Plut. *de audac. Poëtar.* E. Id. *de curiosit.* F. Flor. l.1.c.13. G. L. CARBONVM. L 56. H. *de ira.* l.3.c.30 I. Plut. *in apopht. Lac.* K. Sen *in Medea.* L. Plut. *de primo frig.* M. Philostr. *in vit. Soph.* N. l.9.ep.26. O. Plut *de cohib. ira.* P. Praef. l.1. Q. Plut.l.c. R. Laërt. *in Diog.* S. l.4.nat.qq.c.3. T. l.5. c.26. V. lib.2. c.10. X. *in vita Agric.* Y. Suet. *in Domit.* c.11. Z. l.1.ep.55. Aa. Lucan. l.9. Bb. *ibid.* Cc. Stob. serm.16. Dd. Dio. l.63. Xiphil. *in Nero.*

### XXVIII.

## SCYLLA ET CHARYBDIS. DESPERATIO, MINORIS MALI FUGA, IN MAJUS PRÆ- CIPITANS.

**S**Cylla & Charybdis inter omnia maris monstra maximè terribiles, divisum inter se fretum tenent, quo Italia ab Sicilia dirimitur: cuius extrema claustra hinc atque illici obſident.

(A) Dex-

(A) *Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis.  
Obfides; atque immo barathri ter gurgite vastos  
Sorbet in abruptum fluctus; rursumq; sub auras  
Erigit alternos; & sidera verberat undas.  
At Scyllam cæcis cohicit spelunca latebris  
Ora exortantem, & naves in saxa trabentem.*

At ego, qui utramque pluries de vicino per-  
vidi, ut eas vobis quam naturalissimè depin-  
gam, neutquam Poëtarum phantasijs opus  
habeo; id est, rabidos memorare Molosso de-  
Scyllæ lumbis circumextantes; aut fallacia  
Virginis ora pube tenus; ac geminam subin-  
de caudam Pistricis ac Delphinis, in imum  
denique commissam. Evidem Scylla & Cha-  
rybdis sunt monstra, sed naturæ: unum insi-  
diosum, alterum violentum, utrumque vo-  
racissimum: eo folium discrimine, quod Cha-  
rybdis immani gurgite, quem ceu gulam ape-  
rit, integras naves vorat; Scylla fortè cru-  
delior, eas primum intra sua saxa minutim  
confractas conturbansque, deglutit. Charybdis  
piscatorum more, grandi ambitu rete jaciens  
tum, donec ex orbe collectum, angustè in ri-  
pâ colligant; eminus ingentes, sed lentissimos  
gyros voluit, unum intra alium (uti milvus  
in æthere orbem ex orbe necit) sed quantò  
arctiores, tantò rapidius incitatos; quibus  
quidquid semel complexa est, ad grandem in-  
tus voraginem trahit, ubi demum etiam se-  
ipsam absorbet. Scylla non se extendit; sed  
intra se, hoc est, densa scopulorum suorum  
confra-

confraga immobile ſedens, oppenitetur, donec  
tēmpeſtas illic rapidiſſimo impetu incitari ſo-  
lita, miſeros navigantes ei velut intra fauces  
importet. Denique Charybdis velut in insidijs  
quietē ſe convolvens, prædas agit: Scylla vio-  
lentiæ plena, irruere, tremere, tonare credi-  
tur: tantóquē per cautes ſuas tumultu furit,  
reciprocatis in ſeiplam undis, ac longè in al-  
tum eliſis exæſtuans, ut vel eminus tam fero  
aſpectu ſui terrorem ſpargat. Nec tamen id  
navigantibus pro iudicio ſervit, ut hinc conen-  
tur profugere: namque ubi viciniūs accelle-  
rint, ita animis conſternantur, ut nec arte uti  
jam poſſint. Id verò malorum longè eſt peſ-  
ſimum, quod mutuis ſeſe auxilijs ita juvant,  
ut qui unam evitaverit, in alteram incida:  
quandoquidem maris huius cursus, nufpiam  
alibi tam instabilis, & ad lunæ mutationes va-  
rius; ubi vel minimaus Austris flatu accesserit,  
ultra omnem modum insanit. Charybdis ve-  
rò occulto quodam, & paucis cognito refluxu,  
iſtar torrentis contra Scyllam fertur: ita quas  
naves illa non apprehendit, iſta, niſi filum exi-  
tiosi fluxus quam cautiſſime perruperint,  
retractas ſibi ingurgitat. Igitur parum exper-  
tiſ, neceſſitas quædam incumbit pereundi  
per quam antiqui illorum desperatorum con-  
ditionem figurabant, quibus cum neque tan-  
cum mentis fit, ut miſeriam ſuam poſſint evan-  
dere; neque tantum animi, ut eam ſupportare  
veſtiant, ſeipſos in maiores etiam erutinosa  
principitant.

Om;

Omnium haud dubiè miserrimus est, qui nescit esse miser: qui velut oppignerato sibi Fortunæ monte, ratus, se debere esse felicem, ubi spes suas & facultates delapsas videt, quasi in auctarium, seipsum in eandem ruinam devolvit. Num vobis aliquando accidit, ut serenissimo cælo, tranquillo mari, aspirantibus à puppi placidissimis auris altum ingressi, aut nostri Mediterranei, aut magni Oceani, ubi jam nihil nisi Pontus & Aether in oculis erant, momento, & celerius quam in theatro scenarum facies se convertunt, omnia vobis in contrarium mutarentur? diffugerent sidera, & nubibus densum agglomeratis, germinaretura tra nox: tum violens subiret Lybicu vel Eurus, tam furiosam conciens tempestatem, ut non esset quisquam tam Stoicus, cui non animal simul ac vocem terror eriperet, ad sola vota precésque durabilem? Tum fulminum temitus, undique circumsonantium; & undarum mugitus, immanibus procellis inter se adversum concurrentium: adhac crebrè intermicantes fulgurum ignes, quorum lumen ipsi tenebris horribilis, super nigrorum fluuum dorsa discursans, perpetuam impendentis exitij speciem oculis repræsentat. Inde ventorum inter se præariantium furiosi frenitas: inde maris, à fundo usque convoluti insana agitatio: inter quæ miserabilis pinus, velut de Alpestribus jugis in imas vallum voraginest identidem jactari, ac præceps ire; neque aliter

aliter gemere , quām si in momenta solutis  
compagibus ruinat̄ factura sit, procellis nunc  
in hoc, nunc illud arietantibus latus: quando  
jam etiam mali laxūm titubant , & antennæ  
defractæ sunt , & apertis latè rimis mare na-  
vem occupat , etiam desuper ab omni jam  
parte insultans. Hinc ultima spes in levamento  
esse; & vectores nautis juncti, quantis possunt  
viribus , properè exonerare navem : non jam  
mercibus, nō alteri instrumento parci: vita so-  
la pretium habere. ita demum cum rate emer-  
gitur, quæ jam parabat subsidere, Nunquam  
tamen videritis , quantumvis alia omnia pro-  
fundo data sint , etiam gubernaculum fuisse  
abjectum. (B) quid enim salutis superest ei , qui ami-  
serit clavum ? Sine hoc necesse est navem ire ,  
quod eam venti proisciunt , modò rectâ , mo-  
dò in latus , prout undæ impulerint : nequa  
ex arte modus erit, vel illis obviam eundi, vel  
eas declinandi , vel per aduersas perrumpen-  
di: sed arbitrio tempestatis objecta, sensim aut  
aquis operietur , aut seipſam aperiet , & in  
fundum ibit.

Quodsi servato adhuc clavo , superante in-  
eluctabili tempestatis violentiâ , ventis unda-  
rūmque lubentiaæ navis permittitur , donec  
in aliquam terræ oram ejiciatur, tum videri-  
tis, ubi alvi compages dissolvi primūm incipiunt  
vectores undique in mare desilire, natatu ſive  
à mari , ſive à navi ad salutem evadere qua-  
rentes: & ecce timor est, qui eos præcipitat;  
quam

quam ipsi audaciam putabant, optimam consultatricē. Cūm verò impossibile sit, impetum insani maris aut sustinere, aut perfringere, arte, animoque, ac viribus superatis, amaram bibunt mortem, & in abyssum feruntur. Vidi ego ipse in tali periculo constitutus, permultis, cūm jam vix decem passus à terra abessemus, miserabiliter submersis, renovari, quod Poëta de Romanis in Africas Syrtes impulsis cecinit;

(C) *Nondum sparsā compage carina,  
Naufragium sibi quisque facit.*

Quantum autem nunc dixi de insuperabili maris violentiâ; de jacturâ, quâ vel in viti nostra perdimus, ne perdamur; de temoris quoq; ad extremum abjectione, & eorum vesaniâ, qui metu prosilientes de navi, ne percant, pereunt; id totum è dictum est, ut ostenderem, quām inconsultæ rationes, violenta consilia, ac miserabiles effectus sint, quorum Autor esse Desperatio solet. Ista quasi naturalis Impatientiæ proprietas est, ut miseris consilium auferat; estque longè verissimum quod in se expertus Poëta, de omnibus affirmavit;

(D) *Crede mihi, miseros prudentia prima reliquit  
Et sensus cum re, consiliūque perit.*

Id, quod paulò ante dixeram esse, gubernaculum tunc amittere, quando maximè necessarium foret: & quo perdito proximum sit, te quoque ut perdas. Tanta est nigrae pituitæ clivies, quæ miseris illis cor inundat: unde tanta fustissimi fumi nebula sursum evaporet,

rat, cerebrumque offundit, ut haud secus, quām in ijs, qui acutā febri ardent, Imaginatio turbetur, ac manifestissimē deliret. igitur opnia umbrarum plena sunt, formidinum, terribulum, furiarum, quæ extremis angoribus tristissimum pectus excruciant, ipso Poëtarum Tityo peius, qui immortale jecur non satiando vulturi in pastum præbets.

(E) *Et nocte reparans, quidquid amisit die,  
Plenum recenti pabulum monstro iacet.*

Torquentur nocte tristissimis somnijs; sed non minus interdiu vigilantes cogitationibus suis excarnificantur: ita ut jam Infernum quendam tolerare credi possent, nisi Desperatio adhuc spem aliquantillam admitteret, posse fortassis malorum suorum exitum reperi. Hinc inquies in omnem partem agitatio, nihil furore clementior: donec se præsentis mali fugiendi studio, in maius aliud concrexint, quod stultè, quia cæcè, & ideo solūm eligunt, quia remedij quandam speciem præfert, sed non nisi longinqui. At verò qui mederi affictis rebus illud auxilium possit, quod deterriorum facit; neque aliter sensum ruinæ tollit, nisi præcipitio, quo elidit?

Igitur his perinde uti cervo (F) evenit, cuius in caput irritata fame Aquila insedit. namque ubi inter cornua bestiæ ungues cervicibus infixit, agitando alas, quidquid pulveris ante de industriâ volutatu per arenas collegerat, totum in trementis oculos excutit, illato pariter & terrore, & cæcitate. Nec ille in

§94 *XXVIII. Scylla & Charybdis.*

tam gravi metu quidquam moratur, quin ad extre mas furias adactus, præcipitem capessat fugam ; nec unde, nec quò feratur, discerens. At illa neque alis fugientem cœslans percellere, neque rostro in fronte ferire, eousque trepidantem impellit, ubi sui nescius, & periculi cœcus, ex præaltæ rupis crepidinibus, in subjectam vallem repente effunditur, mox cruentæ venatrici pabulum futurus : quæ ad primum ruentis impetum omissa præda, in apertum evolans aerem, non sine festo clangore, famis fuæ felicitati applaudit. Vah ! quam multos desperabunda pauperies in præceps egit : ut pro infami lucro, suas ipsi carnes aliorum libidinosæ fami, & famenti libidini objicerent ? Quam multis persuadet, ut vel Providentiam Deumque esse negent ; vel non credant, ab eo videri sive ipsorum merita, quæ nondum sentiunt præmiata ; sive aliorum scelera, necdum punita ? Quam multos frustrata Principis gratia, litis opulentæ amissio, competitæ dignitatis negatio, frustra deamatæ sponsæ desiderium, ad venena, laqueos, undas, præcipitia impulit ? Animi concitatio, quæ illos rapit, simul etiam obcœcat. Etenim si vel parum mala sua prospicerent, id potius facerent ; quod Spartanus ille : (G) qui cum juratō spopondisset, de rupe quādam deflaturum ; tibi in eius apice constituit, & formidabile circà profundum oculis est emensus, resiliit, ad amicos ; nesciebam, inquiens, ~~nam~~ *hoc maiori voto indigere.* (G) Quis

**Q**uis verò unquam credidisset ( neque abs re erit , pauculum istud hoc loco interjicere ) potuisse Stoicam sapientiam , quæ aliàs confidentissimâ ambitione sibi arrogare ausa est , (H) tantum inter Stoicos , & cæteros sapientiam professos interesse , quantum inter Mares & feminas ; tantopere delirare , ut sui ipsius occisionem , quâ nihil etiam ab amente fieri potest magis inhumanum , & minus excusabile ; non modò approbaret , sed suaderet etiam ; & tanquam generosum , egregium , & heroicum facinus dilaudaret ? Et ubi Martialis , nugarum & jocorum ( suâ ipsius sententiâ ) Magister , solo naturæ philosophantis lumine quam optimè pervidit , ac etiam enuntiavit de Fannio quodam , qui seipsum peremerat , quod se ab inimici periculo liberaret ;

(I) *Hic rogo, non furor est, ne moriāre, mori?* è contrario isti , de fortissimis vulneribus detrumpali sanguine , de maximo animo , & plus quam humano pectore (K) Catonis Jun. qui , ut Cæsar's iram evaderet , seipsum pugione confederat ; quas non laudes accumulant , inter prodigia supremæ virtutis , gloriæ , veræque philosophiæ id factum recensentes? Quod (L) Massilia in Gallijs , quod Julida in Cæa Ins. præparatum , ibi in pulvere , hinc in poculo , exitiabile venenum asservârit , ad finiendas miserorum civium calamites , qui id levameni petiissent ; haud negaverim , aliquid moris barbari olere : non tamen eousque abo .

minabile: quod id nulli concedebatur, nisi prius accurato examine de causis pétitionis publicè fuisset judicatum. posteaquam enim concordi sexcentorum sententiā (quot nempe veteris Massiliæ senatum implebant) pronuntiatum erat, miseri ægritudines & prælongas videri, & dolore insupportabili, ac sine humano remedio esse, tum verò pietas habebatur permittere, ut longam miserabilis vitæ mortem, liceret brevi horâ commutare, quæ illam pauculis toxicis sorbitionibus, & celeri pectoris oppressione terminaret. Verùm Stoicus (accipite, amabo hominis pietatem, ad quantam ne quidem crudele illud naturæ, & nescio cuius Philosophiæ monstrum, Timon quidam, Misanthropus pervenit: hic enim nullum sævitiae suæ instrumentum, nisi infelicem arborem habuit, quam gratis commodabat aptabatque illis, qui se ex eâ suspenderet voluissent) ille autem vos & impensè allicit, & muliebris ignaviæ reprehendit, nisi paratis; & venena, funes, sicas porrigit; æqua monstrarat, & flumina, & puteos, ubi vos mergatis; & montium prærupta, unde vos deiiciatis. (M) quocunque respexeris, ibi malorum finis est. Vides illum præcipitem locum? illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum pureum? libertas illic in imo sedet. Vides illam arborem brevem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas. Vides irrgulum tuum, guttar tuum, cor tuum? effugia servitatis sunt. Nimirum operosos exitus monstramus, & multum animi

*animis ac roboris exigentes. Quæris, quod sit ad libertatem iter? quelibet in corpore tuo vena.*

Huic non ut aliæ sunt, simpliciter stultæ; sed insolitum furiosæ immanique passioni, notandum est, eos præsertim esse obnoxios, de quibus velut in proverbium ivit illud, *ex Beato Miser.* Ab uno extremo confessim transire ad alterum, tam est naturæ insupportabile, ut quandoque lethale sit. Atque ita ijs accidit, qui in sublimi vitæ conditione positi, sive natalium sorte, sive propriâ industriâ, aut alieno beneficio; si forte ad miseriariū humarum profundum oculos demittunt, tam certò putant, similia sibi eventura, quam nunc ab ijs procul sunt: siccirco forte, quia (*N*) *Imprudentium ista fiducia est, Fortunam sibi spondere.* Quare ubi deinde Catastrophe aliqua inexpectata incidit, hem, quæ animi tormenta subeunt, & inconsolabiles planctus, & non infreenter desperatissima consilia? Vah! exclamabat pæne irragiens immenso dolori suo, Dionysius ille, paulo antè Siciliæ Rex, nunc apud Corinthios ludi Magister; quoties ferulam manu prehendens, sceptri recordabatur, quod tam vili instrumento permuttere debuerat; (*O*) *quam beati sunt, qui à puero infelices fuerunt.* Et sanè id ipsum congerminare poterat famosus ille Licinius Crassus; cui immensa opulentia Locupletis cognomentum dederat: quicum subito conturbasset, rebus omnibus hastæ subjectis, uno die pauper, mendicus, &

miser factus est: ac (P) ita quoque amarā sigillatio-  
ne non caruit: qui dum *Egens ambularet*, *Dives ab occur-  
rentibus salutabatur*. Quæ res illum utique ad de-  
sperationem adigebat: cùm videretur sibi to-  
ties de novo ad inopiam recidere, quoties ipsi  
& opum suarum in mentem veniebat, & præ-  
sentis inopiæ ludibriū pensitabat.

Et sanè si videre lubet, quas cordis oppres-  
siones, animique angores efficere possit despe-  
rabilis ex altissimâ fortunâ in miserandæ  
calamitatis abyssum prolapsio, euge, videa-  
mus eius rei exemplum; & Alexandriam Æ-  
gypti nos transferamus: ubi in intimo palatij  
penetrali auguremur, quidnam rerum misera-  
Cleopatra machinetur, posteaquam constitu-  
tum jam habet, priùs se mortuam in manus  
immedicabilis sui doloris proiecere, quām vi-  
vam Augusto, & servam, ad ignominiosam  
posteriorum memoriam reservare. Atenim  
ut sine periculo spectatores simus, aliquantu-  
lum discedamus ad hoc latus; ut ne aliquis  
venenatus vapor ab illis fornaculis medicis  
transpiret, nōsque vento apportante lethali-  
ter inficiat. Ego vel eminus vobis ostendam,  
quanti periculi foret, si velletis propinquius  
contueri. quippe ibi mors non solum animata,  
sed tormento ignis etiam exacerbata, si pera-  
liquod illorum clibanorum fumariolum nos  
versus evaporet, non segnius nos peremerit,  
quām nos eam cum aëre traxerimus. Jam illi  
herbarum fasces, tristi viore pallentium,  
quos

quos ibi videtis, merum aconitum, Napellus, Cicuta sunt ; plantæ maleficæ ; queis pestis in succo natat, & vegetabilis mors in venis crescit. Illæ segmentorum minutæ, etiamnum sectili animâ palpitantum, & reptare volentium, sunt viperarum, aspidum, Cerastarum, Scorpionum, & Rubetarum pessimæ reliqui : quarum caudæ, fel, capita in illos clibanos con gesta sunt, lento ardore excoquenda : donec flos quidam, & purissimus toxicî spiritus inde hauriatur, turbidum quendam vaporem submittunt, qui sub turbinis camerâ in liquorem densatus, lentis minimisque guttulis foras destillat. Ipsa vero Regina pallida & consternata, quæ inter circumiacentes in terrâ moribundos, ac miserè discruciatos sedet media, nunc hunc, nunc illum aspicit, observans per singulos livorem vultus, & convulsiones membrorum, & sudorem ferali angore expressum, & pectoris arctati palpitantiam, & animam inter gemitus deficientem ; omnes denique motus & symptomata pereuntis vitæ : illa, inquam, famosa Cleopatra, Ægypti Venus : quæ devicto in acie M. Antonio, suo Marte (quia adulteriorum suorum complice) (Q) eodem prælio & ipsa suum Regnum, & desperatione vivendi animum amisit : ne comparere triumphata debeat ac serva, mavult à seipsâ perimi adhuc Regina. Igitur quia Basiliscum non habet, cuius solo aspectu enecetur, in illis infelicibus mortalibus vim pharmaco-

rum, quæ decoxit, explorat: singulorum prægustum per illos capiens, priusquā ipsa unum sibi deligat combibendum. Quia verò omnium gustus & tormenta displicent, omnia repudiat. nam quæ minùs lèvè cruciant, lentiùs etiam perimunt: atqui sic diutiùs vivere, longum mori est. Quorum autem potentia atrocior, ea brevi quidem morâ expedient; sed dolore insupportabili. atqui illa cūperet acerbam vitam dulci morte permutare; quæ ipsi teneriter proliceret animam, non evelleret. itaque simul ac repente vellet extingui; sic nempe, ut levi tantum suspirio expiraret. Cùm igitur inter artefactas mortes, & manu laborata exitia tale nullum reperiat. Aspidi mordendum brachium exhibet, cuius veneno dormiens intereat: rata, sic mori aliud non esse, quām somniare se mori. Annon autem hoc est ab uno extremo transire ad alterum, extremè remotum? Reginam Ægypti, cuius unicum & continum studium fuit, meracissimum merum, & ut dicunt, extractum, seu quintam essentiam sapidissimarum deliciarum bibere, quas per viginti duos annos, quibus Regno præfuit, in omni genere voluptatum, summa arte Regalis potentiaz cliquare, quām exquisitissimas solitārat; ad eam infelicitatem redigi, ut jam ipsamet sibi toxica decoquat, & funestissimas mortes? idque propterea, quod nec vivere sciat, nec beata esse; multò minùs esse misera, quod nunquam fuerat? & tanquam

id



INA, al

Ad

## TERRA





141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

141815

id nunquam esse posset, semper præsentibus gaudens bonis, nunquam vel à longè cogitārat, id evenire sibi unquam posse? Jam verò miserijs miseriter onerata, penitulque oppresa est. Cùm Amante enim animum amisit: cum coronâ & caput, & sensum: cum libertate denique seipsam totam. Quare non est antidotum reperire venenatissimæ tristitiae, quæ illi cor intoxicatebat: non Dictamnum, qui sagittas ærumnarum illius extrahat: non aliud eius desperationi, nisi in morte, remedium.

A. Æneid. l.3. B. Veget. l.4. cap. ult. C. Lucan.  
l.1. D. Ovid. de Ponto. l.4. Eleg. 12. E. Sen. in Thyest.  
F. Plin. l.10. c.4. G. Plutar. H. Sen. de Constant.  
Sa. pinit. c.1. I. lib.2. epigr. 80. K. Val. Max. l.3.c.2.  
L. Id.l.2.c.1, M. Sen. de Ira. l.3.c.15. N. Id.l.4. de be-  
nef. c.34. O. Stobæ. serm. 272. P. V. Max. l.6. c.11. Q.  
Plut. in Anton.                   XXIX.

## MARE MORTUUM. NOBILITATEM SANGUINIS, IGNOBILITATE MO- RVM AMITTI.

**Q**uia rem ipsam sub oculis habetis, faciliter consentietis, extra omnem iniuriae culpam Geographos esse, qui hunc infelicem Iudeæ lacum, mutato Asphaltites nomine, maluerunt MARE MORTUUM appellare. Ipse situs immobilis, quem neque ventus ullus ciet, vel leviculè percellit, mortuum ostendit: Intolerandus foetor, quo totam circum viciniam

corrumpit, cadaver esse probat. Quod autem tot jam saeculis in sua corruptione incorruptus persistit, id eò accidit, quod pice in aquas liquatâ conditus est: quas illa tam steriles noxiâsque facit, ut neque nasci ibi vivens quidquam, aut conservari possit: adhæc tam graves atque densas, ut etiam saxa injecta supernantent. Neque tantum mortuus est infaustissimus lacus, sed etiam sepulcrum mortuorum; quatuor populosissimis urbibus, cum tota regione, quæ ad miraculum usque omnibus delicijs florebat, uno naufragio (seu potius incendio) absorptis. Non ergo vos miseret amoenissimi fluminis Iordanis, qui in hoc ipsum secundum, nigrum, & foetens Mare Mortuum se effundit; sub cuius ostium de industria vos adduxi? Ille inter Libani Cedros prognatus, quæ ipsius fontales cunas coronabant, in planitiem descendit: ubi, quidquid amoenissimum aquarum circumjectis è collibus ac montibus profluum, undique felicis foli ubertatem interluit, suum in alveum derivat: unde identidem seipso major ac turgidior, per mille anfractus superbum evolvens amnem, præcipuas quasque civitates præterfluit; mirè omnium agros foecundans. Itaque si uberrima regio, quondam Cælo tam propitio usâ est, ut lacte ac melle manaret, id sane ab Iordanem mutuata erat: ipse Cedris, Palmis, Olivis, Balsamo, frugibus, laudatissimisq; vineis, majori ex parte pro succo vitâq; habitus. Ita medio

dio ferè itineris sui spatio subsistit : repertóque grandi terræ sinu , intrò diffusus , non piscosum minus , quam amœnum lacum efficit , incolis Genesareth dictum . Hinc velut ex seipso renatus , aversa egreditur parte : rectissimoque cursu à sempemtrionibus in Austrum vergens , ad quinquagenas leucas emeritur . Hic verò intuemini miserum & commiserabilem gloriæ suæ , ac limpidissimam amnis finem : dum & illam , & istum , in hâc foetentissimâ cloacâ sepelit , velut in pestilentem Avernum projectos . Quod ipsum multò cum ingenio Historicus subnotavit : (A) *amnis amœnus , Asphaltitem lacum , dirum naturâ petit , à quo perirem ebitur : AQVASQUE LAVDATISSIMAS PERDIT , PESTILENTIBVS MISTAS.* Quâ in re videre mihi illud videor , quod non raro videri contingit , clarissimæ Originis sanguinem , longo lustrorum cursu inter Balsama , Palmas , & Cedros , id est , ex maioribus , virtute , liberis , gloriam , in pace ac bello clarissimis , feliciter descendenter , denique in uno aliquo , à priorum virtute & egregio spiritu penitus degenerante , si non omnino extingui , certè plus quam foedè conspurcari . Quod si Seneca Demetrij Cynici , amici sui dictum , (B) *qui vitam securam , & sine ullis fortunæ incursum , MARE MORTVVM VOCAT ,* suo quoque judicio approbandum putavit ; eo quod iners ac pigra sit , cui nulla fortunæ adversitas spiritum ad audendum aliquid præclarum suscitâ ,

scitārit ; quantò péjor illa erit , quæ in turpi otio putrescens , ceu morticina vitijs suis dis- solvitur ? quantò proin major ratio mihi sup- petit , eam MARE MORTUUM vocandi ? Sed primūm videamus , quantâ cum veritate di- catur , majorum gloriam à descendentium ignonainiose factis ignominiam accipere , im- pernitiem.

In thesauro Romanarum Antiquitatum inter eas , quæ pretio & arte maximè celebран- tur , prægrandis imago M. Sergij monstratur , hastarum , ensiūmque iictibus excisa : digni profecto , quem , si Roma septem fortēs , quot Græcia Sapientes , numerâsse , utique inter primos collocaret . Tot tāmque amplis vulne- ribus pectus viro perfoſsum erat , ut jam novo vulneri locus , niſi in vulnere , deeflet ; nec jam membra , ſed cicatrices feriri poſſent . In prælio quodam dextram amiferat , prorsus in ipſa brachij commiſſurâ præcīſam . ergo ferream ſibi aptari curavit ; tamēſi non pro voto ſatis ad bellī munia obedientem . igitur finistrā orſus ſe exercitare , brevi tempore eo- uisque profeuit , ut uno die quatuor ſubinde prælijs interfuerit , vivus atque victor , quam- quam confoſſis ſub ipſo pluribus equis , me- dios inter hostes deſtitutus . Bis in bello ſub Hannibale captus ; totos viginti menses , feri leonis instar , ferreis compedibus vinctus , in eufodia fuit : utrobique tamen partim vi , partim ingenio ſeſe ad fugam expedivit . Ad

Tici-

Ticinum, ad Trebiam, ad Thrasymenum, ubi post cruentos, & advertos Romanis confitutus; pene de libertate ac salute Italæ actum fuerat, ipse militaria præmia & civiles coronas promeruit. in ultimâ demum clade ad Cannas, ubi honorem ac titulum victoris habuere, quicunq; de Rom. per confertos hostes sibi viam ad fugam aperuissent; Sergius sub Hannibal oculis fortissime pugnans, in eodem vestigio constitit: donec trucidatis circum se plurimis hostium, & suorum compluribus servatis, geminæ victoræ gloriâ insignis, ad castra se recepit. Hic igitur campus gloriae Sergij, hic meritorum cursus, honoris & triumphi fuit. At ecce MARE MORTUUM degeneris cuiusdam nepotis; in quo omnia illa tot trophæa periēre: (C) *Beatus profecto tot suffragiis gloriarum, nî haeres in posteritatis eius successione, Catilina, tantas adreas, odio damnati nominis obumbrâset.* An enim non putatis, vicenos illos ternos sanguinis fonticulos, quos acceptis pro Patriâ vulneribus Sergius effudit, non perisse in mari quodam sanguinis, quando Catilina cum suis conjuratis, totam nobilitatem Rom. ad cædem ac macellum destinavit? Illas Coronas ob servatum civem, quas minimum decies ē bello Sergius reportârat, non omnem penitus florem tunc perdidisse, cùm sceleratus Pronepos consilium inijt, totius Pubis Rom. trucidandæ? Decertaverit sanè Sergius sub Hannibal oculis: at Catilina alterum ac peior?

peiores Hannibalem in seipso resuscitavit: sic ut *Fabio Maximo*, qui *Ducem Poenum* longè ab *Romæ manibus* submovit, non inferior *Ciceronis gloria* fuerit, qui hunc *Patriæ ever-sorem*, & jam ferrum cervici omnium civium -*infligentem*, Urbe finibusque expulit, ob id alter *Patriæ Pater* nuncupatus.

Similem in modum *Armodius*, nobili quidem prosapiâ oriundus, sed perinde flagitijs contaminatus, cùm *Iphicrati*, fortissimo Atheniensium Duci, patre furore genito, exprobrare originis vilitatem ausus esset, egredio retusus responso, obmutescere debuit: cùm ille inferret, (D) *meum genus à me incipit tuum in te definit*. Ita filio *Scipionis Africani*, homini nequissimo, amici anpulum de digito abstracterunt, in cuius gemmâ tam famosi viri, sed per filij scelera infausti patris, facies insculpta visebatur. Ita inter *Æneam & Neronem*, quorum ille primus, hic postremus Regij Cæsarum sanguinis fuit, non sine jucundo æquivo-co, memorabilis illa oppositio fieri potuit, quod *Æneas* quidem patrem de incendio supra humeros asportasset; iste verò (C) matrem crucidasset.

(E) *Quis neget, Æneæ magnâ de stirpe Neronem?*  
*Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.*

Itaque ipso adhuc superstite, famosa illa *Laurus* (F) ab radice exaruit, quæ familiae Cæsarum, quorum gloria tot retro sæculis florentissime viguerat, miro prodigo triun-phalos

phales coronas proferebat. Ita & de alijs agitur, qui à progenitorum virtutibus fœdè deficiunt : ut adeò superfluum sit, in hoc argumento longius diffundi. Illud ergo potius videamus, quod non minus verūm est, nobilitatis peræquè magnam dignitatem, atque obligationem esse.

Et quod ad primum attinet, relinquo Satyricis suas fannas, cùm obganniunt :

{G) *Tota licet veteres exornent undique Cere*

*Atria, Nobilitas sola est, atque unica, Virtus:*  
& multò magis Stoicis suam vecordiam, quā Nobilitatem perpetuò allatrant ac mordent ; perinde ac si ipsi omnem bonum sanguinem, quēm illa à generosa vetustate derivatum infē habet, vellent exugere ; simūlque eos spiritus detrahere, qui eam, ut ipsi quidem putant, contra jus ac fas animo elatiorem faciunt. quasi verd inter sanguinem & sanguinem non major intercederet differentia, quām inter varias aquarum venas ; quantumvis una per marmoreos canales deducta, per Satyrorum būccas & utriculos in Pariam Concham defiliat, non sine jucundo murmure, & liquentis argenti lusu: altera naturali genio de pumicis scabré crepidine scaturiens, ubi sub rusticā specu, in simplicis typhi lintrem se defudit, inde per horti & agrorum viciniam, inter scrupulos obstrepentium lapillorum margines, & silvestrium herbarum adnascentia oscula, impidum rivulum evolvat. Ita inter Africanos

*mang*

mannulos pro fatuo rideretur, qui, ubi ad metam cursu certandum est, sibi idcirco bravium deberi contenderet, quod per longam successionem maiores suos oftenderet, perniciitate pedum victores extitisse; explodendus, si vel Pollucis Cyllarum inter tritavos numeraret. In eundem modum Stoicus decernit: (*H*) non facit Nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemio in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit Nobilem; cui ex quacunque conditione supra forunam licet surgere. Ita quidem ille pro more, & genio supercilijs sui, ipso Catone rigidioris: qui ipse ob eandem causam, ut Cicero refert, in petendo consulatu Romæ repulsam tulit, quod de hominibus judicaret, non prout in populo Rom. reperiebantur, sed in rep. Platonis. similiter planè Senecca, non multum existimationis obtinet, quando de rebus humanis contra communem hominum, etiam prudentissimorum opinionem, sententias profert: cum videatur eius Philosophia potius idæalis duntaxat esse quam ad usum huius mundi, in quo nunc vivimus, accommodata: cum quam proinde merito ad Democriti mundos amandetur, inquisitum, si forte quempiam invenerit, cuius habitatoribus ea melius convenire videatur, quam nobis.

Profectò enim Patres in filijs, avi in nepotibus renascuntur. Quodsi jam illorum merita & virtus, etiam in ipsorum statuis non sine honore recognoscuntur, quæ tamen sive ex mar-

marmore, sive ære sint, mortuæ tamen sunt, neque sentiunt; quantò magis in vivis eorum. Imaginibus, nempe filijs & nepotibus, eādem carne concretis, eodem genero sanguine atque spiritu animatis? Reperire est familias, in quibus omnes, qui ab eādem stirpe descendunt, inde ab materno utero impressum sibi certum generis characterem ferunt, seu linneamentorum, seu maculæ alicuius, seu quidam aliud. Neque id nobis satis pro documento erit, quod natura in paucis tam signanter facit, id re ipsa in omnibus evenire? nempe generationem esse quandam sui in alios transfusionem, ob quam in posteris progenitores debeant agnoscere? quid igitur causæ est, quominus pariter eorum merita, ac honor in estimationem veniant: ita uti in quavis familia, qui ultimus est, certum in modum viva historia, & compendium sit majorum suorum? Aut fortè etiam barbararum gentium iudicio æquum censembitur, ut arces, villæ, tituli, privilegia & jura, quæ præclari homines in remunerationem eorum, quæ in pace aut bello eximiè fecerant, operum accepere, hæreditario nomine ad eorum posteros devolvantur; ipsorum autem gloria, quæ summum ac præcipuum illud fuerat, cuius gratiâ tam impensè pro rep. desudârunt, cum ipsis eādem humo obruatur: neque in manus eorum familiæ, hoc est, ipsorummet sanguinis deveneriat, velut pretiosissima possessio & patrimonium.

Qq

nium

nium domui suæ jure optimo maximo acqui-  
situm? Verum haud est opus super hoc diu-  
tius aut contentiùs litigare, cùm in id facile  
omnes, etiam maximè peregrinæ linguae to-  
tius Orbis consentiant: omniumque sæculo-  
rum mores istud, ceu naturale benè operan-  
tium privilegium, firmum ac stabile tuean-  
tur; (K) *Gloria parentum, thesaurus est filiorum:* ita  
quidem, ut per quam justè agi omnes auto-  
ment, cùm pænæ nepotum facinoribus com-  
meritæ, in favorem progenitorum condonan-  
tur. Cùm enim juxta Jurisperitorum, ut illi  
vocant, *fictionem legis*, utriusque unam personam  
constituant, æquissimo jure fit, ut reus in in-  
nocente absolvatur, ne innocens videatur  
iniquè fuisse in reo castigatus. Quod quidem  
ita verum est, ut, nescio quo pacto, Stoico pu-  
blica illa professio de calamo profugerit; (L)  
*Hic egregiis maioribus ortus est. ergo qualisunque est,*  
*sub umbrâ suorum lateat.* Unde si Athenarum ur-  
bem, quondam fortissimorum Heroum vir-  
tute, & doctissimorum Philosophorum sci-  
entiâ celebratissimam; postea vero per quam  
multa suorum maleficia dignam, de qua  
memorabile vindictæ exemplum mundo sta-  
tueretur; tamen Julius Cæsar ab excidio con-  
servavit, ad priorum virtutes potius, quam  
præsentium perversitatem respectans: & ad  
memoriam præclarum fore arbitratus, si di-  
ceretur, (M) cùm multa deliquerint Atheniensis;  
*mortis conservari:* quantò magis ita de ijs existi-  
man-

**equum**, quibus non tantum cum præclaris viris commune solum, sed per generationem idem omnino sanguis est? Proinde manet id id nunc probatum, quod initio posueram, nobilitatem magno in pretio habendam. Sequitur jam, ut ostendamus, non minus obligationis pondus vicissim illi incumbere.

Qui super suorum merita levatus incedit, prægrandi basi stat impositus, præclarâ majorum gloriâ coruscans: simul tamen grandibus mundi ludibrijs expositus, si pro eo, ac deberet ingens gigas esse, ac vastissimæ stylobati respondens, pygmæus tantum sit, vix duorum palmarū longitudine ab humo subrepens; qui (*N*) parvus semper est, licet in monte confiterit. Peius etiam, si ut Plutarchus (*O*) observat, forte arbitrabitur, ad æquandum se Colossis id modò sufficere, si le in eam formam jactabundè protollat, quâ stulti sculptores Colosso solebant, cruribus laxùm divaricatis, pectore extante & colliculo, capite tam arduo, ut prope à truncō separatum, videatur velle in cælum discedere; ita ille superbo incessu, ac rigentis modo extentus, perinde ut si supra montium cacumina ingrediatur: adhæc in seipso absorptus, non aspectu amæniore, non fronte affabili, multò minùs urbanâ corporis inclinatio ne quemquam dignabitur; haud aliter, quam si ipsius Majestatis statua foret: vel ut Epictetus (*P*) optimè facetissimèque loquitur, ac si Vaticanum Obeliscum deglutisset, etiamnum

intra sua viscera erectum. Huiusmodi, ut  
recte Seneca. (Q) NOTI MAGIS, QUAM NOBIS  
SUNT. eosdem Plutarchus (R) Cervis ait  
esse simillimos : quos propter cornuum in  
fronte altitudinem, licet quidem vel eminus  
conspicere ; nemo tamen pro bellico gene-  
rosoque animali reputabit, cui geminum illud  
hostile, tot acutis robustisque cuspidibus  
armatum, ad actiones nobiles, generoso pe-  
ctore dignas serviat ; nisi forte æmulatione  
contra amorum suorum rivales suscep-  
ta. Non aliter illi, qui de suis glorioſis progenitoribus  
aliud nihil, nisi duas ramosas plantas paterni  
maternique stemmatis, in fronte portant,  
infructuose ipſimet, ac infauſtæ stirpes :

(S) *Quis enim generosum dixerit hunc, qui  
Indignus genere, & preclaro nomine tantum  
Insignis?*

Igitur pergit Poëta, nō debere vestros Avos  
duntaxat in vestrâ fronte posse suos titulos,  
auro scriptos legere; sed suarum etiā virtutum  
imitamenta inspicere : unde appareat, etiam-  
num in vobis optimi metalli venam perenna-  
re, ex quo ipsi fuere compositi : ita quidem,  
ut si omnes nunc in lucem prodirent, singuli,  
ac præcipue ij, qui cæterorum meliores fue-  
rant, de vobis illud Spartanæ matris (T) di-  
ctum, glorianter pronuntiare possent ; que  
cùm egregia filij sui gesta sibi denarrari audi-  
ret, forte tunc in cruento proelio occisi ; sed  
non aliter quam ferocis leonis instar, qui non  
ferit

ferit, quin vulneret; non vulnerat, quin occidat; ipsa ad singula eius fortitudinis exempla, gaudio collacrimans repeatebat: *nimirum meus erat.* In summâ, ut compendio, quantum dici potest, edicam, tales vos esse decet, ut, si unquam arbor vestrorum natalium, quocunque demum infortunio amitteretur, eadem vestrorum Avorum decora perinde invobis relucerent, ut nemini esse ambiguum posset, vos ex eorum gente ac progenie esse. Sic negante Lyco Herculem Jovis filium esse, Amphitryo prudentissimè ad irrefragabilem probationem, nempe opera, provocavit.

(V) post tot ingentis Viri

*Memoranda facta, postque pacatum manu,  
Quodcunque Titan ortus, & labens videt;  
Post monstra tot perdomita, post Phlegram impia  
Sparsam cruento, postque defensos Deos,  
Nondum liquet de patre & mentimur Iovem?*

Quod si verò non modò maiorum virtutibus careatis, sed insuper propria vitia adijcatis, percipite, ad quid Illustrissimæ Domus splendores unicè valeant; (X) ut loca sordida repercuſſu ſolis illuſtrantur, ita inertes maiorum ſuorum luce reſplendent. Imò non ſolum ad id valent, ut omnium oculis & abominationi pateat tam detestabilis vita, qua velut ad vivos ſolis radios exposita, mundo celari non potest; ſed etiam, ut eius dedecus & vituperatio tantò magis ageatur: poſte aquam omne maleſicium tantò maiorem reprehensionem incurrit, quanto

Qq;

magis

magis ab auctoris sui statu & conditione alienum est. Unde meritò Aristoteles Gorgiae facetiam, velut jucundissimè dictam, memoria commendavit, cùm ille hirundinis rusticitatem, quæ fortè transeuntis caput suis immunditijs commaculārat, ita duntaxat vituperavit, ut diceret; fœdum facinus, O Philomela: namque (ut Philosophus (1) eius dicti causam prodit) volucri id utique fecisse turpe non erat; Virgini autem turpissimum: jam verò Nobili quantò turpius?

Eant nunc tales, & plenis buccis Genitorum suorum merita laudésque nobis recantent; id quod frequenter ij potissimum faciunt, qui quām minimè deberent: ut qui sub alienā pulchritudine conantur suos defectus obnubere: ita ferè, sicut mancipijs, quæ in foro nuda vœnum prostabant, teste Stoico (2) mangones faciebant; quā parte corporis labes quædam comparuisset, eam sericā quāpiam tæniā obvelantes: ita ut ornamentum putaretur, quod operimentum vitij; & fallaciæ ingenium erat. Igitur quantumcunque simplices isti sibi persuadeant, posse se objectā Avorum claritudine, quibus unicè gloriantur, aliorum oculos obsc̄care; rē tamen vera res ipsis omnino procedit in contrarium: & quidem eapropter, quodd contrariorum propria solet illavis esse, ut inter se opposita, mutuò se magis in notitiam producant; ut in isto exemplo, ad propositum peraccommodo, dilucidè

lucidè videbitis. In grandi illo stultorum theatro , quale , me hercle , tempestate Senecæ Roma erat , plena infinitæ multitudinis ex omni , etiam raro fatuorum genere , aderat Calvisius quoque Sabinus ; homo de unâ aquæ guttulâ , & modica pulveris scobe oriundus , ut ranæ per æstatem nascuntur. Verum uti ea tempora huiusmodi prodigiorum erant foecundissima , ita ille brevi ad tantam pervernerat magnitudinem , ut quod Æsopi rana non potuerat , id certè potuerit Calvisius ; bos factus & patronij amplitudine , & honorum ; maximis de populo ipse maior : simul opimitate ventris , & stupiditate cerebri , nulli saginario tauro non modò non secundus , sed omnibus facile superior . adhæc tam infelici memoriâ , ut ultra duas , aut summum tres , sed bene breves voculas , capere plus haud posset : & si plures intrare vellent , necesse foret , priores antè egredi , & in oblivionem abscede-re. Nihilominus tantum habebat misellus iste recordandi desiderium ; imo per ambitionem jactandi , scire se , quantum quisquam ætate sua sciret ; ut (accipite quæso bellissimam hominis longè ingeniosissimi inventionem , quæ sibi ipse memoriae inopiam supplevit ) centum millibus (nescio cuius monetæ ) electum ser-vorum gregem comparaverit , usque ab Ori-ente coëmtuin : quippe quos non nisi excellenti memoria præditos , & Græci idiomaticis callentissimos vellet. Hos ubi in manum ha-

buit, eis velut scenicis, suas cuique partes distribuit, quas memoriā complecti deberent: Hesiodum uni; duobus Iliadem, & Odissæam Homeri; novenis alijs totidem Lyricos: atque ubi suum singuli pensum optimè didicerant, haud secus, ac si ipsorum capita trunco Calvisij essent infititia; ita credebat id ipsum se callere, quod illi omnes: nec jam erat aliud super, quam ut eius rei specimen amicis daret, ad sumtuosissimum epulum invitatis. atque id vixdum ad summum processerat, cum ille audiendo inquietare convivas: & uno solùm oculi noctu, modò Patrem Homerum, modò Hesiodum Pindarumue excitare, & Sappho, aut Divinum Orpheum, & quotquot alij aderant ad recitandum constituti. quod cum illi perquam expeditè facerent, tanta Calvissum oblectatio rapiebat, ut vix lacrymis temperaret: reputans, quantò nunc plus à priori tempore scire didicisset, nec tamen literarum abundantia ad insaniam redigeretur. tantum potuit sibi homo fatuus persuadere. Et quanquam idem memoriā laberetur, quando Poëtis suis aut Polyphemi excæcationem, aut raptationem Hectoris recitandam imperabat, aut ventos utre clausos, aut equum Epei, aut Sinonis fallacias; ac idem nomina permutaret, Ulysssem pro Achille, Polyphemum pro Sinone, Agamemnonem pro Priamo nominans, vel Hecubam pro Circe: aut Pindarum juberet Theogoniam dicere;

dicere; ab Hesiodo Cantilenam Olympicam exigeret; neutquam eo commovebatur, perinde ut si nemo propterea eum pro immemo ri haberet. namque (Aa) in eâ opinione erat, ut putaret se scire, quod quisquam in domo suâ sciret. Ex quo epiphonemate tam dilucido perspicitis, opinor, clarissimè, quidnam respiciat ita de Calvisio narratio: id scilicet præcipue, non quod domi tuæ habéas, idem & in capite tuo esse: Dein sicut bovis illius oblivious, juxta servorum felices memorias exposita, manifestius prôdebatur; ita qui inter majores fuos potest præclaros viros monstrare, si ipsem est fungus sit & longè dissimillimus, tantu pejorem in ipsorum conspectu appariturum, quanto illi meliores fuere: igitur istorum gloriam ipsi ad probrum atq; dedecus prôvenire.

(Bb) Quod si præcipitem rapit ambitus atq; libido,  
Incipit ipsorum contrate stare parentum

Nobilitas, claramq; faciem præbere padendis.

Hunc in modum Plato in extasi Erâs, quâ decem filios de Rep. libros (C) terminavit, coram illâ manes improborum inducit, ad id supplicij condemnatos, ut ante Avorum suorum oculos procedant, quorum præclarum sanguinem, vitiorum suorum turpitudine commaculâssent, aliquando ne in plebeis tolerabili. Neque reor alia potius ex causa, quam ut posteros suos cum exempli venustate, tum improperij metu, ad æmulanda priorum illustria facta extimularentur; sole-

bant Romani ante palatiorum suorum vestibula, præclarorum virorum, qui illic olim habitaſſent, dimidiatas imagines, virili magnitudine, ex marmore vel ære expressas ſuffigere; circumpositis, quæ ex hostibus retulerant, ſpolijs, enibus, armillis, hastis; coronis quoque alijsque pub. præmijs, virtutis eorum testibus: quibus & tituli jungebantur, & inſignia, & gestorum Magistratum splendor, ad quos per ſua merita ascendiffent. neque cuiquam fas erat, hæc decora inde refigere: ſed triumphabant, ait Historicus, (Dd) etiam domini mutatis, ipſæ domus. Et erat hec stimulatio ingens, exprobantibus rectis quotidie, imbellēm dominum intrare in alienum triumphum.

- A. Plin. l.5. c.15. B. Epift. 67. C. Solin. c.6.
- D. Plutar. in apopht. E. V. Max. lib.3. c.5. F. Suet. in Ner. c.39. G. Id. in Galba. c.1. H. Iuvén. Sat.3.
- I. Sen. ep.44. K. Plato in Menex. L. Sen. l.4. de be-  
neſ. c.30. M. Xiphil. in Iul. Cæſ. N. Sen. in epift.
- O. ad Princip. inerud. P. Arian. l.1. c.21. Q. de  
beſeſ. l.3. c.28. R. Orat.2. de fortit. Alex. S. Iu-  
vén. Sat. 8. T. Plat. in apopht. Lacon. V. Sen. in  
Herc. ſur. X. Sen. de Beneſ. l.4. c.30. Y. Rhet. l.  
3.c.3. Z. Sen. ep.30. Aa. Sen. ep.27. Bb. Iuvén.  
Sat. 8. Cc. Plutar. de ſis, quæ ſero &c. Dd. Plin l.  
35. c.2.

TERRA SANCTA.  
 SUAM CUIQUE DOMUM DE-  
 BERET TERRAM SANCTAM  
 ESSE.

**P**Ariter & Lacrimas doloris, & basia pij affe-  
 ctus, Venerando huic solo debemus: quod  
 non curiositate stimulante, ceu Geographi;  
 sed religione trahente, ut devoti peregrini,  
 nudo pede ingredimur. ea enim est TERRA  
 S A N C T A : quam convenit deosculari ob re-  
 verentiam eius, quod fuit; & dolentibus la-  
 crimis spargere, ob recordationem eius, quod  
 nunc est. Arrogantia fastuosi Jactatoris fuit,  
 cum Plinius Italiam suam eâ laude ornavit,  
 quòd sit (*A*) *numine Deûm electa, que cælum ipsum*  
*clarior faceret*: ea nempe de causâ, quòd illa pri-  
 mis illis falsis Numinibus, etiam secunda ad-  
 deret Imperatorum Rom. quos consueta jam  
 adulatio Senatus, solennissimâ Apotheosi in-  
 ter stellas reponebat. ex quibus tamen, siqui-  
 dem rite suis sedibus collocantur, non alias  
 possent constellationes, quam ex melioribus  
 quidem Centauri ac semibœtiae formari; ex  
 reliquis autem malefici Scorpiones, Capri &  
 Tauri, totis adulterarum gregibus maritatiæ  
 inmanes leones, ad edendas duntaxat hominum  
 strages, & orbis excidia nati. Verè autem talis  
 est hæc Terra; sola ex omnibus quæ in mun-  
 do sunt, electa, quæ cælum clarior faceret:  
 quod

quod ne quidem uspiam clarum, nisi hic duntaxat videre erat; quando, quidquid reliquum Orbis habet, tam densis erat tenebris sepul- tum, quam crassa ignorantiae & vitiorum caligo erat, quæ illum involuerat, hominumq; animos ab recti studio, & veri notitiâ abdu- cebat; abyssus quedam obscuritatis, & nox er- rorum perpetua.

Hic naturalis prudentiae lac plenis currebat torrentibus, & mel supernaturalis sapien- tiae velut diluvio quodam de cælo depluebat; cuius dulcedine hodieque mundus perfriui- tur, venturis etiam saeculis suffecturâ. Hic supra Regum sceptra, velut in proprio caule, emicant pulcherrimi Virtutum omnium flo- res; & sanctitas illorum diademata corona- bat. Hic victoriosæ Dei Exercituum phalan- ges, ad Hebraeorum ducum signa nomen suc- centuriabant, castra ponebant, & in pugnam descendebant. Hic ineffabile illud Dei nomen: quod in fronte Sacerdotis duntaxat auro de- scriptum, ceu visible Numen radiabat, non magis mortalium cultu inclytum, quam be- neficijs. quibus mortales honestabat. Hic lin- gua cælitibus propria, Oraculis præclara, va- ticiinijs veracissima: Hic sacrorum musicorum tubæ, & Ministrorum Orpheia Organa, in dulcissimam harmoniam cum animorum af- fectibus concordantia, per vices cum superis choraulis, Dei laudes decantabant. Hic Ora- tiones publicæ, communia vota, & accensa suppli-

supplicantis populi desideria, sub sacri Thymiamatis fragrantissimâ nube, carlos transgressa; sub conspectum Dei se penetrabant, propitijs semper auribus admissa. Hic sacrificiorum immensus fumus, iratum fererabat æthera, & indignationis caliginem detergebat. Hic sanctissimæ leges cordibus animisq; insculptæ, fixius quam in lapideis tabulis habebant. Hic triumphales crescebant Palmæ, & odorata stillabant balsama, & incorruptibles virebant Cedri, pariter naturæ dona, amatum terrenum ita felicitantis; & mysteria earum virtutum, quibus felicissimi incolæ ex ornantur. Hic vera florebat Religio, & sincerus Dei cultus, sacerdotalique ritus: hic augustinissimum templum, cuius magnificentiâ & ornatu post cælum nihil elegantius; ubi Deus se mortalibus præsentem monstrabat, & Paradisi majestas sub nebulæ figurâ se videndam exhibebat. Ad summam, hic Deus Legislator, Magister, Armorum Dux, Judex, Consiliarius, Pater, Omnia. Quod si jam isti splendores omnem mundanam gloriam obscurant, magis quam sol meridianus parvulam ignis scintillam obumbrat; quid vobis videbitur, si dicam, ea non aliud esse quam splendores umbraticos; seu ut aliter dicam, non aliud quam umbras illius pulchritudinis; quæ postea huic Terræ tam amabilis mirabilisque supervenit, ut etiam Paradiſo invidiam fecerit: quando (id quod de illo dici non potest) vera patria,

patria & propria Dei mansio facta fuit? neque solum eius vestigijs honorata, quibus tantope-  
re Cherubini gloriantur, se posse sua capita  
subjicere; sed etiam lacrimis perfusa, & pre-  
tioso sanguinis diluvio inundata: cuius qui-  
dem hic loci cataractas tam largè aperuit, ut  
in mundo non sit pedis spatium invenire;  
quod non hunc etiam.

Verum ut intra terminos duntaxat apti-  
quitatis persistamus, vos ipsi eligit, quam  
in partem de quatuor mundi plagis potissi-  
mum procedere placeat, ad ea, quæ hic admi-  
rationem habent, curiosius inspicienda. Quod  
si tamen reverentia quidquam valet, passum  
non protolletis, quin pedem continuo retrahatis: ita nempe omnia miraculorum, myste-  
riorum, & sanctissimarum memoriarum ple-  
na sunt. Quam in rem liceat mihi quam ve-  
rissime illud hic usurpare, quod de famosa  
Troja Lucanus cecinit, jam tempore Jul. Ca-  
esaris inter ruinas suas consepulta:

(B) Tota teguntur

*Pergama dumetis: etiam periere ruine.*

& tamen ille inter rudera, reliquias membro-  
rum inquirit, super se mutuo coacervatorum:  
hic grandis illa turris stabat, Astyanactis præ-  
cipitio defamata: hic Pryami Regia: hic fa-  
talis porta, cuius dejecta moenia fraudulentu-  
equo aditum stravere: ecce campum, unde  
Ganymedem Aquila Jovi asportavit: ibi au-  
tem Scamandri alveus; ibi Idæus mons; Ec-  
ibi.

Ibi. sed quid me necquicquam fatigo , tan-  
quam possibile esset per omnia currere , &  
omnia percensere , quando (C) nullum est sine  
nomine saxum : Verum quantacunque Poëta-  
rum lubentiaz , aut potius furori , libertas fu-  
erit , quāvis in re chimæras fingere ; non ta-  
men de suâ ipsorum Græciâ , non tam historijs  
quām fabulis inclytâ , tanta commenti sunt ,  
ut sicut ad Trojam , omne etiam saxum cele-  
bre ac nominatum fecerint . Ita tamen pror-  
sus h̄c in Terrâ Sanctâ : ubi si ductum sacrae  
Historiaz sequemur , pedem non movebimus ,  
quin se miraculum euntibus offerat , myste-  
rium pandat , vestigium prodat admirabilis  
cuiusdam operis à Deo patrati . Atenim dum  
vobis aperio , qualis fuerit , tedium subit , lon-  
gius de cā memorare : dum aspicio , qualis illa  
hodie , & sub cuius dominatu , & quæ huius  
calamitatis causa & origo sit ; ita mihi dolor  
pectus convellit . Et tamen peius ipso etiam  
damno probrum est , & ignominia . Heu , male  
usurpata Christianorum arma ! Heu infesta  
vestra bella ! quæ si inter vos debellantur ,  
queiscunque demum nationibus contra se  
mutuò confligentibus , bella profectò sunt ci-  
vilia ; nec victoribus gloria , nec vicitis me-  
moranda : de qualibus Poëta canit ; (d)  
*bella geri placuit , nullos habitura triumphos.*  
& quid dico nullos ? si vestrorum præliorum tri-  
umphî pænes nostros inimicos stant ? ipsis vin-  
citis , dum vos invicem superatis . ipsis fortio-

res

res redditis, dum vos mutuò enervatis. ipsi  
otiosi spectatum assident; vos etiam non ad-  
vertentes, pro ipsis in acie statis. Vobis qui-  
dem dubia vertitur martis alea; ad ipsos ve-  
rò, quicunque demum è vobis vicerit, sem-  
per secura redit victoria. Verùm abstineo  
me longius ab tam lacrimabili argumento:  
quippe qui vos huc perduxerim, ut cum vo-  
luptate discessatis, non cum dolore ploretis. quid  
autem aliud discatis, quam ut quisque suam  
domum sibi Terram Sanctam faciat? Et qui-  
dem hâc super re nihil variato stilo, quem ha-  
etenus usurpabam, disputabo: neque telam  
hanc ex diversâ materiâ, partim lanâ, partim  
auro perteexam, sed mero simplicique linea  
filo.

Primum autem moneo, ne vos Sanctitatis  
nomen conterreat, persuasione minimè verâ  
imbutos, Sanctitatem esse Phænicem, qui  
nusquam videri dignetur, aud nidum stru-  
ere, nisi in felice Arabiâ; ubi omnes silvæ  
pretiosisstant aromatis consistæ, myrrhâ ca-  
stissimæ integritatis, & thure incensorum af-  
fectuum. Terrenum ipsum omni tempestate  
anni, & quasi omni horâ odoriferis illis lacri-  
mis complutum, de felici ac semper virente  
plantario stillantibus: unde aura ipsa tam  
suaviter adhalat, ut non modò nihil ingratia  
odoris unquam sentiatur, sed nec ipse paradi-  
sus credi possit aliter respirare. Quodsi vobis  
nihilominus allubescat credere, Sanctitatem  
eius-

eiusmodi Phænicem esse; etiam mihi credito, nostram Italiam, & vestram cujusque q̄um posse talem Arabiam esse, ubi illa quā libentissimē nidum ponat. Ubi autem naturæ quoque vires spectabimus, quanquam forte putabis impossibile id esse, tamen id fidei Columellæ, antiquo Romanæ Agriculturæ Magistro demus, qui suis ipse oculis vidit, Roma suo tempore, hoc est, sub Neronis Imperio, odoriferas Myrrhæ ac thuris stirpes paſſim in hortis effloruisse: (E) ac subjungit: *h̄is ex-emplis nimirum admonemur, cura mortuum obsequen- tissimam esse Italiam; quæ pæne totius Orbis fruges, exhibito studio colonorum ferre didicerit.* Quare vido-  
tis, in manu vobis esse, ut possitis ex vestris domibus parvulam vobis Felicem Arabiam condere; id quod fortasse rebamini, rem non nisi alterius mundi esse. Totum in vestrâ ipsorum industriâ sicutum est: namque terræ ipsius (per quam vestras intelligo familias, & ex parte præcipuâ vos ipsos) dispositio talis est, ut nullum pretiosissimorum fruticum ferre re-  
cuset: neque ullum bonarum cogitationum semen est, quod h̄ic non possit sedem capere; nec sanctorum operum radix, quæ non gliscat ipsa, h̄ic felicia germina mittere.

Et quia, si bene vosmetipſos pernoscatis, jam mihi pæne confectum erit negotium, ut illud, quod nunc mihi proposui, vobis demoni-  
ſtrem, in arbitrio vestro consistere, ut illa hu-  
mus, quam, quia nunquam vobis percole-.

Rr  
dam

dam summis, emortuam, sterilem, atque improlem esse putabatis; ad tantam fertilitatem perducatur, quâ prodigo similis, omnium admirationem provocet: rem unam auditote, quam in genere naturæ ceu miraculum suscipietis; quanquam ea aliud oinnino non est, nisi fructus industriae, & non magni laboris maximum emolumentum. Forte nunquam vobis ad aures nomen Tacepe pervenerit; civitas medijs Africæ arenis locata: populo frequens, & inter circumjectas horridas solitudines, mirifice rerum omnium abundans. (F) Loci amplitudo ternis fere millibus passuum per omne latus clauditur, *felici super omne miraculum irriguo solo*: quod totum varij generis arboribus spissè constitutum, nemoris speciem refert. Palmæ grandes ac plurimæ visuntur, quarum singulis olea subditur; huic ficus, fico malo punica; isti vitis supposita: sub vite feritur frumentum, mox legumen; demum oleris domestici & obsonij varium genus: *omnia eodem anno, omniaque alienâ umbrâ teguntur. Super omnia est, biferam nitem bis in anno vindemiari.* Cæterum tam prodigiosæ abundantia in solo tam angusto; (ubi fortè nō minorem admirationem varietas meretur, quam copia;) ecce cauſat, quam Historicus adnotavit. Natura ibi vivi fontis perpetuam scaturiginem aperuit; quamvis non maximæ venæ, largam tamen. At enim quomodo ista sola posset parrens ac nutrix esse tanto frutiçum populo, qui

qui inde crescit, alitur, ac fructificat, nisi habitatorum sedulitas in eâ bene utendâ omnem operam adhiceret? Igitur totam planitatem arcti modi fossulis & Euripis, quales undulantis rivuli capaces sunt, quaqua versum persulcant. Per has aqua certis horarum spatijs in incolas dispensata, gelidissimo humore alluit stirpium radices; cuius illæ sub tam vicini solis æstu semper sunt sicutientissimæ. Non quidem, quasi omnes continuò bibant: id enim nec ipsis prodesset; nec eosque fons unus posset sufficere: sed ingenio cataractarum & repagulorum nunc hâc, nunc illac deductus liquor, adaquat successim omnes. ita solum humectu commollefecit eatenus, ut etiam teneræ plantæ radices mittant. Tantum scilicet valet ad prodigiosam fæcunditatem, vel in mediâ solitudine plantandam, unicus fons rite solertèque usurpatus.

Egidem si hic vobis deest, jam ego causa cecidi; neque vos ego ratione ullâ possum reprehendere, quod vobis alicubi domus in eremum silvescat, non feracem eorum operum, quæ Legi, quam profitemini respondeant: aut venturo sæculo, ubi aut vitam infinitè beatam sperare, aut mortem nunquam morituras timere, sacra nos oracula jubent.

Verùm scio, non audetis de fontis inopiâ queri; quando etiam flumina, imò maria gratarum & cælestium auxiliorum vos inundant, per quæ possitis domos vestras, id est ani-

mas, TERRAM SANCTAM facere, quam Deus inhabitet, deamet, & singularibus favoribus locupletet. In eo igitur res consistit, ut fulcos aquæ aperiatis, suo tempore ad vestrum terrenum derivandæ : quod fit, (ut clarius totum, quod volo, edisseram) liberalitate inegentes, jejunio, Oratione, salutarium librorum lectione, & alio quocunq; opere ex virtute patrato. Adhæc licet vobis vestrisque subditis, (id quod materiales plantæ non possunt) vos ipsos, ut cæcus ille dixit, arbores ambulantes facere : & ad illa sancta loca transferre, ubi Gratia, quæ mater est spiritualis fœcunditatis, abundantissimè profunditur : eaque vos ad plenum exsaturare. Postquam ergo sufficienter de potestate probavi, eam vobis ad manum esse ; nunc de voluntate utendie à potestate dicamus ; ac de eo ordine, quem natura observat : apud quam primum esse solet, ut antiqua forma de subjecto expellatur, in quod nova deberet succedere.

Exoticum, quamvis si rectè adhibeatur, perutile erat consilium, quo Diogenes solebat (G) novitios suos discipulos instruere ; ut aliquando præter meritorium stabulum accederent, aut etiam intrarent, ubi infames mulieres mercatum faciunt : & cursim observarent, illa gestientium lenocinia, saltantium insolentias, inverecundos lascivientium jocos, improba ludentium dicta, & quidquid aliud libidinis ardor canibus illis, fædissimisque bestijs

bestijs dictat, in contemtum omnis modestiæ, continentiæ, honestatis, decori, boni moris, ac virtutis. Ita, velut de macello potentium jam cadaverum profugissent, anxij simul & indignabundi domum se reciperen: & quām optimè jam docti, quantum inter vitium & honestatem intersit, omnes sui angulos lustrarent, & ipsas adeo pectorum rimas scrutarentur, num quid non solum eiusmodi immunditiæ atque sordium adhuc delitescat, sed etiam annon saltem aliquis vitij odor menti adhæserit. Jam si vos manu vellem per loca, alijs etiam vitijs infamata circumducere; & eodem modo ea monstrare, quæ, si in vestrâ quoque domo fortasse invenirentur, extemplo ante omnia foras projicienda essent; foret id negotium non modò prælongi temporis, sed etiam non minus mihi, quām vobis periniucundum: tametsi aliud non facerem, quām sicut Solon quendam amicorum, extremâ mæsticiâ pæne consumptum, iuberem altissimæ turris tahulatum descendere, unde vobis totius urbis aspectus sub oculis esset; & monstratis unâ post alteram ædibus, aperirem, quidquid in singulis ageretur: ubi forte occursura essent, quæ neque sol posset intuens tolerare, quin tenebris flagitium, vel suos sibi oculos obvelaret. Etenim si in Seneca legistis, inveniri homines tam inveteratæ & audacis malitiæ, ut non modò de eâ apud se non erubescant, neque eam tenebris pallia-

re, aut silentij sigillo cūrent concludere, sed etiam cūm in theatris vident audiuntq; ad vivum ita repræsentari, ut populus illos digitis quoque designet ; scelerati illi (*H*) plan-dant, & viriis suis fieri convitia gaudeant ; credite mihi, tam effrontem improbitatem, ad quam denique velut ad culmem aut abyssum vitiorum potest perveniri, non pñnes veterem duntaxat Romam, & Neronis sæculum re-periri : omnis profecto ætas eiusmodi vecordes habuit, qui sibi gloriæ ducerent, de ipsorum familijs eam famam volare, esse illas, quales vidimus Capreas esse, & Thessaliam, & Strophadas, de quibus adhuc dicendi locus erit. Verùm ego omissis hisce veris, fictam vobis aliquam pro Orationis materia intuendam proponam, quam spero ad meum finem tantundem facturam, quantum nulla de veris.

Ista est Impietatis Aula ; quemadmodum appellari meretur, spurca illa & sanguinolenta Polyphami, Cyclopum principis caverna :

(I) Dj bene ! quod celerem

Natura retraxit manum,

Quando scelesti operis

Expavit ipsamet nefas :

Obstupuitq; feras

Nostris condi sub artibus,

Immanesque animas.

Reliquit ergo artem suam,

Abstinuitq; opere

Ab

Ab tam nefasto dexteram :  
Quippe mali quod habens.  
Damnosioris plurimum,  
Utilitate caret.  
Namque ubi ad Ingenij  
Malum calorem, nequior  
Mens volet ire comes ;  
Et improbas Potentia  
Tertia iunget opes,  
Hominum soluta legibus ,  
Temnere sueta Deos ;  
Mortale vah ! perijt genus :  
Nec reparare modus  
Supereft salutem. vincitur  
Improbitate mali Virtus, Ratiōque.

Quis vitæ tenor, quæ familiæ regendæ ratio  
apud Cyclopem fuerit, pestilentissimæ eius  
Maximæ nobis declarant, quas Euripides in  
eo dialogo adduxit, in quo ipsum cum Ulysse  
altercantem facit: quando iste injecto Su-  
rūm metu, timere Jovem iussit, scelerum  
omnium severum vindicem: conatus ad bo-  
nam mentem revocare virum, & à diro pro-  
posito abstrahere, quo ipsum sociosque furori  
simul, & ingluviei suæ immolare decreverat.  
Tum scilicet ille infrendere dentibus; simul  
& deridere vana ista mulierum terriculamen-  
ta: & flagitium hominis, inquit; cui tam pa-  
rum iudicij, quam multum dicacitatis inest:  
audi nunc, quam longè ego ab te dissentiam.  
Sapienti suæ facultates, suæ opes pro Deo

sunt ; quippe à quibus & vitam , & animi voluptatem habet. Unde ego, qui & ipse de Sapientibus unus sum , & tanto potior , quanto Major , & qualem me esse vides ; aliud Numen præter meipsum haud agnosco. Evidem memini, me de tuo illo Jove accipere ; irasci illum quandoque , & fremere , & intra cæcam nubium caliginem gravi cum murmure intonare ; non sine fulgurum spiculis , missilibus fulminum , quibus cælum ac terram consernet. At ego cum id audio , intra hoc cavum me recipio. tonet ille modò , quantum lubet ; & fulminet , quantum valet : solidissimæ istæ rupes , quibus meæ domus compages stat , tale mihi munimentum circumdant , ut vel mille fulmina , quæ de cælo jaculabitur , ad primæ crustæ contactum , vim aciemque suam defringant ; non alio tantæ iracundiaæ fructu , quam ut modicas aliquas silicis micas deiiciat. Hic intus supra lectum extensus , et si totus æther ruat , & mundus ab imo vertatur , securus dormio , & lætus epulor , seu vitellus , seu ferinaæ modius ad coenam promisit : ad quæ dulcem lactis cadum greges mei pocillantur , quibus ego potum imputo , & illæ mihi pascua sua debent. ita bellè satur ac vigens , ubi vestem mihi succutio , & versus cælum eventilo , eum fremitu reddo sua Jovi , ac paria fulmina. Quodsi ab Aquilonibus rigidum frigus incidit , & mista nivibus glacies undique terram astringit ; ne tum quidem Jovi supplico , quem dudum

dudum flocci facio : sed ad villosas meas veste<sup>s</sup>, & ligna, & focum recurro: & ingratij<sup>s</sup> li-  
cet Boreæ atque hyemis, me concalefacio. Jam  
Tellus quoque, velit nolit, herbam pecori meo  
producat neceilum est ; quod ego , (& memi-  
nisti, credo ) quoad lubitum , mihi ac ventri  
meo, utique Deorum omnium maxumo , he-  
catomben facio. Sapienter equidem : nam  
lautè esse ac bibere, neque curâ ulla tangi ani-  
mum, hoc demum est verè ac pro homine vi-  
vere. Aliter qui sentit , infinitis obruetur mi-  
serijs : quæ ut ei , quemadmodum commer-  
tu'st , etiam duplicatò eveniant, precor atque  
apprecor.

Hunc in modum Poëta disputantem intro-  
duct grandem illam Cyclopicam bestiam: &  
in eandem sententiam illa hominum monstra  
conrudunt , quibus non nisi unu<sup>s</sup> in fronte o-  
culus videt ; id est, Sensuum Cupiditas; altero.  
Rationis lumine orbatis. Quos si vestigare,  
necessè esset , ut olim Cyclopes in speluncis  
Ætnæ , vereor , ne tam facile foret integras  
domos in medio habitatarum urbium reperi-  
re , quām deprehendere multos eorum , qui  
haud secus , quām si neque Providentia, ne-  
que Deus in mundo sit , nunquam oculos ad  
cælum attollunt , velut ad eorum bonorum  
originem , quæ illis Terra subministrat: rati-  
fontem non ex mari provenire, unde adserpit;  
sed ex saxo, unde scaturit. Hinc enim putant,  
id ex necessitate quādam naturæ existere,

R r s      quod

quod ex liberalitate & beneficentia Dei habetur; sanitas, robur, sensuum vigor, membrorum integritas, uberes messes, copiosæ vindemiarum, fructuum abundantia, domesticorum negotiorum prosperi successus, numerosa sobiles, dignitates, honores, acumen ingenij, morum gratia, facilitas mentis; & quidquid in omni alio bonorum genere esse potest: id enim omne Dei quoddam munus est, talem in modum ab illo dependens, ut absolvi ab eo non possit; sicut neque radij à sole: qui inde usque ad terram se protendunt, adæquè in nos benefici, dum aureâ sua luce nobis diem accendunt, quàm dum corporibus vigorē instillant. Annon enim stultissimi, non solum ingratifiuerimus, si non alio argumento persuaderi nobis fineremus, illa esse beneficia; quàm si donatoris manus non minùs, quàm dona ipsa, nobis ad oculum fiat conspicua? Eius manus, eius dispensatores, eius Eleemosynarij, profecti omnes creaturæ sunt, quibus ipse non tantum præsens est, sed etiam intimus: atque illud duntaxat, ac tantum nobis dant, imò dare possunt de suo, quod, & quantum à Deo accipiunt, cum expresso nobis communicandi imperio. neque aliunde venit, quod aliquando nihil illæ nobis elargiantur, quàm quod ipse sua bona parciore manu pœnes se retineat. Quod ubi facit, quid illæ sunt. aut valent? id, me hercle, quod torrentis alveus, undæ vacuus aridusque, ad inundandum pratum valet.

Atque

Atque utinam non contingere, ut hominum major pars, stultorum more, nisi sub ferulae magisterio, sensum non recipiant. Hinc enim fit, ut ubi domum sibi sub pedibus intremere sentiunt, facultates in periculo jacturæ fluctuare, sub incerto stare honorem liberos, dignitatem, spes, & quidquid aliud in amori- bus ac voto habent; tum verò ea à Deo supplicabundi flagitent, à quo tunc primùm, ubi domum ille concutit aut proturbat, agnoscunt, eam priùs sustentatam fuisse. Valeat sanè non tam ad similitudinis quandam formam objiciendam, quàm ad rem ipsam memoriæ fixius imprimendam, mirum quoddam eventum, quod Petrus Martyr in sua Historia adnotavit, quam de novo mundo, illuc ex Europa profectus, conscriperat. India Occidentalis arbores gignit tantâ crassitudine, ut earum truncum octo & plurium virorum connexa per manus brachia, non complectantur: eâ insuper altitudine, cui Europa similes non fert: tantâ verò robustissimorum ramorum circumfusâ proceritate, ut impositis latè trabibus ac tabulatis inter se strictim commis- sæ, non ferendis modò palatinis ædibus, sed regalibus quoque palatijs firmos humeros supponant. Talem aulam habitabat Regulus ille Abibeiba; quando fortè ex improviso Vascus Nugnez ad arboris pedem comparuit, imperans, confestim ad se descenderet: habere se, quæ ipsi de plano & in aurem, nomine sui Regis

Regis communicaret. Indus in eo munimento aërio, subductis mature scalis, securum se contra Europæos ratus, quos utique alas in humeris habere non videbat, quibus ad se per auras niterentur; neque ullam Regis mentionem ad aures sustinebat admittere; neque aliter legationem, quam ex sublimi auscultare, ad loricæ adminiculum, unde prospectus erat, non sine fastu truciter reclinatus. Hoc responso irritatus Hispanus, exemplo suos jubet, expeditis, quas ex præparato attulerant, securibus, arboris truncō vim admovere. Vix dictum, cum tantus iratorum furor in opus incubuit, ut tum strepitu, quo nemus totum atque Aula personuit; tum volantium schidiorum assularumq; nimbo perterritus Barbarus, cum videret, propediem se, suos, simûlque totum palatium unâ ruinâ ad Hispanorum pedes præcipitandum, prioris arrogantiæ fastum posuerit. namque ferrum, & asciarum violens ac fulminea acies, qualem nunc oculis ipse metu comprobabat, nova eis res, & ante hunc diem incompta erat. Igitur expugnato metu Regulus ipse muliebriter vociferari; regem Nughij suum quoque regem velle; ipsumque Nughium dominum sibi, ac Patronum vocare: parcerent modò arbori, parcerent vitæ suæ, innocentique familiæ: atque dejectis celeriter scalis, non legnius ex alto decurrit ipse, quam si ab incendio erupisset.

Ita ijs ajebam evenire, quorum domus amæ-

amænissimo virore florens, atque omni tempestate anni fructificans, ad eam jam altitudinem sive eminentium honorum, sive immensarum opum excrevit, ut non videatur amplius terram contingere. etenim si alicubi paradisus terrestris est, in quo necesse sit mansionem figere; ubi id potius fecerint, quam inter frondentes ramos tam excelsarum & nobilium plantarum? Quare dum totum id, quidquid in felicibus ipsorum domibus boni bellique abundat, terræ duntaxat imputant, in quâ illæ radicem habent, & ex quâ etiam vitale alimentum assugunt, unde sustentantur & crescunt; adeò nihil de cælo cogitant, ut Deum, velut rem alterius mundi, nihil ad se se pertinere arbitrentur. Atenim fingamus, insonare dolabrarum crepitum, radicibus arboris minitantium; jamque non modicis frustis amputatis, id est, iteratis fortunarum jaeturis, immensam arboris vastitatem ad angusti stipitis tenuitatem reduci; adeò ut prodigijs instar sit, adhuc eam suo pede consistere; tunc nempe ad extremum sensus redit: demittuntur cum cristiis etiam manus, Numinis pedibus substernendæ: curritur ad poenitentiam, meliorumque promissa: oratur venia; & quidquid aliud metus novit suggerere, optimus probitatis magister: qui solus novit cerebrum fatuis mortalibus restituere, quod à Ratione prius mutuari nesciebant. Atque hoc jam tam commune fortunatorum quasi factum

tum est, ut de centenis vix denos reperias, qui suarum familiarum bona à Deo se habere recognoscant, priusquam eas vastatas depopulatásque conspexerint. Hæc verò tam exulta modicáque pietas, quid est nisi immanis illa Cyclopis impietas: à qua expurgandâ dixi, initium sumi debere in omni domo, quam volumus TERRAM SANCTAM facere. Videamus nunc, quid illâ procul effugatâ, introduci deinde oporteat.

Ex decem vel undecim carbasis, quæ in bene instauratâ nave ventis expandunt, quod eorum maximè sublime pendet, plurimum adiumenti affert: eiusdemque superior pars flatu longè potissimum oneratur, & ad propellendam navem valet. (K) *Nulla res æque adiuvat cursum.* inquit Stoicus, *quàm summa pars malitiae illinc maximè navis urgetur.* Cuius rei manifesta est ratio, quare aliter fieri non possit: quod nempe in tali machinâ Virtus eo loco maximè incipiat, qui à puncto, in quo effectus ostenditur, est remotior; sicut in staterâ vel longurijs, quibus moles atq; onera levantur, facile licet conspicere: quibus si quod pondus immiseris, tanto plus efficiet, quanto vicinius ad extremum caput pependerit. Pari modo illa adiumenta, quibus ad bene instituendam & sanctificandam domum opus est, inæqualem vim habent: majorem, quæ desuper à rebus cælestibus veniunt; minorem, quæ infernæ, in sollicitâ cura Patrisam. sunt réposita. Dicamus de

de utrisque pauxillum aliquid ; sed primò de primis. Qui cogitat habitationem potius pro vivis , quam sepulturam pro mortuis extrahere , ante omnia eò intentus est , unde lumen possit accipere. quem in finem audire lubet prudentissimum Vitruvij , Architectonices Magistri documentum : utique non multum ei hanc in rem laborandum esse , qui in libero apertoque campo ædificare velit ; quando cælum , unde lucis origo , omni ex parte de quatuor suis plagis , abunde vivi limpidique luminis illi affundet. Difficultatem tunc occurrere , quando intra urbium angustias ædificatur , ubi spissa inter se ædifica stant ; & non nunquam circumposita altissima palatia , omnem circùm viciniam non modò inumbanti , sed pæne cæcam faciunt , non nisi modico malignoque die admissio. Cui sanè malo non aliter , quam ingenio & arte Architecti provideri posse : (L) *ad summam* , inquit , *ita est gubernandum* , ut à quibusunque partibus cælum prospici poterit , per eas fenestrarum loca relinquantur . *sic enim lucida erunt ædificia.* Hoc igitur præceptum , quod in beneficium terrenarum domorum de materiali luce Magister tradidit , per quam appositiæ ad lucem spiritualem retulerò ; sine quâ domus animæ ( ita sanè dicendum est ) tantum Inferni habet , quantum tenebrarum ; quæ utique non minima calamitatum eius sunt portio .

**Qui proinde extra loca habitata ædificat ,**

**five**

sive (ut in cœptæ orationis phrasí progre-  
diar) qui extra mundum sibi duntaxat & ani-  
mæ bono, qui soli Deo vivit, sœcularium cura-  
rum negligens; huic nunquam deerit, unde  
tantum cœlestis luminis, & æternarum veri-  
tatum notitiæ hauriat, quantum necesse erit:  
quandoquidem nihil erit, quod ei cœlestium  
radiorum influxum prohibeat obstruatque:  
sed quamcunque in partem sustulerit oculos,  
undique cœlum sibi apertum habet, quando  
id verè unicéque respicere desiderat. Qui ve-  
rò media in urbe habitat, necessitate quādam  
conditionis suæ, curis mundi circumfusus,  
quæ naturâ suâ animo tenebras offundunt;  
& ubi paulo spissius incubuerint, pæne cœci-  
tatem inducunt; facile est cognoscere, quan-  
tâ in caligine, imò tenebris victurus sit: &  
quod hinc consequitur, quantis, quāmque pe-  
riculosis casibus expositus, nisi providerit, ut  
quotquot ubivis possit, fenestras, lumina, &  
fora saltem, ac spiracula aperiat, patentem  
ceeli aspectum, & quantum possit, luminis ad-  
mittentia. quod sine mysterio tantundem est  
dicere, nisi ad animæ culturam sese applica-  
verit: effeceritque, ut etiam ij, qui sub eius  
curâ sunt, certum tempus in eandem curam  
præfixum habeant, idque diligenter impen-  
dant. Neque tantum peto, quantum rei digni-  
tas exposceret, id est, quantum res æternæ  
temporalibus præcellunt: sed illius tantum  
temporis diuidium, aut particulam, quod  
tam

tam copiosè simul ac inutiliter in res prorsus inutiles noxiásque profundit. Num autem in tam gravi negotio minus aliquid potest exigi? Num aliquid justius concedi, vel iniquius negari?

Non jam vobis Erythræa conchilia membrabo, quæ sub primam auroram, cælum versus sese discludunt, plenóque sinu (*M*) excipiunt matutini roris semen, pretiosis illis foetibus gravida. Non flosculos, qui, cuiuscunq; demum sint generis, omnes eatenus sunt solsequia, quatenus ad primum diluculi exortum (*N*) omnium folia ad Solem oscitant, interiores partes tenebri volentes. Turpe omnino, maximóque nobis dedecori fuerit, si naturæ, omnis cognitio-  
nis expertes, hominem docere debeant, quo-  
modo rite pro homine vivere, suásque utilita-  
tes captare conveniat. Ipse ille rationis instin-  
ctus, qui vobis dictat, pro eo plus laboran-  
dum esse, unde majoris lucri adjumenta spe-  
rantur; infallibilis quædam est fidei nostræ Maxima, ante mentis oculos ea vobis cōtuen-  
da, velut præsentia expandens, quæ aliquan-  
do certò eventura sunt: simùlq; magnopere cohortans, ut quotidie manè tantillum tem-  
poris spatiū vobis ipsis tribuatis, quo aliquē radium, imò scintillam saltem illius vivæ lu-  
cis, quam æternarum Veritatum meditatio so-  
let spargere, in animam introducere possitis.

An enim nihil ab insensatis jumentis differimus, neq; aliud nisi caro & ossa sumus, in unius

Sf

corpo-

corporis molem configurata; duobus pedibus incedentes; neque aliâ animâ viventis, quâm materiali, corruptibili, eodemque luto formatâ, pariterque cum corpore interiturâ? ita ut non longius, quâm ego vivam, mea perdurare vel gaudia possint, vel miseriae: & post mortem nihil mei supersit, unde vel sperare aliquid ab secuturâ æternitate debeam, vel timere? Vah insaniam! Imò verò melior nostri portio immortali spiritu constat. & si corporis quidem corruptione animalibus æquiparamur, animæ tamen immortalitas Angelis similes facit: quæ, cùm illud semel ab se projecerit, non recipiet denuo, quin illi aut vitam secundam, aut mortem communicet; utramque nullo amplius fine terminandam: illam quidem bonorum omnium infinitudine cumulatam; istam vero malorum quâdam abyssō infelicissimam. Vah! ad quem usum nati sumus? quo fine spiritum ducimus? cui dignæ rei studium, curas, operam impendimus? quondam nulla rerum species in hoc tam elaborato, sapientissimeque composito & gubernato Universo, non certum suum finem habet, ad quem condita sit, & cuius adeptio eam certo modo beatam reddat, qualem esse nostrum putamus? An fortè non aliud ab eo, ad quem bruta facta sunt: quorum tota oblectatio circa bona sensibilia versatur, & præsentium usu finitur? aut illud duntaxat boni habebimus ulterius, ut scientijs, æstimatione, gloriâ polleamus:

mus: quæ consecuti, tum demum perfectè felices erimus? O anima! ad tuam ipsius sententiam appello: edic modò sincerè, quod scis: estne aliquid in his rebus inferioribus, quâ possestâ nihil ultra desiderare possis? Et si una sola utique parum est, cedò, finge tibi, quantam vis, ex terrenis rebus felicitatem maximam: experiere tamen (& jam te audio id ipsum respondere; estque longè verissimum) eam nemillesimam aviditatis tuæ partem satiare; nemillesimam capacitatris tuæ, quæ immensis tenditur desiderijs, partem explorere: eapropter omnino, quod ista non vitio quodam, sed naturæ suæ præcellentiâ, nec mensuram, ne terminum habeat. Quare si id non incassum factum est (uti sanè non incassum talis appetitus præstantissimæ huius mundi parti, nempe homini, ingeneratus est;) sequitur, te in circu natam esse, ut tibi eiusmodi bonum procures, quod æternum sit, quoque æternum frui gauderé possis. Ubi autem tale bonum, in quo ultraque ista qualitas conveniat, extra Deum repieres? Atenim unum modò passum amplius nunc progrediamur. Ubi nempe ad æterni illius boni, quod Deus est, possessione non pertigero, quid quæso juverit, cæteris omnibus; & toto demum mundo, centum, imò mille annis pro genio potiri fruique potuisse? Ubi sunt modò illi Monarchæ, Reges, Principes, exercituū Ductores, qui tanto strepitu ac fragore mundum conturbârunt? ubi dixites,

docti, formosi, honoribus & famâ ubique gentium incliti? fortè ex omni illa affluentia jam nihil illis, nili inane nomen remansit, utique nulli amplius adjumento futurum: quanquam de tam multis quam pauculi sunt, quibus aliquid nominis memoria reliquum fecit? quid autem ijsdem in altero mundo agatur, ad quem moriendo transiere, id ipsi maximè sciunt, qui experiuntur: ita quidem, ut nullo unquam tempore eius, in quo nunc existunt, statûs mutationem sint subituri. In eundem modum de istorum laboribus, eleemosynis, austерitate vitæ, vigilijs, abstinentiâ, cæterisque bonis operibus est cogitandum: si quid in his asperum, difficile, molestum fuit, id sanè finem habet: cum interim nulla tam diuturna saeculorum possit conversio cogitari, quæ illorum interminabilem felicitatem, quâ in Deo fruuntur, non dico finire, sed ne momento decurtare possit. Jam de his duabus tam contrarijs conditionibus, quarum una in summa beatitate, altera in summa miseria constituitur; ita quidem, ut impossibile sit, neutram mihi obtingere; non jam quæro, utram per eupiam: nam dubitari nequit in eo, qui pro homine habeatur: id quæro, qualisnam mea futura sit? Obscura profectò omnis futurorum notitia est, neque nisi hariolantium opinionibus similis: videor tamen audire, qui dicat, multâ cum ratione illos agere, qui studeant ex ipsâ viâ de termino prænuntiare. Prodite ergo

ergo huc in medium , ut vos videam, singu-  
lōque noverim , ô transactæ vitæ meæ dies.  
Ad utram earum partium me ducatis? Cuius-  
modi etiā illa sunt, quæ me in hoc continuo ad  
Æternitatem itinere comitantur, merita; bo-  
nâne illa, an mala ? Heu me ! cor unâ oculique  
selvuntur in gemitus & lacrymas: neque ul-  
trâ intueri sustineo. dum enim tam malè vo-  
bis abusus sum, totidem mihi inimicos, & vi-  
tæ meæ condemnatores constitui, quot duces.  
Itaque hæc est illa, quam pro tam multis be-  
neficijs Deo referre debebam, gratia ? & tam  
diurna eius in me tolerando patientia, aliud  
nihil effecit? ita neque præmia eius æstimo,  
omne pretium superantia; neque minas curo,  
omni horrore plenissimas? Quodsi vixisset,  
qualis mori opto, quam beata illa vita, quam  
plena gaudij mors foret, si in Rationibus Dei,  
qui summâ fide bonorum meritis præmia re-  
pendit, tot creditorum nomina mihi solven-  
da haberem, quot bona opera forent, in quo-  
rum studio vitam naviter traduxisset? Ate-  
nim quod præteriit, revocari jam nequit; quod  
omissum est, restitui in integrum non potest.  
Ergo ad id , quod præsens est, admoveto ma-  
num: & velut si tardius vivere incœpisses,  
gradum concita, operam adauge; ita ut unus  
dies tantundem bonæ frugis afferat, quantum  
multi.

Qui talem in modum, quamquam breviter,  
secum ratiocinatur, aperit sibi, si non plus,  
Sf ; certè

certè unum aliquod spiraculum , per quod animæ tantum limpidae lucis de cælo immittatur , quantum solet ab æternis veritatibus hauriri. & quantumvis ea foret permodica , illæ tamen tenebrae & caligines modicæ non sunt , de quibus illa miserum animum extrahit , qui in ijs cæcum in morem , nullâ futurorum malorum recordatione incedens , in eas calamitatum voragini præcipitat , quas non advertit , nisi cum jam modus & via non est resiliendi . Hoc ita jam posito , num videri potest imprudenter à vobis peti , ut tantillum temporis quotidie in salutem animæ impendatis , quod respectu reliqui diei , quem curando corpori & temporalibus curis donatis , vix quinquagesima pars erit ? (O) Placet hic sanè magnanimum Barbari Africani , Habu Henon , Regis Fœsiæ , dictum adducere . Jusserat ille palatium extrui , cui simile vel sumtuositate , vel magnificentia , aut venustate id terrarum nullum esset ; atque eiusmodi quale volebat , perfectum fuit . Igitur ad id inspiciendum egressus , ubi illi rationes impensarum videntæ , & subscribenda prolatæ sunt , & in primâ statim fronte libri , octoginta florenum millia occurserunt ; ( & hem , quanta restabat adhuc , etiam majorum sumtuum farrago examinanda ? ) obstupeuit scilicet , tantas opes in hoc opus effusas esse : neque ultrà legendo progressus complicuit librum , & in amnem , arci præterfluentem abjecit , cum dicto ; rem pul-

pulcram non debere caram videri. Jam & ego  
vos iubeo domum ædificare, dignam in quâ  
Deus habitet; imò ubi vos cum ipso, in eâdem  
familiâ: proinde vel hoc solo nomine talem,  
cui, si omne mundi aurum ac pretiosæ gem-  
mæ, in unius palatij fabricam compaginatae  
comparentur, tametsi vestra lignea tantum  
sit & exigua, profectò illæ non aliud, nisi vilis  
casula, & agreste tuguriolum debeant reputari. Demus nunc, primi folij expensas (quod  
est matutinum tempus, pietati destinatum)  
summum quod possit, ad quadraginta minu-  
ta, sive duos horæ trientes ascendere: num  
eas nimiò graves potestis credere, si ad illa,  
quæ hinc vobis redundant, emolumenta ani-  
mum attendetis? aut timebitis, ne fortè illud,  
quod pro Deo, pro cælestibus rebus, pro animâ  
vestrâ agitis, damnum afferat utilitatibus ve-  
stris domesticis? nunquam id sanè accidit; ne-  
que accidet porro unquam. namque calamiti-  
tates non ex eo proveniunt, quod tibi Cælum  
propitias, quodd benignum Dei aspectum con-  
cilias. Ita Joannes II. Rex Lusit. censuit, &  
eundem sensum posteris suis profundè im-  
pressum voluit, quando Emanueli nepoti suo,  
& Coronæ hæredi, quò eum ad prosequendas  
novi Orbis vestigandi expeditiones efficacius  
animaret, non Terram in tabula depictam,  
sed Cælum in sphæra repræsentatum reliquit.

Quantum nunc de sollicitudine, quam pa-  
tremfam. habere decet (quæ erat altera de-

propositis duabus partibus, quas mihi probandas necessarium esse duxeram ad hoc, ut quisque domum suam **TERRAM SANCTAM** faciat) dicendum occurrit, id tam copiosum est atque exuberans, ut necesse foret librum incipere, cum jam finiendus est. Igitur ad id duntaxat me restringo, ut breviter commoneam, quantopere referat, unumquemque animo fixo quantocytus adhibere operam, ut id omne procul ab sua domo ejiciat, quod cuiuscunque demum pravâ consuetudine introductum, & quantumcunque longo usu irradicatum, deprehenditur vel noxium esse, vel nocendi periculo propinquum. aliter, hæc sive iners timiditas, sive negligentia, haud dubiè illarundem culparum reum faciet, quæ ab eius familiâ committuntur: & in ipsum prorsus quadrabit, quod Vespasiano Imp. (P) evenit: ad quem cum ex officio pertineret, communem munditiem maximè in Palatio Imperiali percurare, idque facere per negligentiam prætermitteret, Caligula ipsum iussit vestem in sinum colligere, & quidquid retrimentorum, luti, & sordium per aulam sparsum jacebat, quoad caperet, colligere, & ad se afferre. Quin imò ipsæ res insentibiles, tegulæ, imbrices, lapides, trabes, & quidquid eiusmodi foret, cuius illapsu quispiam peremptus esset, (Q) antiquissimâ Atheniensium lege, in perpetuum exilium extra regionis fines asportabantur. Quantò æquius est, ab aliquâ domo

domo exterminari eos libros , qui animarum stragem edunt , quas mortaliter vel in capite feriunt pestilentii aliquâ doctrinâ , vel in corde impudici amoris incentivis oblaedunt ? Nulla enim planè afferri ratio potest , cur hominibus , qui talem Legem , religionem , vitæ statum , qualem nos , profitentur , ea debeat res peregrina , grandis , & difficilis putari , ad quam Lacedæmonij illâ , vix umbratili moralis Honesti regulâ , quâ gubernabantur , obligatos se esse credidere . Cùm enim Spartæ vulgata essent Archilochi Poëmatâ , & ad severissimam Ephorum censuram perlata ; (R) quod eorum parum verecundam & pudicam lectionem arbitrarentur , ab urbe relegata fuerunt ; & si denuò redijssent , flammis addicta : simûlque ea carnifex extra urbem efferre iussus , incertum , ut in Eurotâ demergeret ; an ad oppositam ripam , id est , extra fines deportaret . Ita maximum Poëtam , inquit Historicus , ideo solum , quod morum honestati periculosus eset , carminum exilio multarunt .

Quid autem iuverit , ea quæ nocent , aut periculum afferunt , foras eliminâsse , si portis apertis relictis , semper eodem redeundi potestas fiat ? Reperire est viros sanè Magnos & egregios , numerosam alentes familiam , qui immensis distenti curis , quas vel in aulis Principum , aut negotijs publicis impendunt , ita planè totos dies in alienis rebus occupantur , ut suarum oblivious nesciant , quis domi suæ

status ac mores sint , in quos non inquirunt ; neque satagunt inquirere : iccirco etiam , quod tristissimi doloris atq; tædij molestiam vereantur , ubi plus malorum fortè occurret , quām quibus mederi facile possent . Unde ipsorum dñib⁹ accidit , quod pomario , maceriat⁹ ac sepe deſtituto ; ex quo potius bestiæ , quām homines aluntur . Quæ potest , inquit Strabo , (5) felicitas infelicior , & sapientia magis fatua videri , quām illorum , qui totos dies Astronomicis contemplationibus absorpti , nullum nisi cum stellis commercium habent ? eorum motus tam studioſe dimittentes , ut singulos pñne paſſus in numerato habeant : jam distantias earum , & mutuos aspectus notant ; & ecclipses longè antē significant : & triplicitates ; & quæ maxima earum sit futura coniunctio ; & quid inde prosperit vel aduersi in centum annos augurari liceat : eosque , ut denique erubescant , nihil videri de agriculturā intellexisse ; cūm interim proprios agros negligant , quos securè ſinunt in ſolitudinem & vepreta ſilvescere ? unde fit , ut quando ab illo sterili cælorum aëre mentem demittunt , jam terra emaciatis illorum corporibus nihil neceſſarij alimenti poſſit ſuppeditare . Neque tamē consilij mei eſt , ab eo quemquam abducere , quò vos vel ingenij habilitas , vel officium , & inprimis Communis boni utilitas admoverunt : ſed id perſuadere , ut cogitationes vestrarū inter proprium & alienum

num ex æquo dividere velitis : & id, quod per vos ipsimet fortè in bonum vestræ familie præstare non potestis, eiusmodi hominis curæ committatis, de cuius fide id affirmare possitis, quod Philippus Macedonum Rex de familiarium suorum intimo dixit, cùm urgente maximarum rerum necessitate, debuisset utique ipsam etiam auroram prævertere ; somnium tamen seu dulcedine, seu violentiâ passus es- set, aliquot in diem horas in lecto se detineri : (T) *securè dormiebam ; quippe excubabat Antipater.*

Talis amici solertia vel cum mille oculorum vigilijs, & acutissimâ aurium custodiâ, ad domus vestræ limina excubabit, neutrum quam indiligentius, quam ad Plutonis infernam Regiam Cerberus, (V) *sentire & Vmbræ solitus.* Provolabit : & si non aliud, certè allatabit, quemcunque non optimè habebit percongitum ; scilicet ingenuo illo & Philosophico affectu, quem Plato canibus tribuit ; (X) *quoniam aspectum nullâ re aliâ amicum & inimicum discernit, quam quod hunc quidem novit, illum autem ignorat.* Neque ad portam solum, sed ubi malignitas per fenestras penetraverit, id ipsum adverteret, vobisque renuntiabit : sicut (I) M. Varro, fortè Corcyrae in insula maris Jonij diversatus, cùm repente eius aedes, ob ægrorum multitudinem, in Nosocomium versæ essent, claudi obturarique fenestras iussit : quo uno remedio omnes brevi iterum incolumes habuit. Tantum refert, deprehendas, quâ parte malum

lum in domum irrepserit : & nonnunquam tam facile remedium , maximis avertendis calamitatibus par est.

Denique ne omnia hactenus dicta incassum sint , admonere opus est , ne quid ab diligenti familiæ curâ unquam remittatur : sed quantumcunque parum in eius utilitatem adhibetur , illud tamen ipsum iubeatur perpetuum esse . namque etiam modica bona , si continua fuerint , grandia esse incipiunt . Prodigium , imò monstrum olim Romæ apparuit , duo Curiones ex nobilissimo vetustissimóque sanguine , pater & filius , in eisdem ædibus , vitâ moribusque magis contrarij , quam loco futuri , si unus in Oriente , alter in Occidente vixissent : pater maximâ temperantiâ celeber ; filius summâ morum dissolutione infamis . (Z) Itaque (ingeniose scripsit Historicus) eodem tempore , & in iisdem penetralibus , diversa saecula habitarunt , frugalissimum alterum , alterum nequissimum .

Mihi autem ab his parum differre illi videntur , qui uno die ipsam pietatem , modestiam , devotionem agunt , omnia ad animum referentes ; operamque dant , ut qualem ipsi , eandem etiam sui vitam ducant : sed ita , ut postridie illud Poëtæ récini de ipsis possit , esse nunc *campos* , ubi *Troia fuit* . Brevis una nox tantum valuit destruere , ut de toto hesterno nihil restet , nisi vecors illud & inane , fuit : lingua liberrima , & in jocos fescenninos solutissima , ope-

operatio omnibus flagitijs contaminata ; ut nihil immoderantiae, nihil malorum possis desiderare. Atenim quid hoc aliud est, quam virtutem ceu vestem aut personatum vultum in comoediâ induere : ubi vixdum sub Regali habitu post siparium intrarunt, cum ecce denuo ut fures prodeunt, aut moriones ? Quid aliud, quam hodieque repræsentare, quod tè suâ ætate Stoicus querebatur : (Aa) **QVIDAM ALTERNIS VATINII, ALTERNIS CATONES SVNT :** & modò parum illis severus est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi & contentus vili Tubero : modò Licinum divitiis, Apicium cænis, Mecænatem delitiis provocant. Maximum indicium est male mentis, fluctuatio ; & inter simulationem virtutum, amoremque vitiorum assidua iactatio. Hisce talibus, ita animo affectis, æstimo quam apertissime illud convenire, quod de quibusdam corporis ægritudinibus Lex definivit: (Bb) febri Tertianâ, Quartanâ, Podagrâ, morbo comitali laborantes, ne iis quidem diebus, quibus morbo vacant, sani dicuntur.

A. lib. 3. c. 5. B. lib. 9. C. ibid. D. ib. lib. t.  
 E. lib. 3. c. 8. F. Plin. l. 18. c. 22. G. Plut. de educ.  
 fil. H. Epist. 108. I. Dantes in Infer. c. 31. K. Sen.  
 ep. 77. L. lib. 6. c. 3. M. Solin. c. 6. N. Plin. l. 6. c.  
 24. O. Io. Leo. l. 3. in Africa. P. Xiphil in Calig.  
 Q. Pausan. in Eliac. post. R. Val. Max. l. 6. c. 3. S.  
 Greg. lib. 1. T. Plut. in apophyt. V. Sen. in Herc.  
 Fur. X. de Rep. l. 2. Y. Varro de re Rust. l. 1. c. 4.  
 Z. Val. Max. l. 9. c. 1. Aa. Epist. 120. Bb. L. qui  
 tertiana ff. de ædit. edic.

IN-

I N D E X.  
RERUM MEMORABILIA.

A.

Adamanti fortitudo & virtutes Equitum Rhodien-  
sium comparantur. 446. &c.

Adami mons, & vestigium. 185.

Admonitio paterna ex amore, eleganti exempla  
descripta. 546. Eadem prudens & tempestiva. 527 &c.  
eius vis. 536. &c. præcepta, quomodo & quando fa-  
cienda. 537. &c.

Adversa dant intellectum. 512. &c. ditant ani-  
mum. 514. &c. Quomodo ferenda. 519.

Adulatio nocens, maxime Magnatibus. Disc.  
XVIII. per totum.

Adulatores Polypis similes. 415. eorum falsa si-  
mulatio 415. &c.

Adulatio suipius. 99 &c.

Adularionis species testa: 395. alia aperta & an-  
dax. 398. &c. ab Atheniensibus facta M. Antonio, falsè  
punita. 399. &c. eius enormis excessus. 400. dictiona-  
riam Hyperbolicum. 402. eā sapientissimi quandoque  
vincuntur 403. &c. Vitro triangulari similis 405. Au-  
gusti de ea prudens sermocinatio. 408. &c. ab ea pauci  
immunes. 413. &c.

Ætatis juvenilis præsagia. 71. 72.

Æternitas beata & misera. 644. &c.

Ætna Mons. 47. &c.

Ager ab herili oculo fertilis. 180. &c.

Agri-

# Index.

- Agricultura facilis, & uberrima. 166.  
Alexander M. Iovis se filium iactans, confunditur.  
98. à matre castigatur ingeniose. 114.  
Alpes Constantiā & fortitudine Hannibalis superatae. 332. &c.  
Aquilis comparati Equites Rhodienses. 448. &c  
Ambitio ineptorum stulta. 143. &c. temeraria Phaëtonis, male à Seneca laudata. 147.  
Amici veri pauci. 409. &c. 411.  
Amoris & affectus paterni in filii periculo, illustre exemplum. 544. &c.  
Amor suiipsius homini congenitus. 82. &c. falax. 83. &c. cæcus. 87. &c. temerarius & arrogans. 87. &c.  
Amor turpis. 206. Eius validum incantamentū. 404.  
Anatomistarum inventa. 216.  
Animæ immortalitas probata à Platone. 553. &c.  
Eius à corpore differentia, & pretium. 641. &c. habilitas ad sublimia. 643.  
Anticyra urbs. 524. &c.  
Antipodæ. 418. &c.  
Apum mira mellificatio: Geographis, & utiliter pergrinantibus comparata 1. 2. &c. Apum à vespis differentia. 197.  
Arbor vastissima, propagnaculum, & sedes regia. 635. &c.  
Archimedis machinae. 162. Providentia futurum. 273.  
Asinini lactis balneum. 498.  
Atheismus & Superum contemptus. 630. &c.  
Atheonum error. 136.

Atlas

## Index.

Atlas mons. 126. &c.

Avaritia causa saevitiae. 299. 300. &c. Eidem serviens Iustitia. Disc. XIII.. per totum.

Avernus lacus. 569. &c.

Aula ventorum patria, caverna. 36. &c. Scale similis 46. Aulæ fugæ felix 28. 42. Aulæ Neronis miseria. 37. Aulicorum miseriae. 26, 27. 28. &c. 47. eorum ita, & non. 29. simulationes. 29. 30. &c. deceptiones. 30. &c. paupertas. 32. &c. servitus. 33. &c. Merces aut nulla, aut modica. 38. 39. &c. tormenta, desperatio. 42. 43. Aulicorum spes vanæ. Disc. I. per totum.

### B.

Bestia viva Tiberius Imp. 500. &c. Caligula. ibid.

Bona tantum extrinseca habentes. Disc. IX. per totum. Bonæ spei Promont. 256. &c. Bonum ex integra causa. 361. &c.

Boves pervicaces edomandi ratio. 486. &c. Bovis caput, omen magni eventus. 70.

### C.

Calamitates humanae. 509. &c. in iis animus erigendus. 510. &c.

Calvisij Sabini stulta ex alienis scientiis arrogantia. 615. &c.

Campi Urabani. 165. &c.

Canum ad venationem assuefactio. 479.

Capreæ Ins 355.

Caphareum Promont. 390. &c.

Caput imperat, non pedes. 383. &c.

Cariophylli ubertas in Moluccis. 372.

Castitas Hyppoliti. 121. 122.

Catilina optimi avi pessimus Nepos. 605.

### Caci-

# Index.

Cæcitas scipsoe non cognoscentium. Disc. IV. per titulum.

Cælorum harmonicus concentus. 379. &c.

Celeritas. 159. 160.

Centauri fabulosi, unde. 492. &c.

Cervus ab aquila infestatus. 593 &c.

Cognitio suipius, quantum valeat. 81. primum & præcipuum Ethicæ documentum. 83. &c. quanto modo invenienda. 90. &c. eius maxima utilitas. 91. 95. &c.

Colossus Rhodius. 433. &c. brevi subversus. 435. &c. iasens quoque pro miraculo est. 436.

Concordia animi & corporis in Sapientibus. 378. &c. Concordia animorum. 103. Concordia discors. 250. &c.

Constantia animi & fortitudo in emendandis vi-  
tuis. 331. &c. exemplo Hannibal alpes superantibus. 332.  
&c. Constantia in bono. 652.

Conversationis bone utilitates. 242. &c. eius ma-  
teria. 246. &c. amica sit & suavis. 245. &c. 249. &c.  
Eius diversi fines. 237. &c. otiosa, garrula. 237. &c.  
triflitis, tetrica. 242. &c. laudabilis. 239. &c. 243.  
&c.

Corporis humani dotes, ratione longè inferiores.  
495. &c. Eius magnitudo ad regimen per se inepta. 142.  
robur in Milone. 317. &c.

Crocodili Egyptii. 283. natura. 485.

Crudelitas blanda & fallax. 294. immanis. 295.  
eius causa Avaritia. 300. &c.

Cupiditas immodica. 178. &c. nunquam satiabilis.  
513. &c.

Cinnamomi propentus maximus. 187.

T

D. Det

## Index.

### D.

Dei, eiusq<sup>z</sup> gratiarum summa p<sup>r</sup>e omnibus ratio habenda. 638. &c.

Demosthenis Oratoris defectus naturales maximi, miro labore & studio emendati. 312. &c.

Desperatio perniciosa. Disc. XVIII. per totum.

Diligentia excolendi animi. 177. &c. ex parvis magna efficit. 182. &c.

Diogenis descriptio, & genius adversarius. 428. &c.

Discretio, in concedendo & negando. 110. &c. dexteritas in eodem. 112.

### E.

Ebrietatis vituperium. 499.

Electio ad officia prudens. Vide Prudentia. Stulta 138. 142. 145. Electionis malæ circa vitæ conditionem damna. Disc. XV. per totum.

Elephantum primùm formidabiles, postea in triumphum ducti. 324.

Eloquentia vana & fallax. 196. &c. Eloquentia quatenus liceat affectus commovere. 89.

Epicteti virtutes. 207. &c.

Equinur caput, pro omni 70.

Equus, Consul. Rom. à Caligula stultè designatus. 138.

Europæi immortales crediti à barbaris. 480. experimento contrario eam fidem perdunt. 482.

Examen sui ipsius. 91. 180. &c. 255.

Exempla bonorum perutilia. 253. &c.

Exercitatio laudabilis. 146. 147.

Externi exosi, contempti. 76.

### F. Fal-

# Index.

## F.

- Fallaciæ ac fraudes malorum Politicorum. 366. &c.  
Famæ, etiam posthumæ appetentia. 61. &c.  
Felicitas hominis in Honesto. 496.  
Fluviorum in medio mari mirabilis natura. 210.  
213. &c.  
Fons ad cantum exultans. 394. Fontis latentis in-  
dicia. 71.  
Forma corporis deformis. 373. &c. animi formosa:  
377. Forma Iustitiam corrumpens. 292. &c.  
Fortitudo bellica M. Sergii. 604. &c. Fortitudinis  
bellicæ omen. 70. Rhodiensem; Adamanti comparata:  
446. &c.  
Fortuna ex aliorum infortunio. 288. &c. fallax. 32.  
&c. vaporis instar. 35. mutatio. 406. &c.  
Fortunatæ Insulæ, nomen sine re. 23. 24. &c.  
Fuga timidorum turpis. 465. &c.

## G.

- Garrulitas, stulta, arrogans, tenebraria, clamosa  
&c. 152. &c. Nova referentium. 159. &c. Garrulorum &  
blaterorum indoles. Disc. VII. per totum.

- Genij, suavis violentia. Disc. III. per totum.  
Genius adversatus. Disc. X. X per totum.  
Geographiæ iucunditas, utilitas. 3. 4. eius officiuni:  
9. 10. &c. eius ignorantia probrosa. 5. &c. Philosophiæ Mo-  
rali socianda. 9. &c.

- Gloria, fructus Virtutis. 551. &c. Eius ex rebus bene-  
gestis laudes & efficacia. 557. &c. Gloriæ pendus leve:  
317. Gloriose gesta, & remuneratio Sicinli Dentati. 55.  
56.

Tt 2

H. Har.

# Index.

## H.

- Harpyiæ. 284. &c politice 285. &c.  
Hellebori vis ad curandum cerebrum. 525. &c.  
Historiæ officium & utilitas. 11. 12. &c. sine Geographiâ circa. ibid.  
Homines in bestias degenerantes. 497. &c. Hominum studia & intentiones diversissimæ. 235. &c.  
Honestum, felicitas hominis. 496.  
Honoris appetentia, stimulus. 60. 61.  
Horologij custos. 176. eius usus. ibid. &c.  
Horti cultura, divisim facienda. 472.  
Hyperboles natura, usus, & abusus. 156. &c.  
Hypocrisis 193. 506. bene docentium & male riventium. 201. &c. Vide Seneca. item f. 398.

## I.

- Infamia, frānum licetia. Disc. II. per totum. fulmini similis. 52. post huma magnatibus timenda. 57. &c.  
Eam improbi non effugunt. 62. 63.  
Inimicitiæ ponendæ ob bonum pub. 241.  
Iordanis fl. amēitas &c. 602. &c.  
Ira edomanda. 325. &c. Platonis egregio exemplo. 330. à Plutarcho superata. 483. &c. Iratus, amentissimillimus. 529. &c.  
Judicia & sermones vulgi. 226. &c. Vide Populus, Multitudo.  
Judicium in defunctos reges. 59.  
Justitia Avaritiae serviens. Disc. XIII. per totum. corrupta à formâ. 292. &c. crudelitati pretexta. 294.  
Justitia sub mercatu. 305.  
Justitiam administrantium exiguum salarium. 287. sādem administrantes sine manib⁹ sint. ibid. &c. Iniquo

# Index.

què administrantium avara & rapax indoles, artes. 290.  
C. 297. C. manifeste rapina. 299. C. damna maxima 302. C. c. magnetes ferro armati. 304.

Juventus improvida. 173. 174. C. immadice cu-  
pida. 179.

## L.

Laudis usus & abusus, unguento odorifero similis.  
393. C. Laus, generosi animi stimulus. 394. C.

Leges sine usu & fructu. 293. C.

Liberalis quis? 109.

Libertas, maledicorum fallax praetextus. 579. C  
Libertatis pretium. 33. 34.

Libra seu statera Regis Mogorum. 85. C.

Libri memoriam immortalem conservant. 564. C  
Eorum copia. 198.

Libya deserta. 507. C.

Lilia impuritati servientia. 367. C.

Lingua mala, maximum probrum. 573. C. Lin-  
guæ pruritus. 238.

Luciani lepida Deorum irrisio. 133.

Lucri bonus odor. 299.

## M.

Magistratus laudatissimi Sinensium. 79.

Magnates nec latére possunt, nec velle debent. 367.  
C. timeant oculos subditorum. 51. C. eorum vita omni-  
bus exposita 53.

Magnes ferro armatus, avarus Iustitiae minister. 304.

Magnitudo quæ vera. 192.

Maledici feræ bestiæ 571. C. infanes. 573. su-  
giendi. 575. C. occulti, omnium pessimi. 581. laudantes  
insidiosæ. 581. C. Bis aures negandæ. 584. C.  
etiam

# Index.

- etiam Prencipes & honoratos insectantur. 577. &c.  
Malorum præsagia. 266. &c.  
Mare gelatum. 451. &c.  
Mare mortuum. 601.  
Materia Ins 307. &c.  
Medici officium. 537. Eorum ridicula laus. 43.  
Mediocritas laudata 239. &c.  
Mendici lege proscripti. 414. &c.  
Mæssis uberrima. 166. (doles. 74.)  
Michaëlis Angeli Pictoris matura ad artē suam in-  
Ministri Regentium, inepti maximè noxii. 154. &c.  
quales eligendi. 137. &c. 139. 140. &c. Ministri seu Of-  
ficiales iniustissimi &c. Vide Iustitiam administrantes.  
Mitylene, urbs. 337. &c.  
Moluccæ Insula. 370. &c.  
Mores politissimi Sinensium. 78. &c.  
Mors aulicorum, ex phtisi. 44.  
Mors desperata Cleopatræ. 598. &c. Licinii Crassi.  
597. &c. improbè probata à Stoico. 596. Mors Diagoræ  
parentis, ex gaudio. 563 &c. Mors & exequiæ funebres  
Britannici optimi Principis. 364. &c. Mors subitanea  
optata 44. Mortem sibiupis inferentium insania, per  
infamiam castigata. 53. &c. Mortis memoria. 241.  
Mulier, oculorum dolor. 374. Mulieris pessimæ in-  
doles. 477. &c. à Socrate egregiâ virtute, & cum em-  
lumento tolerata ibid.  
Multitudo improborum non curauda. 221. &c. no-  
xia. 223. contempnenda. 224. 226.  
Musices vis. 558.

## N.

- Natura paucis contenta. 513. Eius miracula recon-  
dita.

# Index.

dita. 210. &c. 213. &c. Naturæ propensioni quia debatur. 68. &c. eius facilitas & efficacia. 72. 73. &c. semper sibi constans. 75.

Naufragantium spes in levamento navis. 390. &c.

Navigantium pericula. 344. Navigatio Columbi mirè impedita. 214. eius difficultas. 215. vite humanae similis. 217. &c. Navigatio per Septentrionales plagas difficilis, & memorabilis. 452. &c. eius scopus & consilium ibid.

Nautarum providentia. 273. &c. veterum ars exigua. 105. &c.

Negotiorum impedimenta ad virtutem, amovenda 342. &c.

Neronis stulta in senatu propositio, & improvidus animus 268. &c.

Nilus fl. 150. &c. eius cataxæ. ibid. eiusdem Ægyptum inundantis utilitas. 296. &c.

Nobilitas sanguinis amplissimè commendata. 607. &c. eiusdem abusus. 611. &c. illam ipsa facta probant. 612. &c. solo nomine nobilium vana arrogantiæ. 614. &c. Nobilitas quænam ignobilis. Disc. XXIX. per totum.

NON Promontorium. 104. &c. sola hæc syllaba Philippus R. à Spartaniis absterritus. 124. &c.

Nummi aurei Athenienses, diversi ab Alexandri- nis. 386.

## O.

Oculis servire, gravis servitus. 187. &c. magni impendii. 188. fallax. 194. &c.

Oculorum concordia & consensus. 377. &c.

Tt 4

Ora-

# Index:

- Orator. Vide Eloquentia, Ineloquens. 221.  
Otiosa confabulatio. 237. Vide Garrulitas. Otiosa  
& inutilis vita. 168. 169. 170. &c.  
Ovium naturæ, vulgi sensus persimilis. 218. &c.  
P.  
Passiones animi, quomodo continenda. 327. &c.  
Patientia auscultantis garrulo. 164.  
Patriæ amor & estimatio. 65. &c. 231.  
Paucitas victrix multitudinis. 471.  
Paupertas seu indigentia, utilis & necessaria. 107.  
Pecuniae Iustitiam corruptentis vis. 283. 287.  
pro eâ vendita Philosophia. 286.  
Peregrinatio quanam utilis. 7. 8. quomodo institue-  
da. ibid. & s. 2. 3. &c. eius incunditas erudita. 247. &c.  
Petere quid sit. 108. &c. petere rem indecoram,  
injuriosum. 121.  
Philosophia moralis cum Geographiâ associata.  
44. 9. &c.  
Pictura artificiose fallens. 193. Æthiops, sola ce-  
russa pictus 582. &c. Zeuxis, 122. eiusdem in arte  
Principatus. 209.  
Piratae periculis assueti. 288. &c.  
Platani & fici discrimen. 387. Platanus mirè re-  
florestens. 44.  
Pænarum terror improbos cohabet. 90. &c.  
Picturæ examen. 90.  
Pænitentia sera. 173. &c. 354. &c.  
Popularis sensus violentia, Disc. X. per totum,  
ovium naturæ similitis. 218.  
Populi seu vulgi nomine, qui intelligendi. 220. eum  
obrectatio gloriose spreta. 224.

Porta

# Index.

Porta urbis, infamis. 973. &c.

Potus nimius prudenter repulsus. 120.

Princeps, quis malus, quis pessimus. 110.

Promotio sine meritis. 190. &c. Vide Electio.

Prudentia in eligenda vite conditione. 351. &c.

belli Duxis. 111. &c. Regentis, in indagandis aptis ministris. 131. &c. 136. &c. 141. &c. 195. &c.

Providentia & circumspectio circumstantiarum in agendo. 348. &c. 350. &c. Providentia futuri, quomodo instituenda. 277. &c. quae eius documenta seu Maxima. 280. &c. Exemplum Anaxagoræ. 282. fortunâ favente habenda. 273. &c. Archimedis. 277. Providentia sera. 173.

Pugna cum hostibus divisim incunda. 473. exemplo Horati Romani. ibid. &c.

Pugna Pharsalica. 11. in Campis Marathoniis. 12. ad Portum Saronicum. 13. pugnandi mira ratio in rebelles. 487. &c.

Pyramides Aegyptiæ, bestiarum imaginibus plena. 501. &c.

## R.

Ratio sensuum domina, perversè iisdem serviens. 493. &c. Ratio, optimum in homine. 495. &c.

Repulsa seu negatio rei indecora. Disc. V. per totum. laudata in Daphne. 113. quomodo facienda. 116. 117. &c. 119. &c. 124. &c.

Rhodiensem Equitum, hodie Melitenium, amplissima laudes. 443. &c. Paucorum contra innumera- biles Turcas gloriofa pugna & victoria. 437. &c.

Rhodus Ins. 431. &c.

Tt 5

S. San-

# Index;

S.

- Sanctitas morum & familiae, qua vera.* 624. &c.  
*Sapientis Os, Templum.* 388.  
*Scientiarum estimatio & valor apud Sinenses.* 79.  
*Scientie humanae & ingenii exilitas.* 211. &c.  
Scioli, omnia garrientes. 159. &c.  
Scylla & Charybdis, 587. &c. (c.)  
Secreti fides. 161. servari à garrulis nequit. 161.  
Secretum, seu latibulum frustra inquirunt improbi. 363. &c.  
Senecæ & Epicteti comparatio, quorum hic bene docuit & vixit, ille docuit bene, vixit male. 205. &c.  
Senectus, quænam vituperabilis. 167. 168. 169.  
172. &c. eius miserie. 266. &c.  
Servi serviliter castigandi. 488. &c. sic & vita. 489.  
Servitutis laboriosa onus. 70.  
Silva densissima. 307. &c.  
Sina Regnum. 76. &c. ejus ubertas. 77. admiranda opera. 77. &c.  
Sirenes ab Ulysse elusæ. 118. aliter ab Orpheo. 119.  
Solitudo laudabilis 375. &c. mala. Disc. X I. per totum. maxime 233. &c. bona. 234. &c. miscenda cum frequentia. 240. &c.  
Speculatio animum abstrahens. 379. &c. 382.  
Speculum Demostheni pro Magistro. 485. &c.  
languentem formam prædens, lacrimas ciet. 497. &c.  
Statuæ, quo fine posite. 199. Earum usus & abusus. 363. &c.  
Strophades Insula. 283. &c.  
Struthiocameli stoliditas. 359. &c.

Super.

## Index.

Superbia arrogans Achæorum. 102. &c. Flaminii,  
& Armimii. 123. Sinensium. 80. 81. aliorum. 81. 82.  
87. &c. 100. &c. Superbia ex bonis non suis. 93. &c.  
Supplices libelli ad Iovem. 110.  
Syracusæ urbis commoda & incommoda expen-  
sa 348. &c.

## T.

Taprobanæ Ins. unâ sui parte homines, alterâ be-  
stias alens. 499.

Temeritas præsumptuosa. 95. &c. 97. &c. Vida  
Superbia. Ambitio. stulta, amantium pericula. 346. &c.

Temporis dispendium. 172. &c. eius pretium,  
174. &c. utilissima impensa. 640. &c. 646. &c. ma-  
tutini pretium. 641. eius exacti ratio. 645. Tempori &  
loco quid conveniat, spectandum. 248. &c.

Terra incognita. 547. &c.

Terra punctum, quid doceat. 19. 20. 21. Terra,  
motus damna. 555. &c.

Terræ sanctæ laudes maxima. 619. &c.

Thermopylæ. 467. &c.

Thessalia. 490. &c.

Thule ultima. 230. &c.

Tiberij Imp. vita infamis. 356. &c.

Timor fatuus, inutilis & noxius. 461. &c. Timor  
mali, cogit ad bonum. 635. &c. Timor prudens utili-  
simus. 457. &c. primus Prudentiae Consiliarius. ibid.  
perspicacissimus. 458. executor circumspectus. 458. &c.  
necessariò sociandus. 459. &c. Timor sui ipsius, utilis.  
96. &c.

Tonitrui terror noxius. 464.

Torrentes in medio Oceano mirabiles. 209. &c.  
maxime à f. 217. &c.

Traia-

## Index.

¶ Traiani erga saucios milites charitas. 39.

V.

Vanitas rerum humanarum. 15. 17. 280. carum mutationes, interitus. 17. 18. &c.

Vestigia turpe. 297. &c.

Verecundia, & pudor pro fræno sunt. 53. 54.

Veritas raro Magnatibus dici solita. 405. &c.  
Augusto male celata. 410. dicta infeliciter. 412. &c.

Vestis, non homo, salutata. 406. &c. Vestium plendor. 189. &c. castigatus. 191. stultus. 192.

Victoria ex triumphatis classis naufragio celebrior. 441. &c. Victoria suipius. 476. unum hostem deruisse, animum addit ad superandos plures. 476. &c. Victoria suipius, & passionum gloria. 219. &c. videnti incunda. 322. &c. 335. &c. 475.

Vigilantia galli gallinacci. 171. Paris fam. 651. &c.

Vires, negotiis equande. Disc. VI. per totum.

Virtus ex Ærumnis triumphat. Disc. XX. per totum. Iucunditate sua non caret. 551. dole adiuta. 474. Inter adversa constans. 511. &c. post funera vivit. 553. &c. sub informi latens. Disc. XVII. per totum. Virtus fructus, Gloria. 551. &c.

Vita hominis, ut ager excolenda 167. &c. multorum sterilis. ibid. &c. vino similis. 174.

Vita humana Navigationi similis. 217. &c. 263. &c. Vita longa in votis & curâ, non item bona. 179. qua verè longa. 183. &c. Vita parentum in posteris. 199. &c. Vite in meliorem emendatio. Disc. XIV. per totum. Insignis in Polemone. 536. &c. in Thenuſtōcle. 560. &c.

Vita

## Index.

Vitia è domo eliminanda. 648. &c. Vitia singulatim impugnanda. 470. &c. Serio & cum rigore. 485. &c. serviliter castiganda. 489. Vitiorum monstra debellare, gloriosum. 219.

Vitrum triangulare, Adulatio. 405.

Ultio mitis. 578.

Ulyssis laus. 64. &c. Sirenes eludit. 118.

Voluptuosa Pacuvii vita. 169. 170. Sybaritum. 171.

Urbanitas politissima Sinensium. 78. &c. in conversatione habenda. 442.

Vulnera gloria. 444. &c.

### X.

Xerxis probrofa clades. 13. 469. stulta maris castigatio. 14. stulta littera ad Montem Athum. 463.

### Z.

Zeila inf. 185. &c.

# F I N I S.



## MENDA EMENDATA.

FOl.9. lin.7. lege : imaginationis. f. 12. l.19. aciem. &  
l. 13. l. 9. confessim. f. 14. l. 15. Elementum indignaba-  
tur, sub pontis forma &c. f. 164. l.8. Spartanæ. f. 174. l.  
14. inconsulte. f. 199. l.13. & 14. cuius seu indulgenti-  
seu ingratij. f. 204. l.14. acutissimarum. f. 206. l. 17.  
quod utique. f. 209. l.8. quoscumque. f. 213. l.11. ef-  
fusi, majore. f. 217. l.8. petebat. f. 234. l.19. istorum.  
f. 272. l.3. unde. f. 293. l.18. pecunia. f. 321. l.6. ur-  
gues. f. 341. l.5. ita alij ex alij. f. 359. l.25. Æthiopia.  
f. 361. l.5. vestigia. f. 399. l.14. prægustus. f. 435. l.1.  
amabilitatis. f. 448. l.23. pharetras. f. 457. l.24. fatali-  
f. 459. l.11. æquilibrii. f. 509. l.6. mari. f. 528. l.27. pok-  
licetur. f. 534. l. 1. grandissimum. f. 586. l.14.  
animalculi. f. 588. l. 21. contra-  
tasque.

Bayerische  
Staatsbiblioth. K  
MÜNCHEN



